c/c 7/88

le faux titre est mal placé

Digitized by the Internet Archive
in 2018 with funding from
Getty Research Institute

https://archive.org/details/numismatasummoru00buon_0

NUMISMATA
SUMMORUM PONTIFICUM TEMPLI VATICANI FABRICAM INDICANTIA,

Chronologica ejuſdem Fabricæ narratione, ac multiplici eruditione explicata,

Atque uberiori Numiſmatum omnium Pontificiorum Lucubrationi veluti Prodromus præmiſſa.

A PATRE PHILIPPO BONANNI
SOCIETATIS JESU.



ROMÆ, MDCXCVI.

Sumptibus FELICIS CAESARETTI, & PARIBENI, ſub ſigno Reginæ.
Typis Dominici Antonii Herculis.
CUM FACULTATE SUPERIORUM.

THYRSUS GONZALEZ

PRAEPOSITUS GENERALIS SOCIETATIS JESU.

CUM Librum, cui titulus: *Numiſmata Summorum Pontificum Templi Vaticani Fabricam indicantia, &c.* à Patre Philippo Bonanno Societatis noſtræ Sacerdote compoſitum, aliquot ejuſdem Societatis Theologi recognoverint, & in lucem edi poſſe probaverint facultatem facimus, ut typis mandetur, ſi iis, ad quos pertinet ità videbitur; cujus rei gratia has literas manu noſtra ſubſcriptas, & ſigillo noſtro munitas dedimus.
Romæ 7. Martii 1696.

Thyrſus Gonzalez.

Loco ✠ Sigilli.

IMPRIMATUR,

Si videbitur Reverendiſſimo Patri Sacri Palatii Apoſtolici Magiſtro.

Sperellus Epiſcopus Interamnen. Viceſgerens.

IMPRIMATUR,

Fr. Paulinus Bernardinius Ordinis Prædicatorum Sacri Apoſtolici Palatii Magiſter.

TEMPLI VATICANI
HISTORIA.

L E C T O R I.

EN Tibi ornatiſſime Lector
Ornatiſſimum opus,
Aeternitati deſtinatum, ac Famæ.
Si teneris eruditionis ſtudio,
Explebis animum.
Si Hiſtoricæ veritatis, venuſtatiſque
Amans, & cultor es,
Plaude, ac proba.
Citrà Religionis incuriam,
In Sacrorum Curiam, Veneres omnes
Author induxit.
Tuum hinc obſequium
Ergà Baſilicam verè Baſilicam,
Orbiſque Principem,
Hac lectione augeatur oportet
Summorum Pontificum magnificentiam;
Pietatem, Hiſtoriam, & Numiſmata
Illuſtrat ritè PHILIPPUS,
LAMPAS ſcribentium BONA, imò optima.
Fatendum ſanè,
Digniſſimum tantæ Eccleſiæ Scriptorem,
Tantoque Scriptore dignam Eccleſiam
Eſſe.
Seculis omnibus
Admiranda erit hujus Templi Deſcriptio,
Abſoluta, ac perfecta,
Qualia ſunt omnia
A PHILIPPI profecta Calamo,
Qui
Ad RECREANDUM Mortalium MENTES,
Et OCULOS.
Videtur jugiter factus.

Scribebat Eques Proſper Mandoſius.

PER L'ISTORIA
DEL
TEMPIO VATICANO

DAL REVERENDO PADRE FILIPPO BONANNI
Della Compagnia di GIESV';

Dalle Medaglie de' Sommi Pontefici dedotta

SONETTO

Dell'Abbate Giacomo Badiale trà Pellegrini Lindamoro del Sebeto.

COL Ferro edace il Vecchio Dio degli Anni
Del Tempio VATICAN ſtrugger la Gloria
Volea, con iſvenar d'oblìo ne' danni
La mai ſempre immortal nobil memoria.

E già di debil Fama à i foſchi inganni
Erger credea l'infauſta, empia Vittoria,
Quando in ſueller FILIPPO da ſuoi vanni
Arguta Penna, ne formò l'Iſtoria.

Da cui gonfia la Tromba à FAMA altera,
L'Ara di PIERO acquiſtò tal ſplendore,
Ch'Eterna in Carte non vedrà mai ſera.

Così d'alto Scrittor ſaggio valore,
Cangiando in Stral la Penna, à Invidia fera
Dà Morte, al Tempio Vita, à Se dà Onore.

INDEX CAPITUM.

DEDICATIO Operis. pagina 1.

CAPUT I.

Præfatio; qua occaſione, quove conſilio ſcriptus hic Liber, ejus argumentum, & Auctoris intentio. 5.

CAPUT II.

De Vaticano Colle, ac Baſilica à Conſtantino Imperatore primùm in eo excitata. 10.

CAPUT III.

De menſuris antiquæ Baſilicæ. 14.

CAPUT IV.

De Atrio, ejuſque menſuris, Januis, & Scalis. 16.

CAPUT V.

De Partibus Baſilicæ interioribus. 17.

CAPUT VI.

De Circo Neroniano ſub Baſilica latente. 22.

CAPUT VII.

De Fabricis exterioribus Baſilicæ additis. 28.

CAPUT VIII.

De Sacris Altaribus Baſilicæ. 33.

CAPUT IX.

De Apſide, Picturis, Feneſtris, ac Tecto. 43.

CAPUT X.

De Porticu, & Fronte Baſilicæ. 50.

CAPUT XI.

De novæ Baſilicæ conſtructione ſub Nicolao V. Summo Pontifice. 60.

CAPUT XII.

Acta Julii II. in nova Baſilicæ Fabrica. 64.

CAPUT XIII.

Acta ſub Leone X. 70.

CAPUT XIV.

Acta ſub Adriano VI. Clemente VII. & Paulo III. 72.

CAPUT XV.

Acta ſub Julio III. 79.

CAPUT XVI.

De Tholi Idea à Bramante delineata. 86.

CAPUT XVII.

Acta ſub Pio IV. & Gregorio XIII. 88.

CAPUT XVIII.

Acta ſub Sixto V. & præſertim in Tholi conſtructione. 93.

CAPUT XIX.

Acta ſub Urbano VII. Gregorio XIV. Innocentio IX. & Clemente VIII. 95.

CAPUT XX.

Acta ſub Paulo V. 99.

CAPUT XXI.

De Sacellis, & Altaribus Baſilicæ. 108.

CAPUT XXII.

De Cathedra B. Petri ab Alexandro VII. exornata. 131.

CAPUT XXIII.

De ultimo Sacello ubi S. Baptiſmatis Fons aſſervatur. 119.

CAPUT XXIV.

De ſacra B. Petri Confeſſione à variis Pontificibus, præcipuè ab Urbano VIII. exornata. 137.

CAPUT XXV.

De aliis Baſilicæ ornamentis ab Urbano VIII. & Innocentio X. additis. 161.

CAPUT XXVI.

De Porticu à Paulo V. excitata. 167.

CAPUT XXVII.

De Templi Januis. 170.

CAPUT XXVIII.

De Porticu ſuperiori, & Mœnianis. 173.

CAPUT XXIX.

De Turribus Campanariis. 176.

CAPUT XXX.

De Scalis ante Baſilicam. 184.

CAPUT XXXI.

De Porticibus ab Alexandro VII. extructis. 187.

CAPUT XXXII.

De Fontibus in Foro collocatis. 192.

CAPUT XXXIII.

De Obeliſco à Sixto V. in medio Foro erecto. 196.

CAPUT XXXIV.

De Parte Baſilicæ exteriori, & minoribus Tholis. 208.

CAPUT XXXV.

De Porta Palatii Vaticani, & Scalis Regiis ab Alexandro VII. extructis. 211.

CAPUT XXXVI.

Palatii Vaticani Ichnographia, ejuſque Chronologica deſcriptio.

CAPUT XXXVII.

Ichnographiæ Palatii Vaticani uberior explicatio.

TABULARUM ÆNEARUM ELENCHUS.

TABULA I.

PONTIFICUM Romanorum Numiſmata Templi Vaticani Fabricam Chronologicam indicantia. pag. 10.

TAB. II.

Ichnographia Baſilicæ Vaticanæ à Conſtantino Magno Imperatore ædificatæ cum atrio quadriportico. p. 13.

TAB. III.

Ichnographia Baſilicæ Vaticanæ cum menſuris variorum Authorum. p. 15.

TAB. IV.

Ichnographia Atrii Quadriportici cum menſuris variorum Authorum. p. 16.

TAB. V.

Fig. 1. *Scenographia Baſilicæ.* Fig. 2. *Frons Baſilicæ.* Fig. 3. *Scenographia Baſilicæ per longum diſſectæ.* p. 17.

TAB. VI.

Ichnographia Baſilicæ Antiquæ, & novæ ſimul cum Circo Neroniano. p. 24.

TAB. VII.

Ichnographia Baſilicæ cum ſacellis exterioribus Baſilicæ additis. p. 28.

TAB. VIII.

Ichnographia Baſilicæ antiquæ cum Altaribus. p. 33.

TAB. IX.

Trabium compoſitio ſub tecto antiquæ Baſilicæ, & tegularum icones. Et trabium compoſitio pro fornicibus ædificandis. p. 68.

TAB. X.

Ichnographia Baſilicæ à Bramante delineatæ. p. 69.

TAB. XI.

Delineatio Tholi Baſilicæ Vaticanæ iuxtà Typum Bramantis. p. 69. n. 2.

TAB. XII.

Ichnographia ejuſdem Tholi à Bramante delineati. p. 69. n. 3.

TAB. XIII.

Ichonographia Baſilicæ ſub Leone X. à Balthaſſare Peruzio excogitatæ. p. 71.

TAB. XIV.

Ichonographia Baſilicæ ab Antonio Sangallo excogitatæ. p. 74. n. 1.

TAB. XV.

Frons Baſilicæ Vaticanæ ab Antonio Sangallo delinata. p. 74. n. 2.

TAB. XVI.

Latus Baſilicæ, partes ejuſdem interiores, & exteriores oſtendens. p. 74. n. 3.

TAB. XVII.

Ichongraphia novæ Baſilicæ à Michaele Angelo Bonarota delineatæ. p. 76.

T A B. XVIII.

Deſcriptio Scenographica ejuſdem Baſilicæ à Michaele Angelo Bonarota delineatæ. p.77.

T A B. XIX.

Forma ejuſdem novæ Baſilicæ à Michaele Angelo Bonarota delineata. p.86.n.1.

T A B. XX.

Forma Baſilicæ, quam cum porticu itidem aperta excogitauit Eques Dominicus Fontana ſub Sixto V. p.86.n.2.

T A B. XXI.

Ichnographia Maximi Tholi Baſilicæ Vaticanæ à Sixto V. ædificati. p.86.n.3.

T A B. XXII.

Textura lignorum, ac trabium ad ſuſtinendum Tholi Fabricam. p.94.

T A B. XXIII.

Ichnographia maximi Tholi, in qua quatuor veluti contignationes ejuſdem indicantur. p.94.

T A B. XXIV.

Laternæ Tholo impoſitæ ſcenographica delineatio. p.96.

T A B. XXV.

Tholi maximi Scenographia, partes interiores, & exteriores oſtendens. p.87.

T A B. XXVI.

Ichnographia Laternæ maximo Tholo impoſitæ. p.98

T A B. XXVII.

Ichnographia Templi à Bonarota delineati cum additamento incæpto ſub Paulo V. p.103.

T A B. XXVIII.

Ichnographia Baſilicæ cum additamento Caroli Maderni ſub Paulo V. p.104.

T A B. XXIX.

Scenographica delineatio Baſilicæ cum additamento Pauli V. p.107.

T A B. XXX.

Ichnographia Baſilicæ ejuſdem, in qua indicantur Altaria. p.108.

T A B. XXXI.

Tumulus, quem Urbanus VIII. ædificari juſſit Comitiſſæ Mathildi. p.109.

T A B. XXXII.

Sepulchrum Gregorii XIII. Pont. Max. p.110.

T A B. XXXIII.

Sepulchrum Clementi X. erectum ab Eminentiſs. & Reverendiſs. Cardinali Palutio de Alteriis S.R.E. Camerario. p.112.

T A B XXXIV.

Sepulchrum Urbani VIII. ab Equite Laurentio Bernino extructum. p.112.

T A B. XXXV.

Sepulchrum Pauli III. Sum. Pont. p.112.

T A B. XXXVI.

Sepulchrum Alexandri VII. p.113.

T A B. XXXIX.

Quæ nulla deficiente, tali numero notata ex incuria Sculptoris, exhibet Sepulchrum Leonis XI. P. Max. p.117.

T A-

TAB. XL.

Sepulchrum æneum Innocentii VIII. Pont. Max. p.117.

TAB. XLI.

Idea Fontis pro Baptiſmate ab Equite Carolo Fontana concepta. p.126.n.1.

TAB. XLII.

Alia Fontis delineatio ejuſdem Auctoris. p.126.n.2.

TAB. XLIII.

Vas porphireticum æneis, aureiſque ornamentis ditatum pro ſacro Baptiſmate. p.126.n.3.

TAB. XLIV.

Cathedra Sancti Petri ab Equite Jo: Laurentio Bernino exornata ſub Alexandro VII. p.136.

TAB. XLV.

Confeſſio D. Petri à Martino Ferraboſco delineata. p.150.

TAB. XLVI.

Eadem Sacra Confeſſio marmoribus, & picturis exornata ſub Paulo V. p.150.

TAB. XLVII.

Ichnographia Cryptarum ſub Pavimento Baſilicæ. p.152.

TAB. XLVIII.

Ornamentum impoſitum D. Petri Confeſſioni ſub Paulo V. p.155.

TAB. XLIX.

Aenea moles qua D. Petri Aram Urbanus VIII. exornavit. p.158.n.1.

TAB. L.

Aenea moles, quam Eques Berninus imponere meditabatur Altari Divi Petri. p.158.n.2.

TAB. LI.

Aliud Ornamentum marmoreum, cum columnis vitineis antiquæ Baſilicæ. p.158.n.3.

TAB. LII.

Simulacrum Sanctæ Veronicæ à Franciſco Mocho exculptum. p.163.n.1.

TAB. LIII.

Simulacrum Sancti Longini Martyris ab Equite Laurentio Bernino exculptum. p.163.n.2.

TAB. LIV.

Simulacrum S. Elenæ ab Andrea Bolgio exculptæ. p.163.n.3.

TAB. LV.

Simulacrum S. Andreæ Apoſtoli à Franciſco du Queſnoy vulgò il Fiamingo *exculptum.* p.163.n.4.

TAB. LVI.

Ichnographia, & Scenographia loculamentorum, in quibus ſupradictæ Statuæ ſunt collocatæ. p.165.

TAB. LVII.

Facies interior Baſilicæ Vaticanæ, in qua januæ patent cum ornatu ab Innocentio X. addito. p.167.

TABULAE TRES. *Sub eodem numero ſignatæ, quæ Infantes marmoreos oſtentant, in paraſtatis anagliptico opere expreſſos juſſu Innocentii X.* p.167.

TA-

TAB. LVIII.

Ichnographia Porticus à Paulo V. ædificatæ. p.168.

TAB. LIX.

Porticus à Paulo V. extructæ, tùm inferioris, tùm ſuperioris Scenographica delineatio. p.168.n.2.

TAB. LX.

Ejuſdem porticus extremitas. p.168.n.3.

TAB. LXI.

Frons Templi, & Palatii Vaticani ſub Sixto V. delineata. p.174.

TAB. LXII.

Frons Baſilicæ Vaticanæ à Paulo V. ædificata. p.176.

TAB. LXIII.

In qua exprimitur Turris Campanaria à Carolo Maderno delineata, & alia duplex Turris à Martino Ferraboſco excogitata. p.178.

TAB. LXIV.

Turris Campanaria ab Equite Jo: Laurentio Bernino ſub Urbano VIII. excitata, & ſub Innocentio X. deſtructa. p.182.

TAB. LXV.

Alia Turris Campanaria ab Equite Franciſco Rainaldo delineata. p.184.

TAB. LXVI.

Frons Baſilicæ Vaticanæ cum Turri campanaria ab Equite Rainaldo delineata. Itidem alia à Cæſare Braccio excogitata. p.184.n.2.

TAB. LXVII.

Ichnographia Areæ Vaticanæ cum Porticibus duplici inflexione diſpoſitis ab Equite Franciſco Rainaldo. p.188.

TAB. LXVIII.

Idea Porticus, quam Eques Berninus moliri meditabatur in area Vaticana. p.188.n.2.

TAB. LXIX.

Delineatio Porticus ab Equite Bernino inventa. p.189.n.1.

TAB. LXX.

Alia ejuſdem Bernini Porticus Idea. p.189.n.2.

TAB. LXXI.

Ichnographia Porticus ante Baſilicam Vaticanam ab Equite Bernino extructa. p.189.n.3.

TAB. LXXII.

Partes ejuſdem Porticus cum menſuris. p.191.

TAB. LXXIII.

Fons à Paulo V. extructus in Area Vaticana, & ejuſdem fontis Ichnographia. p.195.

TAB. LXXIV.

Proſpectus lateralis antiquæ Baſilicæ, & locus ubi erat Obeliſcus ante Pontificatum Sixti V. p.197.

TAB. LXXV.

Obeliſcus Vaticanus à Sixto V. erectus in area Vaticana cum menſuris ejuſdem. p.206.

TAB.

TAB. LXXVI.
Orthographia lateris externi Baſilicæ Vaticanæ. p.208.n.1.
TAB. LXXVII.
Pars lateris exterioris Baſilicæ, cum ornatu, eiuſque menſuris. p.208.n.2.
TAB. LXXVIII.
Imago duplicis Tholi, cui Baſilicæ Sacella in navibus minoribus ſubjacent. p.209.
TAB. LXXIX.
Porta Palatii Vaticani à Martino Ferraboſco delineata. p.212.n.1.
TAB. LXXX.
Alia Palatii Vaticani Porta ab eodem Ferraboſco delineata. p.212.n.2.
TAB. LXXXI.
Porta Palatii Vaticani ſub Paulo V. extructa. p.212.n.3.
TAB. LXXXII.
Tranſverſa Scalarum delineatio cum Ichnographia earundem. p.214.n.1.
TAB. LXXXIII.
Proſpectus Scalæ Regiæ ab Equite Bernino extructæ ſub Alexandro VII. p.214.n.2.
TAB. LXXXIV.
Conſtantini Magni Imperatoris equo inſidentis ſimulacrum ab Equite Bernino exculptum. p.214.n.3.
TAB. LXXXV.
Ichnographia Palatii Vaticani ſub Sixto V. delineata. p.215.
TAB. LXXXVI.
Alia ejuſdem Palatii Ichnographia ſub Paulo V. delineata. p.225.

BEATISSIMO

PETRO

APOSTOLORUM PRINCIPI,

(1) Primo in Orbe Sacerdoti. (2) Venerabili Apoſtolicæ

Sedis Antiſtiti. (3) Totius Fidei Capiti

(4) Claviculario oſtii, quod Chriſtus eſt. (5) Chriſtianæ

Religionis Fundamento. (6) Chriſtianorum Conſiliario

(7) Ovium Chriſti Curatori Vicario

(8) Majeſtatis Apoſtolicæ Faſtigio. (9) Orbis Terrarum

Supremo Doctori. (10) Sancto, Beato, Prædicabili,

Et Adorando Apoſtolico Patri

Omni veneratione digniſſimo

(11) Fundamento magno Eccleſiæ, & Petræ ſolidiſſimæ,

Supra quam Chriſtus fundavit Eccleſiam,

(12) Ac Ædificii Eccleſiaſtici altitudo conſurgit,

TEMPLI VATICANI

Chronologicam enarrationem

Humillimus Cliens offert, ac dicat.

(1) Rabanus ad Paſchalem Pap.

(2) Auguſt. ep. 157.

(3) Philip. Legatus Cœleſtini P. in Conc. Epheſino.

(4) Ivo ſermon. de Cath. S. Petri.

(5) Chryſoſt. hom. 3. in act.

(6) Idem in Encom. SS. P. & P.

(7) S. Fulgent. ſerm. 57.

(8) Arnulphus Lexovien. ep. 21.

(9) S. Damaſcen. in hiſt. Barlaam c. 11.

(10) Theodoretus ad Hormiſdã.

(11) Orig. hom. 5. in exod.

(12) S. Aug ſerm. 15. de Sanctis.

QUIDQUID vel in Vaticanæ Baſilicæ molitione artifex manus operata eſt ſapienter, vel in eroganda argenti, aurique copia Pietas Pontificia longa annorum ſerie liberaliter effecit, compendioſo in volumine enarratum, rudique ſtylo licèt expreſſum, BEATISSIME APOSTOLORUM PRINCEPS, tuis pedibus advolutus, in infimo Pontificii Solii

gradu deponere non dubitavi. Opus quidem aggredior Sanctorum Patrum, Oratorum, ac Poëtarum encomiis clarum, trophæis auguſtum, vetuſtate venerabile, ac religione inclitum, ut ipſi vidimus, ut ex fida relatione Seniorum accepimus.

Opus, inquam, quo multorum Auctorum præeuntium arcana monumenta complecti conabor, vt Templi tui admirabilem majeſtatem omnium oculi intueri aliquo modo poſſint, remota quamvis regione ab eo diſſiti. Vehementer enim verendum erat, ne prçclariſſimarũ memoria rerum penitùs intercideret, & unà cum everſa veteris Baſilicæ mole, ſermonibuſque mortalium paulatim evaneſcens, niſi qualicunque ſtylo reviviſceret. Nec ab ullo illud quærere ſibi debuerat patrocinium, quam à Te [13] *omnium Arbitro*, [14] *ac Orbis Terrarum Magiſtro*. Quærant illud ab aliis, quorum valdè valere dignitatem credunt; Æquum eſt Te bonorum multorum largitorem à me agnoſci, qui tuæ gloriæ argumenta deſumpſi, ac propterea tuum opus, tuumque munus tibi acceptum referre, meaque ibi vota litare, vbi fixas primùm habui cogitationes. Dum igitur ad pedes tuos me totum depono BEATISSIME PATER, ac Pontificiæ tuæ ſublimitatis argumentum; non quidem de meo cenſu, ſed de ipſa Baſilica depromo, in aliquibus Pontificiis Numiſmatibus indicata; liceat illud uſurpare, quod in nummo à ſe cuſo Leo X. enunciauit, Templum Tibi offerens Vaticanum. *Petre, ecce Templum tuum*. Hanc enuncians epigraphem, nulla audaciæ nota videri poſſum reus, ac ſi tenuitatis meæ munus exile, totius Orbis, omniumque Eccleſiarum Capiti ſupremo voluerim offerre, & proprio veluti in diſco alienas opes depromere.

(13) Anaſt. in Præfat. ad vitam S. Jo. Eleemoſ.

(14) Chryſoſt. hom. de Petro, & Elia.

Tuæ ſunt diuitiæ quas produco, tua uniuerſa hæc gloria, quam in Baſilica Vaticana ſplendidiſſimè micantem gratulamur, & tribuendum cuique ſuum Iura omnia clamant. Tua, inquam, Vaticani Templi gloria, eo quòd Tibi à Conſtantino piiſſimo Imperatore

pri-

primùm dicatum, cæteri deinde Romani Antiſtites conſecrarunt, Tua inſuper, quia in ſolo erectum, quod antea Pontificiæ juriſdictionis exercitio propriam in ditionem redegeras, ſanguine deinde coëmeras, ac venerabili demum in ſepulchro depoſitus, pacifica poſſeſſione illud retinere declaraſti. Tua reſumo, cum ad tuæ ſacroſanctæ Baſilicæ deſcriptionem, ob obſequium erga te, meum calamum impuliſti, ac tuis munitus auſpiciis, ſtudium in ea exponenda collocavi.

Feci id ego pro viribus, ut *Apoſtolica hæc Aula* etiam abſentibus panderetur, quam admirabilem dixit Seraphicus Doctor Sanctus Bonaventura, Orbis miraculum & cæleſte refugium divinitus præſcriptum eruditiſſimus Baronius. Quod ſi Pontificio aliquo nomine inſcriptam intueri par erat, tuo profecto juſtius inſignitam, qui omnium Pontificum Primus, tanquam in Regia aula jura dicis Orbi Terrarum univerſo, & Vicaria Dei poteſtate tanquam *Deus in Terris* meritò dominaris.

Anaſt. in Leone IV.
In Vita S. Franciſci
In Martyr. 18. Novembris.
Gloſſa in Procem. Clement. & alii apud Rainaud.

Dum igitur Baſilicam toti Orbi Terrarum venerabilem reſero, quam ſanctiſſimo tuo nomini excitatam ingens quotidiè multitudo veneratur, in qua gloriæ tuæ temporale additamentum accedit, dum potentiſſimi, ac nobiliſſimi Reges, imò Imperii *Romani eminentiſſimum culmen* (ut cum S. Auguſtino loquar) *ad Sepulchrum Piſcatoris ſubmiſſo diademate ſupplicat, tuiſque pedibus rebellium, etiam cervices diademate decoratæ, ſeſe ſubiiciunt*, tuam bonitatem precor *Regni Cœlorum Janitor clementiſſime*, ut fidam æternæ vitæ ſtationem pandas, & ſicut tu doces hominem ſcientiam tanquam luminare majus, quod illuminat terram, latentem lucem manifeſtare digneris, qua ex Divino Agno Beatorum Regio præfulget.

Ep. 4. ad Madaurenſes.
Petr. Dam. ſerm. 26.
Nicolaus Monachus Ep. 7.

Tu ab humana captivitate me libera, qui *Peregrinantium Dux* omnibus viam ſalutis oſtendis. Gloriæ tuæ ſolium adivi, in mentem revocans, quod de Te ſacer hiſtoricus narrat, *Et ponebant infirmos ſuos, ut umbra ſaltem tranſeuntis Petri obumbraret eos*. Ibique nulla dubitatione agitatus ſpem erigo, cum S. Auguſtino inquiens.

Jo. Alexand. ad Eug. 10.

Si tunc opem ferre poterat umbra corporis, quantò magis nunc plenitudo virtutis, ſi tunc ſupplicantibus proderat aura quædam pertranſeuntis, quantò magis gratia nunc permanentis. Si ad præſidia ſupplicantium, tam potens fuit ante Martyrium, quantò magis efficax poſt Triumphum?

Dum igitur hiſce in paginis de Vaticana Baſilica acturus, triumphalem veluti Sedem exponam, in qua Tibi mortalium obſequia deferuntur, meos qualeſcunque labores dico, & humillimi Clientis preces ne deſpicias demiſſiſſime poſtulo.

ILLUSTRISSIMO PRAESULI

JOANNI CIAMPINO
R O M A N O

PRÆFATIO, ET CAPUT I.

Qua occaſione, quove conſilio ſcriptus hìc Liber. Ejus Argumentum, & Auctoris intentio.

PAUCIS me præfari oportet, & Tibi Illuſtriſſime Præſul, ſuſcepti operis rationem reddere. Poſtquam Pontificiorum Numiſmatum accuratam indaginem, præſertim, quæ à Martini V. tempore ad noſtram uſque ætatem prodiere, tuo conſilio, ſeu potiùs dicam juſſu incæperam, ea occupatus, ejus generis multa recognovi, quibus Vaticanæ Baſilicæ moles diverſis temporibus extructa exprimebatur (ſunt enim Numiſmata expreſſæ hiſtoriæ, longè meliores, quàm quæ calamo deſcribuntur). Hæc dum peculiari obſervatione adnotarem, prout ſingula monebant, ut ea publici juris facerem, iiſque ſacræ antiquitatis ſtudioſis pabulum non ingratum offerrem, animadverti, ſi ea ſola, & diſperſa prodiiſſent, futurum, ut tanquam mutila, & detruncata membra, è ſolido corpore abſtracta, viderentur.

Quamobrem ejuſdem fabricæ quodammodo ætatem veluti in chronologicis tabulis indicatam advertens, cupido inceſſit ſingula quæque ad eam ſpectantia intimè perluſtrandi, omneſque magni nominis viros, qui operam ſuam in ea potiſſimum extruenda collocarunt; opes inſuper erogatas, lapidum, argenti, aurique ornamenta, quibus obſequium ſuum erga Apoſtolorum Principem Sanctiſſimi Romani Pontifices conati ſunt univerſo terrarum Orbi ſignificare. Itaque, quod ædificantibus ſolet accidere, ut deſtinati ſumptus majori ſtructuræ acceſſione augeantur, ſic mihi, amplificato rerum cumulo, factum eſt prolixioris operæ incrementum.

Deterrebat animum variæ molis opus, arcebat ingentis operis labor, & ob id maximè, quòd ſcirem, ejuſmodi laborem me ſubiturum, in quo doctiſſimos Viros eximia cum laude deſudaſſe cognoveram. Scripſerunt enim de Vaticana Baſilica Auctores permulti: quorum præcipui Romanus Canonicus, ſeu veriùs dicam Petrus Mallius, Maffæus Veggius, Onuphrius Panvinus, & Tyberius Alpharanus; at non omnia horum ſcripta ſunt typis excuſa. Edidit Romæ anno 1646. Paulus de Angelis deſcriptionem veteris Baſilicæ, à ſupradicto Romano Canonico exaratam, cui ſuas annotationes addidit, & breviſſimam novi Templi enarrationem, cum utriuſque Ichnographia. Qui Auctor in epiſtola ad Lectorem ait [Semper in animo ſuo deſi-

derium

„ derium habuiſſe nonnulla de Principis Apoſtolorum Divi PETRI in
„ Vaticano Baſilica tradere, non ut alii quidam, qui ſine ullo ordine de
„ eadem locuti ſunt, ſed nec rerum, & temporum ordine diligenter ſer-
„ vato, & veritatis fide ſanctiſſimè cuſtodita. Et quia cum de hac re cogi-
„ taret Meſſanæ inciderit in deſcriptionem hujus Baſilicæ, editam tempore
„ Eugenii IV. ab Romano ejuſdem Baſilicæ Canonico, illum ſe eſſe ſequu-
„ tum affirmat; diligentiore rerum, ad eandem Baſilicam pertinentium, col-
„ lectione illi libenter relicta, quem in eam curam jamdiù incumbere in
„ hac Urbe pro certo habebat] Quiſnam ille fuerit adeò accuratus ſcriptor omninò tacet, nec mea poſſum aſſequi conjectura.

Poſtquam, diſiecta vetus Baſilica, quæ adhuc ſuperſtes erat ſub Paulo V. nobiliſſimum novi Templi additamentum fecerat magnanimus Pontifex, molis præſtantiam admiratus Martinus Ferraboſcus, ab eodem Pontifice Vaticanis Quirinalibuſque Fontibus Præfectus, ſingula vaſti illius corporis membra accuratè delineata, ære diligenter exprimenda curavit, auctore conſilii præcipuè, & ſuis opibus rem juvante Illuſtriſs. D. Joanne Baptiſta Coſtaguto ſeniore, Pontificiæ Domus Præfecto, viro ad benè merendum de bonarum Artium ſtudiis, naturæ bonitate, & diuturna exercitatione formato, totumque opus, & partes ſingulas eſt ea ratione complexus. Cum verò Ferraboſchi typos incomptos prodire, Pontifici neutiquam probaretur, ejus nutu Ferdinandus Carolus Parmenſis cognomine dictus *Gianfattore*, in Vaticanum accitus, ex inſigni Vaticana Bibliotheca ſupellectilem haud exiguam ex plurimorum Auctorum obſervatione diu, noctuque ſollicitè augebat, ut illos explicaret eruditè, atque opus in hominum ora ea ſpecie produceretur, quæ auguſtam Templi majeſtatem haud omninò dedeceret. Imprimebat ille anno 1622. primum ex tribus voluminibus, quæ ſcripſerat ſacra eruditione plena, at morte è vivis ſublatus opus non abſolvit, ſimulque cum illo ejus ſcripta periere. Superſunt tamen aliqua fragmenta ad veterem Baſilicam ſpectantia ſummo ſtudio ab Equite Carolo de Puteo collecta, quorum pauca ſuis locis inſeremus.

Leo Allacius de Viris illuſtr. pag. 93.

Multa edidit Joannes Severanus agens de ſeptem Urbis Eccleſijs, multa Franciſcus Maria Turrigius, & Pompeus Ugonius: quamplurima etiam de eadem eruditiſſimo tuo calamo Illuſtriſs. Præſul exaraſti in opere de ſacris ædificiis, à Conſtantino Magno conſtructis; & nuperrimè Eques Carolus Fontana deputatus ejuſdem Templi Architectus opus edidit, in quo illud tabulis æneis oculis ſubjecit eleganter expreſſum; verùm quia non omnia, quæ ad Baſilicæ fabricam ſpectant, quiſque eorum complexus eſt, ſervato ætatum ordine (ut deſideravit ſupradictus Paulus de Angelis) ſed, aut breviter indicata, cum pleriſque aliis permixta, quæ vel ad diverſi generis hiſtorias, vel ad Architecturæ operationes pertinent, animum induxi, ut accuratè (licèt poſtremus, & in eorum numerum, qui eruditione præditi hanc ætatem condecorant, minimè enumerandus) perveſtigatis, deſignatiſque ſingillatim ejus Baſilicæ partibus, ac ſervata in ſingulis temporum omnium periodo, prout aſſequi poſſem, ſeparato volumine multa comprehenderem, ex quibus Templum Vaticanum à prima origine ad noſtra uſque tempora deductum, inſpici poſſet; & quamvis Romanæ Eccleſiæ hoſtes infeſtiſſimi

illud

illud devaſtare pluries ſtuduerint, firmiùs è vulneribus, ex ignibus illuſtrius, nobilius è ruinis idem ſurrexiſſe videretur.

Humanas quippè vices frequentiſſimè illud perpeſſum eſſe pro comperto habemus, at nunc pulchrius ſe, qua multa antè ſæcula ſplendeſcere. Romani enim Pontifices poſt Ethnicorum everſiones, atque incendia, plurimi numerantur, qui de reſtituenda, excolendaque hac Baſilica contenderunt, &, nulla interrupta eorum ſerie, ſplendorem illi, ac majeſtatem adjicere conati ſunt, quà marmoreis, quà picturatis, quà inauratis ex metallo ornamentis, ut jam non Roma rantùm ſuſpiciat, ſed Orbis admirabundus hujus excelſæ molis excellentiam, & illud aptari poſſit præconium, quod olim de ipſo Hieroſolymæ Templo ab Aggæo Propheta prolatum eſt, videlicet: MAGNA ERIT GLORIA DOMUS ISTIUS NOVISSIMAE.

Nec à ſolis Viris Architectonicæ Artis peritiſſimis agendum eſſe de fabricis ſum arbitratus, ut in ſuis paginis peritus Auctor affirmavit, exemplo enim prævere duo illa noſtræ Societatis lumina Pradus, & Villalpandus, quorum calamo Templum Hieroſolymitanum ex tot ſæculorum caligine claram in lucem eſt fœlici contentione productum; meumque calamum incitaverunt, ut in Beatiſſimi Cœlorum Janitoris venerationem, Opuſculum conficerem, quo ea tantùm comprehenderem monimenta, quæ ad ſolam ejus fabricam ſpectantia, & penè omninò deperdita, meo conatui licuit epiſcari, ut ſi minus pro dignitate expreſſa, lævi ſaltem deſcriptione adumbrata ſpecies Baſilicæ toto quondam Orbe terrarum inclytæ tranſmittatur ad poſteros. Fontan. Pag. 3.

Hac de cauſa, & veteris aream Baſilicæ, ejus figuram, partes præcipuas, Architecturæ modum, Auctores, per quos erecta, & reſtituta, tempora, per quæ ſtetit, aut eſſe deſiit, illius proſpectus varios, & quæcunque memoratu digna, vel interiere, vel ſuperſunt, complectar, illa tamen veriùs attingam, quam penè innumera numerabo. Hiſtoriam enim nimis prolixam contexere opus eſſet (inquit Joannes Severanus) *Si omnia, & ſingula deſcribenda eſſent, quæ ad Vaticanæ Baſilicæ ſtructuram ſpectant, ſervata temporum omnium exacta periodo.* Qua de cauſa ea tantùm delibavit Auctor iſte præclarus, quæ in ſuis ſcriptis recenſuerat Alpharanus. Pag. 47.

Quis autem omnia antiquitatis monumenta perſcrutari valet, ſeu marmoreis in tabulis illa fuerint, ſeu M. S. codicibus conſignata? Miramur enim rerum humanarum viciſſitudinem, & rerum quantumvis egregiarum jacturam, ac fluxarum ætatum damna, quibus vel ipſi æternitati quodammodò excitatæ ab Antiquis fabricæ, nomen etiam perdidere, ut proindè Poetæ Epiphonema conveniat, relatum ab eruditiſſimo Fabretto ejuſdem Baſilicæ Canonico, videlicet: De Aquis num. 5.

Così ſe bene un tempo al Tempo guerra
Fanno l'opre famoſe, a paſſo lento
E l'opre, e i nomi inſieme il Tempo atterra.

Quamobrem in eiſdem *juſtiſſimo caſu obliteratos fuiſſe tantæ vanitatis Auctores*, exclamat Plinius; ſed indignius multarum rerum fama ſilentio Scriptorum prorſus evanuit. Et ne ab ipſa Vaticana mole diſcedamus, conquæri cum Maffeo Veggio meritò poſſumus, qui dixit, *ſe multa non potuiſſe inve-* Hiſt. lib. 36. cap. 7. Lib. 4.

invenire, nam tot ex iis, quæ ad Baſilicam pertinebant, deperierunt, ut dolendum ſit, quantum vel negligentia, vel malignitas hominum omnia conſumat, omnia deleat, & conficiat.

Cum ergò ejus Baſilicæ ætatem, qua in hoc uſque tempus magnificentiſſimè adolevit, Pontificum Numiſmata proponant, illa hiſce in paginis proferam, in unam ſeriem collectis lineamentis, quæ diſperſa, & ſeparata profuſiori in Opere de Numiſmatibus Pontificiis proferre debuiſſem, ſimul cum locis è probatorum Scriptorum monimentis acceptis, quorum ope omnia exarata, meiſque inſuper oculis, vel in manuſcriptis fide dignis, vel in marmoribus recognita fuerunt, cum licuit; ut nihil vel adderem, vel minuerem, quod non veritate conſtaret, aut pravo affectu ductus, aut negligentia reus, quemadmodum ſcimus ab aliquibus factitari.

MS. lib. 5. „ [Inter omnes enim artes (ait Maffeus Veggius) duas tantùm ab imperitiſſimis, viliſſimiſque quibuſque, quaſi violenter injecta manu, neſcio qua infelicitate uſurpari, quotidiè conſpicimus, Medicinam ſcilicet, & Hiſtoriam, ut ſicut neminem non Ruſticum, aut Stabularium, aut Circulatorem, aut viliſſimam etiam quamvis Mulierculam videmus medendi aliqua præcepta, quibus omnem bonam valetudinem polliceatur, ſemper in promptu habere; ità qui de re aliqua geſta ſunt, ſacra, ſeu prophana loqui præſumat, audaciter id affirmat, ac ſi oculis conſpexerit, ut nec ullus ſit jam Nauta, nec Caupo, nec Tonſor, nec Scurra, nec balbutiens ulla jam anicula, cui narrandæ magnæ alicujus rei geſtæ ingens animus deſit. Peccat enim graviter quiſquis ea, quæ nunquam geſta fuerint non erubeſcit litteris mandare]. Hactenus Veggius.

Itaque Numiſmata, quæ ad Vaticanam Baſilicam ſpectant, fideliſſimè declaraturus (Præſul Illuſtriſſime) methodum, qua labores meos comprehendam Tibi breviter indico, ut ſi me in aliquibus defeciſſe animadverteris, Tua, qua præditus es humanitate, errores meæ voluntati non tribuas, ſed vaſtæ Operis moli, in breviſſimam Epitomen, quinque tantummodò menſium ſpatio, & horis quidem ſucceſſivis coarctatæ; notitiarum inſuper inopiæ, quæ ad perfectum Opus conferre potuiſſent, aut è publicis monimentis abraſæ, aut imperviis Archivorum latebris penitùs conſepultæ. Quod, ut Tua gratificandi percupida indole libentiùs peragere valeas, paucis Te monitum cupio.

Et primò, me alienis opibus divitem nullo prorſus modò cenſeri velle, ſi quà ab aliis relata neceſsè fuerit adducere; aut æneis in tabulis delineata, Epit. ann. epiſt. ad Lector. iterùm à me exarata proferre. Utar enim verbis eruditiſſimi Spondani, videlicet: *Quæ excerpimus, è libris publicis habuimus. Quæ publica ſunt, nullius ſunt, ſed fiunt occupantium, nec ad aliud, qui pecuniam ſpargit in vulgus, id agit, quam, ut fiat arripientis.* Qui partes agit Hiſtorici, ea, quæ fuerunt oculis legentium exponit; ſecùs Pictor, & Poeta ea ſæpè, quæ poſſunt eſſe, conantur exprimere. Dum in meis Chronologicis enarrationibus Templi Vaticani partes delineatas depromere neceſsè erit, eas, prout vel exiſtunt, vel extiterint, repræſentabo, è publicis prototypis acceptas, ut conſideranti patebit.

Secundò, in recenſendis Pontificum operibus, qui Baſilicam illuſtrarunt, ubi

ubi de tempore dubitavero, quo ea peracta ſint, annos adducam; quibus quiſque eorum Eccleſiæ regimini præerat.

Tertiò, Numiſmata indicabo, quæ fabricæ Vaticanæ argumentum ſuppeditabunt, multis rejectis, quibus Numiſmata ipſa clariùs poſſent illuſtrari, videlicet eorum forma, magnitudine, anno, quo cuſa fuerunt, à quibus inſuper delineata, quæ omnia (Deo dante) in uberiori, quam paro, tractatione Numiſmatum, quæ ad Pontifices Romanos ſpectant, iterùm reſumam, ne quid deſit, ad omnimodam eorumdem Hiſtoriam exponendam.

Quartò, in adducendis fabricæ menſuris aliorum ſententias referam, qui illas accuratè à ſe deprehenſas in ſuis paginis aſſeruerunt; quamvis enim Romæ degens Baſilicam adire pro libito valuerim, totam ejus vaſtiſſimam molem ulnis, ſeu decempeda ad amuſſim recognoſcere, temporis anguſtiæ, improbuſque labor, non unico perficiendus adjutore, vetarunt. Quorum omnium ordinem, atque rationes, ità exequar, ut in alienis dictis confutandis, quando id nonnunquam accidet, parcus neminem lædam, in firmandis propriis, graviſſimos Auctores ſequar, nihilque prætermittam, ut veras, certaſque origines, tempora, & eventus proferam, & Sanctiſſimo Templo aliquid venerationis ob veritatem apud venturas ætates accedat.

Quod ſi ſcribendi ſtylum in aliquibus claudicare, & à latini ſermonis puritate deflectere animadverteris, ſcias me alienis potiùs verbis multotiès uſurum, quàm propriis, ut ſine fucis nuda veritas eluceſcat, nihilque depravatas ſtylo elegantiori, aliorum Auctorum enarrationes oculis legentium fideliter ſubiiciam; ſicque teſſellata quodammodò compoſitione, ex diverſis velutì diſcoloribus lapillis, elegantiſſimum opus emanaturum putavi, quo Vaticana Baſilica ad vivum exprimeretur.

Illud demùm Tibi expono, me conſiliis Tuis libenter paruiſſe, in hac diſſertatione publico juri tradenda, nempè ut velutì Prodromus luculentiori Numiſmatum tractationi præiret, ad quæ illuſtranda multiplici eruditione anno ſuperiori animum adjeci, ejuſdemque defectibus recognitis, futuros errores vitare poſſem, quibus mortales ſubiiciuntur, quos inter, licèt invitus, *quandoque bonus dormitat Homerus*.

Cæterùm in Chronologica narratione texenda à verbis abſtinebo ſupervàcaneis, nec oratorium ſtylum proſequutus, planam comparabo lectionem, ut ſine temporis pretioſi jactura, maturos potius fructus, quàm frondium inutilem apparatum oculus inſpiciat, interjectis, ubi opus erit, æneis tabulis, in quibus Baſilicæ delineamenta exprimantur per ortographiam, vel ex ſciographia oſtendatur proſpectus exterior, vel interior ſcenographiæ beneficio aperiatur. Poſt enim multa volumina evoluta, ex iis diligenter excerpere cœpi, quæcunque diſperſa latebant, in diverſarum rerum congerie, & ad propoſitum argumentum ſpectare viſa ſunt, ut iis, quaſi lapidibus ejus, è ruderibus ſimul compactis, ac in primævo ſitu collocatis, antiqua iterù exurgeret Vaticanæ Baſilicæ fabrica, & novam cum veteri, longè magnificentiorem oculus compararet.

In hoc peragendo meam erga Te obſervantiam aliquomodo ſignificari poſſe exiſtimavi, qua Te non ſolùm illiterati, ſed eruditiſſimi Viri, toto

penè Orbe Româ diſſiti, ac Religione remoti, arcanis modis attracti proſequuntur. Harum magneticarum Virium cauſas, quibus polles, hìc exponere ſi vellem, deficeret calamus, ac Tua modeſtia vetaret. Satis illas indicant volumina, à Te bonarum Artium Promotore præclaro per totam Europam diſperſa, ſatis liberales Facultates, quæ Tibi in dies gratulantur, quòd ſplendidam ſedem obtinuerint, non in Muſæo tantùm ædium tuarum, ſed quod rarum eſt, ac pretioſius, in mente Tua, recentium, veterumque Auctorum doctrinam fœliciter hauriendo retinente in publicam utilitatem; & quamvis negotijs publicis aſſiduè detentus, ab eruditiſſimis ſtudiis nunquam animum abſtrahis, ex quibus omnes intelligunt ejus levamen in litterario labore; quietem in eruditis vigiliis, ſolatium in bonis artibus Te ſemper invenire. Satis denique volumen illud in Urbe Firmana hoc anno impreſſum, cui titulus eſt: *Il merito applaudito, e gli applauſi premiati*, quo Doctor Ferdinandus Fabianus laudes Tuas comprehendit, quibus Scriptores hujus ætatis quamplurimi, ac Viri varia eruditione præclari ſuas paginas cumularunt. Quamobrem dum de Te à ſe edito Roma gratulatur, nil ultrà
Fig. 1. addam, ſed Vaticanæ Baſilicæ deſcriptionem exordior. Et primò in hac ſequenti Tabula Numiſmata expono, quæ ad eamdem pertinent, ſervata Pontificum ſerie, quorum auctoritate, ſeu auſpiciis prodierunt in lucem, ſingula deindè luculenter explicaturus, quæ in eiſdem breviſſima epigraphe, ac rerum expreſſione ſuboſcurè indicantur.

C A P U T II.

De Vaticano Colle, ac Baſilica à Conſtantino Imperatore primùm in eo excitata.

PRIMO igitur, ut gradatim, claraque cum methodo procedamus, ab antiquo Templo exordiamur neceſsè eſt, quod in Divi PETRI Apoſtolorum Principis honorem Conſtantinus Imperator in Vaticano Campo excitavit. Erat hìc olim, quamvis triumphalis viæ terminus exiſteret, Incolis, præſertim pauperibus, aeris inſalubritate odibilis, ut pluribus in locis Martialis innuit, cui Ammianus quoque Marcellinus ſubſcribit de Lampridio Urbis Præfecto loquens. Quapropter Tacitus de quodam Vitellii Milite ſermonem inſtituens, infamem Vaticanum appellat. Verùm perantiquo adhuc retento nomine, omine tamen in melius commutato, Venerabilis dicendus eſt Collis Vaticanus, ac Populorum omnium laudibus celebrandus, qui non ſolùm Ethnicorum turpia dedecora excuſſit, ſed prophanum ſolùm in Principis Apoſtolorum obſequium præbuit, ut reliquorum Urbis Collium famam nobiliori titulo, & ſingulari gloriæ decore ſuperavit. Ubi enim aer inſuavis procul Romanos Cives arcebat, ibi PETRI Succeſſores Sedem firmarunt, & ſacris veræ Religionis functionibus expiatus, admodum ſalubris incolentibus evaſit. Ibi loco triumphalium Curruum, qui in Regiis ludis ab ipſis Romanis Imperatoribus per eum agrum ducebantur, potentiſſimi nunc Reges, invictiſſimique

Cæſares

PONTIFICVM ROMANORVM NVMISMATA TEMPLI VATICANI FABRICAM CHRONOLOGICAM INDICANTIA



Hieronymus Frezza incid.

Cæſares aurea ſceptra, & diademata ab ipſis Pontificibus Romanis accipiunt, & ex omni Terrarum Orbis plaga adventantes, ſuppliciter humi ſtrati, oſculis ſacrum PETRI tumulum lambunt, ſeque ſuaque Regna venerabundi Vaticanæ Sedi offerunt, cæterique omnes nullo labori parcentes è remotiſſimis regionibus accedunt, ſacra limina veneraturi. Hìc loco veteris ſuperſtitionis, ob quam inanes Dii Vaticinia proferebant, Suprema Apoſtolica Sedes locata eſt, ex qua veri Dei Vicarius infallibilia univerſi Orbis Fidelibus promulgat oracula. Hìc demùm pro Circenſibus ludis, in quibus inſani populi clamores conſtrepebant, ſuaviſſimis canticis Deum laudantes perſonant, non in Apollinis, ſeu Martis Fano, non in Caij circo, ſeu Neronis theatro, ſed in ſacra Divi PETRI Baſilica, in qua accedentium auribus illud reor poſſe repeti effatum, quod olim Moyſi: *Locus enim, in quo ſtas, Terra Sancta eſt.* Vel quod Jacob Iſraelitarum Patriarcha pronunciavit: *Non eſt hìc aliud, niſi Domus Dei, & Porta Cœli.* Exod. 3. Gen. 26.

His perbreviter adnotatis, ad Baſilicam perluſtrandam properemus. Itaque poſtquam Conſtantinus Imperator ſacro Fontis latice à lepra, culparumque ſordibus mundatus fuerat, Templa vero Numini erigendi facultatem Chriſti-fidelibus indulſit, atque, ut ipſe omnibus præiret exemplo, celeberrimum ſpectaculis Circum demolitus (ut ubi falſa Apollinis vaticinia reſonabant, infallibilia Divi PETRI oracula enunciarentur) ſpectabilem Molem excitavit eo in loco, in quo ejuſdem Apoſtoli Corpus fuerat ſepultum à Sancto Anacleto Pontifice, de quo ſcripſit Sanctus Damaſus: *Hìc memoriam Beati PETRI conſtruxit, & compoſuit, cum Presbyter ordinatus fuiſſet à Beato PETRO, ubi Epiſcoporum corpora in ſepultura reconderentur.* Eamque Cœmeterii partem concluſit piiſſimus Imperator, quæ cæteris dignitate præſtabat. Fuerat hæc Beati PETRI Confeſſio, ſive Oratorium, Sedes prima Pontificis, ad quam Fideles conveniebant, ut narrat Tyberius Alpharanus Sixti V. coævus, antiquæ Vaticanæ Baſilicæ accuratiſſimus Scriptor, deindè ejuſdem Beatiſſimi Apoſtoli ſepulchrum, quod omnium Pontificum Sanctitate conſpicuorum, ac Martyrum invictiſſimorum Corpora juxtà Apoſtolorum Principem recondita, velutì Eccleſiæ Romanæ theſaurus continebat.

Die octava poſt ſuſceptum Baptiſma circa annum 324. ſupplex ad Beati PETRI Confeſſionem accedens, ibidem Imperiali depoſito diademate, Regia exutus clamyde, perſolutis Deo votis, fabricæ inchoandæ omnium primus manus admovit, ſiquidem ſceptri vice ligone deſumpto ſolum effodit, & in Sanctorum duodecim Apoſtolorum honorem, duodecim terræ cophinos auguſtis humeris aſportavit. Longè quidem Veſpaſiano glorioſior, qui, ut ex Svetonio accepimus, reſtitutionem Capitolii aggreſſus, ruderibus purgandis manus primus admovit, ac ſuo collo quædam extulit, quæ omnia Sancti Silveſtri acta MS. Vaticana teſtantur apud Baronium, & cum Baronio quamplurimi. Anno 324. Teſtantur inſuper hanc Fundationem contra Romanæ Eccleſiæ invidioſos detractores, ænea Numiſmata, quæ ſub Paulo V. anno 1607. in area antiqui Templi reperta fuere, cum Imagine Salvatoris, & in oppoſita parte cum imaginibus Conſtantini, ac Helenæ ſignum crucis manibus ſtringentium. Alia itidem Numiſmata confirmant, ſub

Urbano VIII. inventa circa annum 1628. cum effigie Magni Conſtantini, & Crucis Dominicæ ſigno, quando jacta fuerunt fundamenta ad collocandas ſupra Confeſſionem quatuor columnas æreas, quas ſuo loco referemus, ut narrat Turrigius. Teſtantur inſuper duo illa carmina litteris ex muſivo expreſſa in veteri Tribuna, ex qua, antequam penitùs deſtrueretur, poſteritati tradidit Andreas Fulvius lib. 2. Antiquitatum cap. 10. ſic:

Pag. 62. de cryp. Vatic.

Quòd duce Te mundus ſurrexit in aſtra triumphans,
Hanc Conſtantinus Victor tibi condidit Aulam.

Teſtantur denique magni lateres in antiquorum parietum demolitione occaſione nouæ fabricæ inventi, viſique à Baronio, ut idem ſcribit in appendice tomi 3. & refert Turrigius in cryptis Vaticanis, in quibus Conſtantini nomen impreſſum erat, juxtà morem antiquum obſignandi lateres, ac tegulas, de quibus agit Illuſtriſs. Ciampinus cap. 4. De ſac. ædif. Flavius Blondus lib. 2. cap. 12. De Roma inſtaurata, Octavius Falconerius in Epiſt. ad Carolum Dati impreſſa in appendice Operis, quod Italicè De Roma veteri vulgavit Famianus Nardinus.


Pag. 448.

Verùm feſtinato, vaſtoque operi pro majeſtate firmitas haud inerat adverſus ævi ſequentis injurias; cum rudis illo ſæculo ars ædificandi haud quaquam par fuerit ſoliditati operis in ſæcula perennaturi. Ipſa quin etiam cæmenta ex Circi, aliarumque adjacentium ædificationum ruinis fortuitò feſtinantibus oblata, dùm Baſilicæ opus urgeretur, apſidis laterum, & frontis ſtructuram minùs arcto nexu cohærentem, infirmam reddidere. Celeri autem, & rudi opere ædificationem illam eſſe perfectam ipſæ columnarum baſes, & capitula partim imperfecta, partim ab ipſis columnis proportione, & ordine diſcrepantia, Zophori etiam ipſi, & Coronices, ac Epiſtylia declarant, undique accepta nullo, aut parvo delectu.

Hujus Vaticanæ Baſilicæ à Conſtantino erectæ Ichnographia extat in Archivo ejuſdem ab Alpharano primùm circa annum 1590. delineata, & à pluribus Auctoribus ſuis in operibus, ſed non ab omnibus juxtà prototypum exactè expreſſa, fortaſsè Pictorum incuria. Vulgavit illam anno 1620. Severanus in libro De Septem Urbis Eccleſiis, vulgavit anno 1677. Auguſtinus Oldoinus Societatis Jeſu in tomo 1. ſuarum additionum ad res geſtas Pontificum Romanorum; extat à Martino Ferraboſco anno 1620. exculpta in Opere typis dato ab Illuſtriſs. Præſule Joanne Baptiſta Coſtaguto ſeniore Cameræ Pontificiæ Præfecto ſub Paulo V., deindè anno 1693. Illuſtriſs. Ciampinus retulit in cap. 4. Operis De ſacris ædificiis. Demùm anno ſuperiori Eques Carolus Fontana lib. 2. cap. 10. de Templo Vaticano cum ſuis additionibus delineavit.

Non tamen ſupervacaneum putò illam in noſtris paginis iterùm adducere, quandoquidem diverſa methodo à ſupracitatis præclariſſimis Auctoribus in hac Templi Vaticani Chronologia conſcribenda procedam. Non enim omnia, quæ ad talem Ichnographiam ſpectant ſimul exponam, veluti lautiſſimæ menſæ copioſa edulia, quæ potiùs faſtidio ſunt aſſidentibus, ſed gradatim, omnes ejus partes indigitando, ut evitetur confuſio, & legentium curioſitati abundè ſatisfiat. Illam è prototypo mutuatam huc affero, in qua fabricæ partes, & quidem internas à piiſſimo Imperatore primùm extructæ

expri-



Auctor del. et sculp.

exprimuntur, eamque iterùm adducam, ut quidquid Conſtantinianæ Baſilicæ Summi Pontifices Romani ſucceſſivè addiderunt, dilucidè appareat.

Conſtabat igitur Baſilica à Conſtantino extructa, ſex navibus in formam crucis diſpoſitis, &, ut ait Maffeus Veggius lib. 1. centum marmoreis, nobilibuſque columnis ſublimis, & quidem earum media A omnium ampliſſima in longum producta veluti crucis haſtam efformabat; bracchia verò alia tranſverſa B, in cujus medio caput exprimebat Apſis C ſemicycli formam habens. Quatuor aliæ DE mediæ navi hincindè diſpoſitæ conjungebantur. Pedem inſuper crucis Atrium quadriporticum H adumbrabat. Vocabatur autem ob hanc ſtructuræ formam Baſilica, quæ vox etſi à Gentilibus accepta videatur, non abhorret tamen à ſacrarum litterarum phraſi, cum legamus lib. 2. Paralip. 4. num. 9. atrium illud majus Templi Salomonis Baſilicam nominari. Apud Romanos tamen non fuit Templorum porticus, ſed domus ampla columnis ſubnixa, in qua teſte Plutarco, Jus dicebant, eratque in foro (ut apparet ex lib. 4. act. in ver. Cic.) Fiebant item in ea concilia privata, judicia, arbitria, interdiu etiam convivia, ſaltationes, & ludi. Quod verò pertinet ad Baſilicæ ſtructuram, cum non una eſſet, ſed plures, ſimul jungebantur in longum porticibus, quæ columnis incumbebant, æquo inter ſe intervallo diſtantibus, ut conſtat ex Vitruvio. Nec verò in uno tantùm erant foro, ſed in multis, & hyeme potiſſimùm publicæ in ipſis habebantur conciones, & negotiatorum conventus; & quidem in ſuperiori parte judicia, in inferiori negotia exercebantur. Judicia in eis exerceri ſolita duo inſignes oſtendunt Auctores Seneca, & Plinius, ille lib. 3. De ira cap. 33. hìc autem lib. epiſt. 5. epiſt. poſtrema; & hæc de Baſilicis publicis dicta ſint, quas conſtat loca fuiſſe ampla, & publicis uſibus accommodata.

Fig. 2.

In Cat. Vticen.

Libr. 5. cap. 3.

Cum autem Chriſti Religio propagaretur Baſilicæ illæ Gentilium in Eccleſias, & ad ſacros uſus convertebantur, nomine retento, licèt Valfridus Strabo cap. 6. de rebus Eccleſiaſt. dicat quod Baſilicæ priùs vocarentur Regum habitacula, nunc Divina Templa dicantur, quia ibi Regi omnium Deo cultus, & ſacrificia offeruntur, niſi malimus dicere cum Auſonio Gallo, Baſilicas olim negotiis plenas, nunc votis, & Chriſti-fideles in his negotiari de his, quæ ad animi ſalutem ſpectant, quæ vera ſunt, ac ſolida negotia. Erant etiam & privatorum Baſilicæ ad inambulandum exædificatæ, & magno ſumpto ornatæ, quarum meminit S. Hieronymus epiſt. ad Marcell. de his plura apud Lælium Biſciolam.

Hor. Subſeciu. lib. 12 cap. 10.

Itaque Conſtantinus, juxta morem ejus temporis, Baſilicam ſuam erexit in eam formam diſpoſitam, non ſervatis ad amuſſim regulis, quibus juxtà morem antiquum Baſilicas erigendas eſſe poſteà docuit Leo Baptiſta Albertus de re ædificatoria: *Baſilicas enim*, ait ille, *aream habere oportet ità comparatam, ut ſit earum longitudo ad latitudinem dupla. Latitudo areæ dividetur in partes novem, ex quibus dabuntur quinque ambulationi mediæ, ſingulis autem porticibus binæ. Tùm & longitudo itidem in partes dividetur novem, ex his una dabitur ſinui tribunali, amplitudini verò tribunalis in faucibus dabuntur duæ, &c.* His regulis neglectis (quas tamen apud antiquos in uſu fuiſſe incertum eſt) Conſtantinus Baſilicam ædificavit in modum crucis, ut indicatum eſt; non ſine arcano Chriſtianæ pietatis documento, ait

Lib. 7. c. 14.

De ſeptem Eccl. pag. 37.

ait Joannes Severanus; quandoquidem piiſſimus Imperator, ſalutifero Crucis ſigno auſpicante, Victoriam è Maxentio retulit, ſicuti in patibulo, ad crucis formam compoſito, tamquam in curru triumphali Apoſtolorum Princeps Romanos immò totius Orbis Infideles profligavit.

Apud Nardinum lib. 7. cap. 13.

Jacobus Grimaldus in ſuis MS. hæc addidit: Antiquæ Vaticanæ Baſilicæ à Conſtantino Maximo fabræfactæ facies exterior apſis, & muri extremi, ac illi ſuper columnis ſurgentes, qui tecta gravi pondere ſuſtinebant è laterum tophorumque fragmentis Circo, adjacentibus ædificiis acceptis, celeri opera, rudique arte ædificati fuerant, Baſilicam ipſam brevi tempore acceleratam fuiſſe fides oculata teſtatur, capitella partim abſoluta, partim imperfecta, baſes multæ columnis abſimiles, feneſtrellæ arcuatæ lateritiæ primùm, poſteà germanico opere marmoreæ effectæ. Limina ex magnis marmoribus, quæ ablata eſſe ex Circo, vel alteriùs ædificii ruinis, pars inferior terra obruta indicabat, cum ſub uno ex his modicè arcuato roſæ ſculptæ erant, in altero litteræ legebantur, *Cum Speculator*, quas judicatum eſt arcum, ſeu locum ſpeculatorium ipſius forſitan Circi ſignificaſſe. Huc uſque Grimaldus.

CAPUT III.

De menſuris antiquæ Baſilicæ.

MENSURAS autem ejuſdem Baſilicæ indicatas huc affero ab eodem Severano ex italico in latinum idioma tranſlatas. Sic enim ille refert lib. De Septem Eccleſiis pag. 37. & ſeq. Apſis longitudine occidentem verſus protenſa palmis 44. lata 80. Inter Apſidem, & Baſilicæ corpus tranſverſa navis excurrebat, à meridie ad Boream palmis 390., habebatque latitudinem palmorum 70. Naves illi conjunctæ ab oriente ad occidentem protrahebantur 406. palmis in longitudine; earum media omnium ampliſſima 106. palmis, in latitudinem excurrebat, reliquæ hinc indè naves minoris latitudinis erant, illæ namque duæ, quæ à dextero latere ad meridiem, & à ſiniſtro ad Boream mediæ adjacebant, in latitudine 38. palmis conſtabant, poſteriores antè dictis contiguæ ex utraque parte Baſilicæ muro adjacentes palmos 39. latitudinis ſeorſim habebant: tota demùm area Baſilicæ in latitudine à meridie ad Boream palmis 280. comprehendebatur.

Hæ ſunt Baſilicæ menſuræ à Severano relatæ: undè nàm ille eas acceperit omninò ignotum mihi eſt; at æquè perſpicuum eas nimis immaturè è calamo effluxiſſe, neque menſuris ab aliis Auctoribus relatis coæquari; quod ex ipſa numerorum ſupputatione clariſſimè ſic oſtenditur. Tota Baſilicæ area à meridie ad Boream, juxta Severani ſententiam, eſt palmorum 285.

Navis

Navis media palmorum	106.	
Duæ proximæ	38.	
	38.	Hi numeri ſi in unam
Aliæ binæ extremæ	39.	
	39.	

Summam colligantur, erit ſum. pal. 260. Hic numerus ſi auferatur à ſumma palmorum 285. quibus dicebatur tota area commenſurari, ſupererunt palmi 25. Igitur aut falſo aſſeritur totam aream palmis 285. commenſurari, aut aliàs naves menſuris ſuprapoſitis reſpondere. Inſuper adnotavi falſo dici poſteriores naves muro Baſilicæ adjacentes palmos 39. ſeorſim habere in latitudine, quandoquidem ſcimus eas anguſtiores fuiſſe navibus, quæ mediæ adjacebant, quibus tamen palmos 38. Severanus attribuit.

Cupidus itaque veritatem è latebris expiſcandi, ad Ichnographicam tabulam me contuli, quàm in primo tomo de Actis Pontificum vulgauit Oldoinus, eaſque itidem perluſtravi, quæ ſtudio Martini Ferraboſci, & Equitis Caroli Fontanæ in lucem prodierunt; at illas diligenter perſcrutatus, adhibitis palmorum ſcalis, quas iidem ſuis tabulis addidere, valdè inter ſe varias inveni, licèt ſingulis numerorum ſummæ exactiſſimè expoſitæ omninò reſpondeant; adivi propterea Ichnographicam tabulam in Archivo Vaticanæ Baſilicæ collocatam, quam Alpharanus tempore Sixti V. delineavit, relatu quondam Jacobi Herculani Romani: *Qui* (ut ſcribit Jacobus Grimaldus in ſuo tract. MS. de Lancea) *à Paulo IV. Canonicus* Pag. 184. *Sancti Petri, anteà Beneficiatus, & æditūus animarum Parochus, & Summi Pontificis Eleemoſynarius, vitæ, & converſationis ſanctiſſimæ, obiit anno* 1573. *& veterem Baſilicam, antequam Julius II. deturbaret deſcripſerat, optimè viderat, & multa notatu digna obſervaverat;* atque in ea diſſimiles menſuras inveni. Quiſnam horum Auctorum veram antiqui Templi aream deſcripſerit, cum mihi omninò impoſſibile ſit dijudicare, ſingulorum Ichnographias in ſequenti tabula numerorum beneficio exponam, ut, quandoquidem veritatem indigitare non poſſum, relatoris ſaltèm partes adimpleam utilitati curioſorum, adhibita palmorum menſura, quam mihi Fig. 3. eadem Alpharani tabula ſuppeditavit.

CAPUT

CAPUT IV.

De Atrio, ejuſque menſuris, Januis, & Scalis.


IN Baſilicam aditus per multiplices januas patebat; in mediana enim majore navi tres æquales erant altæ palmis 29. latæ 16. In pariete, ortum Solis reſpiciente, apertæ. In duabus navibus medianæ proximis janua una inerat palmis 28. alta, lata verò 14. In pariete tranſverſæ navis occidentem verſus duæ aderant, & ad meridiem unica, ſingulæ in altitudinem 18. palmorum, & latitudinem 10. patefactæ, quas menſuras ab Illuſtriſs. Ciampino inveni relatas, ex Archivo Vaticano, ut idem affirmat, acceptas. In utroque inſuper latere Baſilicæ aliæ quinque januæ à diverſis Pontificibus temporis progreſſu fuerunt apertæ, ut ingreſſus daretur ad quaſdam Eccleſias, ſeu Oratoria ab iiſdem extructa, additaque Conſtantinianæ Baſilicæ, ut infrà patebit.

Amplum addidit Conſtantinus Atrium, cujus Ichnographiam in ſuperiori tabula expoſui, quod quadriporticum denominabatur, à quatuor porticibus, & F G I K indicatis. Porticus, quæ Baſilicæ hærebat ejus latitudinem ſua longitudine æquabat, lata palmis 53. alta verò 55. Decem fulciebatur columnis cum binis Paraſtatis. Binis porticibus G I in dextera, & ſiniſtra parte atrii excurrentibus, longitudo erat palmorom 256. latitudo 41. tredecim columnis ſingulis adjectis, quibus tectum fulciebatur. Quartà denique porticus K alteri è diametro oppoſitæ omninò reſpondebat ſua longitudine, in latitudine verò explebat palmum unum ſupra octoginta.

Harum menſuras accepi ex eodem cap. 4. Illuſtriſs. Ciampini; cæterùm in tabulis aliorum Auctorum omninò varias deprehendi, ſicuti in ſuperiori *Fig. 4.* Baſilicæ Ichnographia, prout in ſubjecta atrii tabula expreſſi. Undè nàm hæc menſurarum varietas orta ſit incompertum prorſus mihi fuit. Temporis dicam injuriam fuiſſe, cujus edacitate pereunt cum Artis tùm Naturæ opera, & ærea quamvis exiſtant, dente nimis invidioſo in pulverem redacta ventis ludibrio ſunt, ac prorſus evaneſcunt. Illud pro comperto habuimus in hanc porticum per tres januas aditum patuiſſe, quæ gradus Baſilicæ, & Solis ortum ſpectabant. Illæ enim marmoreis poſtibus, valvis æneis, & quatuor columnis ornatæ tempore Pauli V. adhuc videbantur ea forma, quam in noſtra tabula ſuo loco indicabimus, fideliter delineatam in Vaticana Bibliotheca, ubi in latere dextero parietis propè januam, juſſu Sixti V. dictæ januæ fuerunt coloribus expreſſæ.


Antè has portas ſupra gradus area magna L jacebat quadris ſtrata marmoribus, habebatque in longitudine palmos 200., ut refert Illuſtriſs. Ciampinus, in latitudine verò 76. At juxtà tabulam Ferraboſci palm. 185. longit. latitudinis verò 65. Juxtà delineationem Oldoini longitudinem palmorum 200. latitudinem palmorum 75. Juxtà Fontanæ Ichnographiam longitudinem palmorum 185. latitudinem palmorum 70. Ad eam marmorei

gradus



TABVLA 3.

ICHNOGRAPHIA BASLICÆ VATICANÆ CVM MENSVRIS VARIORVM AVTHORVM




Basilicæ Veteris altitudines ex Seuerano

Absis palm.	100
Nauis transuersa	170
Media	170
Naues proximę	82
Naues extremę	82

Auctor del. et sculp.

TABVLA 4

ICHNOGRAPHIA ATRII QVADRIPORTICI CVM MENSVRIS VARIORVM AVTHORVM




Auctor del. et sculp.

TABVLA 5.


FIGVRA 2.

Frons Basilicæ




FIGVRA 1.

Scenographia Basilicæ



FIGVRA 3.

Scenographia Basilicæ per longum dissectæ



Hieronymus Frezza incid.

Atrium Quadriporticum

gradus 35. aſcenſum dabant littera F expreſſi, qui omnes in quinque ordines ità diſtribuebantur, ut quilibet ordo ſeptem gradus contineret, exiguoque areæ ſpatio quique ordo diſtingueretur, qui gradus, & arearum ſpatiola palmorum 95. latitudinem æquabant, longitudine verò areæ magnæ omninò reſpondebant.

CAPUT V.

De Partibus Baſilicæ Interioribus.

EXPOSITO Baſilicæ Vaticanæ Ichnographico veluti fundamento, reliqua ſunt adnotanda, quæ ad ejuſdem integram molem attinent. Tabulam proindè Quintam Scenographicam expono, in qua partem interiorem Baſilicæ ab imo pavimento uſque ad apicem tecti comprehendit. Illam delineavi juxtà Archetypum, qui eſt in cryptis Vaticanis, de quo Turrigius pag. 153. licèt etiam à Ferraboſco, Illuſtriſs. Ciampino, atque Fontana ſuis in tabulis oſtendatur, ut propius à fonte notitiam haurirem. Ille enim juſſu Pauli V. antequam deſtrueretur, ibi fuit coloribus expreſſus, ne ob aliorum inciſorum vel incuriam, vel importunam delineandi elegantiam ab antiqua veritate aberrarem. *Fig.* 5.

Aſſurgebant itaque prædictæ quinque naves non pari altitudine, ut patet. Binæ enim A B mediæ navi propinquæ palmos 82. explebant extremæ C D 62. media E 170. totidemque tranſverſa, in qua Apſis erat centum alta palmorum.

Quatuor ordinibus columnarum diſtinguebantur Naves, hac tamen cum varietate, quod majoris navis columnæ 40. palmos in longitudine, in craſſitie ſex continerent; columnæ verò minorum navium palmos 26. altitudinis, quatuor craſſitiei juxtà Illuſtriſs. Ciampini relationem, vigintiſex cum dimidio juxtà Severanum.

Quoad verò columnarum numerum non omnium Auctorum par eſt relatio. Martinus Ferraboſco, Joannes Severanus, Illuſtriſs. Ciampinus, & Eques Carolus Fontana in ſuis tabulis Ichnographicis tribuunt ſingulis ordinibus, juxtà Alpharani delineationem columnas 22. quatuorque indicant in navi tranſverſa, quæ ſimul numeratæ numerum explent 92. Oldoinus verò ponit vigintitres, quæ cum aliis quatuor tranſverſæ navis compleat numerum 96.

Undè nàm Tyberius Alpharanus deduxerit ſingulis ordinibus columnas 22. inhæſiſſe haud ſcio. Ille quidem primus omnium expreſſit ſuam ichnographiam, nempè anno 1589. ſub Sixto V. ne (ut ipſemet ſcripſit Eminentiſs. Cardinali Evangeliſtæ Pallotto Sixti V. Prodatario, & Baſilicæ Archipresbytero, novique Templi Protectori) ſacræ, ac vetuſtiſſimæ ædis devotio periret, & ideò magno labore, ſtudioque, & fidis menſuris ſe delineaſſe affirmat; verùm cum eo tempore antiqua Baſilica integra non extaret, ſed tantùm pars ejuſdem, ab undecima videlicèt columna atrium verſus extenſa, facilè reor illum decipi potuiſſe exprimendo 22. tantùm

columnas. Hanc ſuſpicionem in meam mentem injecit Maffeus Veggius in cap. 1. cum diceret: *Conſtantinum excitaſſe Baſilicam centum marmoreis nobilibuſque columnis ſublimem*. Eam auxit S. Gregorii Turonenſis relatio. Hìc enim Vir ſanctiſſimus, & Scriptor egregius Baſilicam Vaticanam deſcribens, ſic ait: *Quatuor ordines columnarum valdè admirabilium numero 96. habens; habet etiam quatuor in Altare, quæ ſunt ſimul centum*. Ex hac relatione, quæ pro certa habenda profectò eſt. (Ille enim tempore Gregorii Magni limina Apoſtolorum viſitavit è Gallia) inferendum putò ſingulis ordinibus columnarum columnas 23. fuiſſe collocatas, & in navi tranſverſa alias quatuor, quibus ſi totidem addantur columnæ Altaris, efficietur numerus centenarius ab eodem Turonenſi relatus.

Lib. 1. c. 28. de glor. Mart.

In vita Tom. Bibl. PP.

Pag. 38. Præter hunc columnarum numerum Joannes Severanus De Septem Eccleſiis, aliàs duas refert, quibus arcus major in capite navis mediæ incumbebat, qui Arcus triumphalis dicebatur, ob rationes ablatas ab Illuſtriſs. Ciampino De Veter. Monim. cap. 22. Verùm, quia nullum antiquum citat Auctorem, & à Sancto Gregorio Turonenſi numeratæ non fuerunt, illas ultrà centum extitiſſe affirmare non audeo. De his columnis ſcribens Pompejus Ugonius affirmat non omnia earum epyſtilia perfecta fuiſſe, ſicuti nec baſes, quod accidiſſe putat ob vehemens deſiderium, quo flagrabat Imperator Baſilicæ molem, brevi temporis intervallo abſolutam, contemplandi. Quamobrem Joannes Severanus refert Inſcriptionem cuidam epyſtilio inciſam ſic: DIVO TITO DIVI VESPASIANI F. VESPASIANO AUG. IMP. CAESAR D. NERVAE F. NERVA TRAJANUS GERMANICUS DACICUS PONT. MAX. TRIB. POT. COS. PP. FECIT. Columnis medianæ navis epyſtilia impoſita parietem ſuſtinebant, ſingulis verò minorum navium ſupra capitula, loco epyſtiliorum arcus imponebantur parietes ſuſtinentes. Per multiplices feneſtras lux Baſilicam irradiabat, nàm frons ejuſdem in mediana navi, orientem Solem reſpiciente, ſex patebant in duplici ordine diſpoſitæ 22. palmis altæ, 14. latæ; ſupra has unica alia rotunda, cujus diamater palmis 14. erat æqualis. Repræſentantur hæ feneſtræ in Tab. 5. Figura 2. ſub num. 1. 2. 3. 4. 5. 6. & 7. ſicuti pariter Figura 3. ejuſdem Tabulæ Scenographicæ indicantur feneſtræ, quæ in utroque latere medianæ navis inerant numero undecim, ſeſe è regione ſpectantes, ejuſdem amplitudinis, palmis ſcilicet ſeptemdecim in altitudine, duodecim verò cum ſemiſſe in latitudine. Poſteriorum, ac minorum navium parietibus totidem etiam inerant feneſtræ.

Pag. 198.

Pag. 96.

Pag. 41.

Navis inſuper tranſverſa ſexdecim feneſtras oſtentabat, quæ feneſtris majoris navis omninò pares ità erant diſpoſitæ, ut partem meridionalem binæ, & binæ Borealem reſpicerent, orientali verò ſex, totidemque occidentali opponerentur. In apſidem quoque per quinque feneſtras, palmis tredecim altas, & undecim latas, lux ingrediebatur. Inerant inſuper aliæ duæ minores feneſtræ in facie Baſilicæ, quarum beneficio naves hinc indè mediæ proximæ illuminabantur; quæ omnes numerum explent ſeptuageſimumquartum. Has numeratas inveni apud Illuſtriſs. Ciampinum. Quamobrem neſcio, quo fundamento ductus præclarus quidam noſtræ ætatis Scriptor affirmare poſſit fuiſſe octogintaocto, niſi fortaſsè addendæ ſint extremis navium parie-

C. 4. pag. 34.

parietibus aliæ vigintiduæ, ſicuti de aliis navibus dictum eſt, quarum numerus, ſi ſuperiori addatur, efficiet ſummam nonagintaſex feneſtrarum. At apud nullum Auctorem inveni has poſtremas feneſtras indicari, nec in ulla Ichnographica delineatione exprimuntur. Putò tamen aliquas inibi fuiſſe, ſicuti in Baſilica Divo Paulo in via Hoſtienſi dicata videmus, quam ſcimus à Magno Conſtantino conſtructam, Vaticanæ parùm diſſimilem.

Baſilicæ demùm muri ex lateribus coctis ædificati craſſitie ſex palmos ſuperabant, verùm octo non excedebant. Pavimentum rotundis, quadratis, & diſcoloribus compactum erat marmoribus. Tectum magnis quadratis trabibus compoſitum, ſupra navim majorem, & tranſverſam tegulis ſexquipedalibus ex ære corinthio deaurato imbricatum, ſupra cæteras verò naves lateritiis, quarum aliquas ſuo tempore ſupereſſe tradit idem Alpharanus. Cap. 1. Refert Jacobus Grimaldus, qui aderat, cum vetus Baſilica ſub Paulo V. diruta fuit, quòd *Tectum navis ejuſdem majoris opertum erat tegulis æneis, quas Anaſtaſius ſcribit in vita Honorii Papæ I. ex conſenſu Eraclii Imperat. ex Templo Romuli ad hanc Baſilicam tranſtulit, anteà inauratas. In aliquibus tegulis plumbeis legebatur Alex. PP. III. Innocent. PP. II. Innocent. PP. III. Cœleſtinus PP. III. Benedictus PP. XII. Frater Romanus, quæ nomina indicant reſtitutum ab iis Pontificibus. Romanus nomen erat Artificis figlinæ, & tegulæ vetuſtiſſimæ, ibi ſunt antè Conſtantini tempora, quarum duæ ſunt in Archivo, aliæ in tecto Alexandri VI. Pii V. Gregorii XIII. Tegulas non multas à Theodorico Aſiano Rege fortaſsè oblatas fuiſſe, ipſæmet tegulæ teſtantur, quarum duæ ſunt in Archivo cum his litteris. Regnante D. N. Theodorico. Felix Roma, & regnante D. N. Theodorico bonæ Romæ.*

His placet adnectere quædam fragmenta MS. à Ferdinando Carolo, quæ poſt Auctoris mortem magno ſtudio collecta, Eques Carolus à Puteo in ſuo Muſeo ſervavit. Sic enim ille ſcripſit de antiqua Baſilica pag. 124. „ Illius longitudinem in palmis ſeptingentis & quinquaginta, latitudinem „ in ducentis trigintaquinque produxit (Conſtantinus) ut vaſtiſſimam „ Gajani Circi aream utraque dimenſione ſuperaret. Longitudinem univer„ſam duas ſecuit in partes, quarum alteram trecentos quinquagintaquinque „ palmos atrio deſtinabat, Baſilicæ alteram. Spatium Baſilicæ duas item in „ partes diſtribuit, alteram navem appellaverant, vel corpus Baſilicæ, Baſi„licamve ipſam, vel ambulationem calcidicam, vel cauſidicam, reliquam „ partem appellavere, quæ in capite Baſilicæ in latitudinem Baſilicæ ità „ extendebatur, ut utrinque extenderet brachia extra latitudinem Baſilicæ „ per palmos 40. undè T litteræ figuram videretur exprimere, è longitu„dine media cauſidicæ caput exſtat, in ſemicirculum deſinens, cujus pro„funditas palmorum 40. ut exceſſus brachiorum ſupra latera idem eſſet in „ exceſſu apſidis, ſupra calcidicam, latitudo verò eadem cum altitudine calci„dici, ſcilicet palmorum 70. Baſilicæ longitudo tres in partes dividebatur, „ quarum media utrinque 44. columnis ſepiebatur, reliquæ partes duæ duobus „ columnarum paulò minorum ordinibus duas item in partes ſecabantur, „ quapropter cum quatuor columnarum ordines longitudinem Baſilicæ deſi„gnarent, ambulationes quinque videbantur, quarum media maxima.

Perpetuus murus latitudine palmorum decem univerſam aream ambiebat, nunquam interruptus, niſi quam in utroque apſidis latere ſpatium duorum oſtiorum ad occidentem præſeferebat, in fine verò orientem Solem ſpectante quinque ſpatia vacua relicta ſunt tria in ambulatione media, in proximis lateribus duo, ſingula ſcilicet in ſingulis. Cuſpis apſidis, illiuſque ſumma teſtudo centenos in palmos aſſurgit. Septuagenis tamen palmis à culmine calcidici ſuperatur. Maxima porticus, quæ & media, majorque navis etiam appellatur, reliquas utrinque ſitas minores porticus pari celſitudine ſupergreditur, Baſilicæ corpus jam anteà quinque porticibus diſtingui, perficique docuimus, quæ mediam, maximamque utrinque claudunt, duplo celſitudinis proportione ſuperantur à maxima, minimas verò, & extremas quarta altitudinis parte præſtant, maxima namque in altitudinem centeſimi ſeptuageſimique palmorum erecta conſurgens mediis longè ſupereminet ad octuagintaquinque palmorum ſublimitatem, vix aſſurgentibus, poſtremas verò ad latera Baſilicæ converſas ſublimi vertice deſpicit ægrè ad ſexagenos palmos egreſſas.

Frontis parietem nunc in cacumen elatum, nunc demiſſum ad minores porticus, & in infimas dejectum, pluribuſque luminibus apertum varia quoque altitudo determinat. Hactenus ſupradictus Auctor, qui in pag. 196. & 198. hæc alia ſubdit de feneſtris, & portis loquens.

Nunc quot, quantiſque luminibus pateret, expediam; ab ipſis orientalis oræ portis, Baſilicæ facies primò quinque januis ingentibus aperiebatur. Tres mediæ pari lumine in ſenos, & denos pedes latitudine extenſa, altitudine undetricenos attingente. Duæ etiam portæ in occidentem patentes, quibus altitudo palmorum duodeviginti, latitudo verò decem. Septem luminibus Sol exoriens ſeptemplicem Divini ſpiritus radium, quo Fidelium mentes inſtruuntur clarè deſignant, ex orientali pariete mediam Baſilicæ porticum perluſtrans, ingenti luce totam demùm replebat hoc ordine, ut ad ſummum faſtigii culmen paries in orbem exciſus, quindecim palmorum diametrum vacuam radiis permeantibus relinqueret, inferne verò paribus inter ſe intervallis diſtantes tres feneſtras, totidemque ſub iſtis aperiret altitudine vicenum duorum palmorum latitudine ferè quindecim, cujus etiam magnitudinis, & formæ feneſtris duabus & viginti in utroque latere patentibus præclara diurni ſyderis luce eadem media porticus perfundebatur parietum feneſtris, ità per intervalla diſtributis, ut cuique tertiæ columnæ parietem ferenti feneſtræ reſponderent, ſeſeque è regione reſpicientes, non minùs diei claritate, quàm ordinis pulchritudine Baſilicam illuſtrarent, minores porticus utrinque ad mediam ſitæ pari quoque numero feneſtrarum claro lumine perfundebatur, iiſdem intervallis diſpoſitis, ſed paulò minore amplitudine, cum altitudo palmos ſeptenos & denos non excederet, nec latitudo ternos & denos attingeret. Tranſverſa porticus, quàm calcidicum appellavere, per feneſtrarum ſexdecim lumina aperto die perfruebatur, ad luminum mediæ porticus amplitudinem, & ordinem prorſus conformata. Eam ordinis diſpoſitionem, ut dextrum crucis brachium octonis luminibus, totidem ſiniſtrum aperiretur, & in ipſo dextro duo ad meridiem, ad orientem tria, totidem ad occidentem exciſa, è regione ſe invicem reſpicientia; in ſiniſtra

ad

ad Boream duo, tria ibidem ad orientem, totidemque ad occidentem pari prorſus collocatione paterent. Apſis ipſa quinis feneſtrarum luminibus in illius circuitu per æqua intervalla radiantibus diteſcebat. Luminum altitudo ſenis & denis, latitudo undenis palmis continebatur, ut crucis, per quam utraque facta ſunt, unum caput, peſque pari prorſus luminum fulgore niteret.

Antiquæ Baſilicæ ſummam adiiciemus, ſi parietibus tectum impoſuerimus. Nemo dubitabit lacunaria laquearibus abiegnis miræ longitudinis contexta, cum mediæ porticus latitudo aream centeſimum ac ſenum palmorum occuparet. Superiori anno hujus ſæculi ſexto ipſi vidimus die, quæ anniverſaria dies eſt obitus Julii II. Pontificis Templi fundatoris, die 21. Februarii hora 21. cum dimitteretur tecti trabs illa, quæ porticus mediæ tectum fulciret, prima fronti Baſilicæ orientali proxima, eamque humi jacentem centenos & terdenos palmos egreſſam, longitudine ſolida, & craſſitie, non ſine Urbis admiratione ſumus dimenſi, quo tempore ſuperſtitem Baſilicam deponebant. Ingentibus trabibus, ingenteſque abiegnæ tabulæ fuerant impoſitæ, quod non exiguum decus, nec infirmum lacunaribus robur adjecit. Trabes ipſæ tecti univerſi contignationi tranſtra præſtiterant. Tranſtris capita cantariorum quoque, vel tignorum ingentium ſuper impoſita, quæ utrinque deducta ad culmen ipſum convenientia ſimul jungebantur, & firmiſſimis binis capreolis connectebantur, quorum alter à ſummo culmine ad medium tranſtri, alter in modum crucis priorem capreolum ſecans ad cantarios pertingebat. Canteriis Templa modicis intervallo diſpoſita, Templis aſſeres impoſiti, aſſeribus lateritii imbrices magni ſuperſtructi, ſicque ampliſſimi tecti moles adverſus ſævientis cœli tempeſtates firmiſſima contignatione ſolidata diutiſſimè perſeveravit.

Pavimentum collucentibus lapillis in exiguam magnitudinem ſectis, varioque colore micantibus nitens, innumeras rerum formas per laborem plurimum ex ipſorum lapillorum multiplici genere coagmentatas, & circumvertentium ſeſe ſpirarum nexu diſtinctas referebat, auro etiam interlito, non ſine incredibili divitiarum contemptu in Vaticanæ Baſilicæ decus effuſarum, inter ingentes marmorum tabulas, maculiſque præſtantes, à rotunditate rotas appellatas, quæ mortalium pedibus terebantur. Hucuſque citatus Auctor, cujus enarrationem cum ſupra à nobis expoſitis conferre poterit Lector inſpiciendo Tabulam 5. Ichnographicam, quæ Baſilicam per longum diviſam exhibet.

Illam ſuo calamo delineavit Florentiæ Eques Carolus Fontana in Bibliotheca MS. Medicea, ubi Autographum mihi retulit à ſe viſum eſſe, tempore Georgii Vaſari Romæ exaratum, eamque exponit in lib. 2. cap. 10. de Templo Vaticano; ubi tamen adverto aliquos errores irrepſiſſe, fortaſsè Inciſoris incuria; nàm numero 7. falſò indicantur domicilia Sacerdotum, & aliorum Baſilicæ adminiſtrantium, cum certum ſit in ea parte fuiſſe Palatium Pontificium ab Innocentio VIII. extructum, ut refert Oldoinus cum aliis tom. 3. his verbis: Innocentius VIII. ædificandi ſtudioſus inſignes in Palatio Vaticano in primo atrio habitationes, inter quas unum amplum, & verè regium habitaculum extruxit. Indicatur hoc Palatium caracteribus Col. 97.

expreſ-

expreſſis in pariete ejuſdem Palatii, quod juſſu Pauli V. in cryptis Vaticanis depictum fuit, ſic: *Palatium Innocentii VIII.* Secundò, in facie Baſilicæ non indicantur feneſtræ in primo ordine diſpoſitæ. Tertiò, affirmatur ſub numero 10. indicante januas Baſilicæ, fuiſſe ipſis impoſitam Naviculam Divi PETRI à Jotto extructam; cum manifeſtè conſtet dictam navem extitiſſe in parte oppoſita occidentali plagæ obverſam, ut ſuo loco dicemus. Illud etiam advertendum hanc meam ſcenographicam tabulam in eo diſſentire, quod 23. columnas in longum diſpoſitas demonſtret, non verò 22. ut præclarus Architectus delineavit in ſua.

CAPUT VI.

De Circo Neroniano ſub Baſilica latente.

ANTEQUAM ad ulteriora procedamus non incongruum erit indicare Neronianum Circum, ſupra quem Baſilicæ fundamenta Conſtantinus extruxit, quandoquidem dubitatio circa illum exoritur, quam ad trutinam revocare jucundum æque, ac utile fore arbitror erudito Lectori. In eo (ſcripſit Maffeus Veggius) non ſatis ,, ſummam Dei bonitatem, ac ſapientiam admirari, atque laudare poſſu- ,, mus, qui locum, ubi omnium libidinum irritamenta, omnia ſcelera, ,, omniaque mala, & atrocia facinora exercebantur, mutatis contra longe ,, contrariis conditionibus omnium virtutum portum, omniſque Religio- ,, nis, & Sanctitatis columen eſſe voluerit.

Lib. 1.

Lib. 7. c. 15.

Præmitto igitur relationem, quam ex MS. Jacobi Grimaldi ſe accepiſſe narrat Famianus Nardinus his verbis: Anno 1616. dùm Scalæ Sancti Petri amoverentur, apparuerunt muri antiqui reticulati craſſi, qui videbantur fuiſſe è ruinis turrium Circi, ibi repertus fuit æreus nummus Agrippinæ Aug. Dùm fundaretur hæc altera Vaticani Templi pars ſub Paulo V. inſpectum eſt Circi longitudinem fuiſſe palmorum 720. Romanorum, latitudinem 400. Area, ubi ludi edebantur, lata palmorum 230. Incipiebat ab infimis gradibus Baſilicæ, deſinebat ubi nunc eſt Eccleſia Sanctæ Marthæ retrò apſidam ad occaſum. Obeliſcus erat in medio, qui locus nunc eſt retrò Sacellum Chori. Extremus Baſilicæ paries, & duplex columnatum Sanctiſs. Crucifixi, & S. Andreæ fundatum erat ſupra tres magnos parietes Circi Caii, & Neronis ſupradicti. Similis erat Circo Caracallæ, qui hodiè pro majori parte extat, altis utrinque parietibus cinctus erat ternis ab una parte, ſuper quibus extabant dictæ naves Sanctiſs. Crucifixi, & S. Andreæ, & ternis ab altera, ubi nunc eſt Cœmeterium Campi Sancti, qui ſe in longum trahentes lateritii ſuſtinebant olim arcuatos fornices, in quibus ſedilia extabant pro ſpectatoribus. Inter utrumque parietem ſpatium latum palmorum 42. & ſemis erat. A capite ad pedes nullum impedimentum, ſed tanquam tabulationes, & curritoria è ruinis ipſis conſpiciebantur. Horum parietum poſtremum in Circum reſpicientem, dùm terra fundamenti Chori egereretur, menſurandum curavi. Altus erat paries ipſe ab

area

area palmis 35. ſemis, latus palm. 14. fundatus palm. 30. Hactenus Grimaldum ſcripſiſſe refert Nardinus loco citato.

Hæc etiam omnia affirmat Severanus, citatque librum quartum Maffei Veggii, addens hæc verba: *Il che tutto ſi è oſſervato nel gittare à terra la Chieſa vecchia di San Pietro*; ſed errorem (ex Scriptoris fortaſsè incuria, vel Impreſſoris) irrepſiſſe arbitror, cum Veggius in lib. 4. nullum prorſus verbum ſcripſerit de Circo Neronis, ſed tantùm in lib. 1. ubi hæc habet: *Ubi nunc Baſilica Sancti Petri eſt, Circus antè Caii, & Neronis erat, cujus adhuc reliquiæ magna ex parte extant.* Pag. 8. de Sept. Eccl.

Quamobrem ne aliorum relationibus in aliquem errorem inducerer in Archivo Vaticanæ Baſilicæ Grimaldi Auctographum recognovi, & quamplurima verba inveni à Nardino mutata. Hæc enim ſcripſit Grimaldus in libro Inſtrumentorum Authenticorum pag. 116. [Dùm fundaretur hæc „ altera pars Templi, inſpectum eſt Circi longitudinem fuiſſe pedum 540. „ qui ſunt palmi 720. latitudinem pedum 300. qui ſunt palmi 400. „ Area, ubi ludi edebantur erat altitudinis pedum 372. ſemis, qui ſunt „ palmi 230. Incipiebat ab infimis gradibus Baſilicæ, deſinebat ubi nunc „ eſt Eccleſia Sanctæ Marthæ retrò novam apſidam ad occaſum, Viam „ Triumphalem, nunc Sancti Spiritus appellatam reſpiciebat. Obeliſcus erat „ in medio, qui locus nunc eſt retrò Sacellum Sixti IV. brevi demoliendum „ pro novo ibidem Choro ædificando. Baſilicæ, ejuſque atrii pars illa, „ quæ ad meridiem vergit cum Palatio Archipresbyteri in ſummo graduum „ poſito fundata erat ſupra tres memoratos parietes. Ad ædes ipſas Archipresbyteri circa finem, vel caput fuiſſe docet hodiè murus ex quadratis lapidibus fabrefactus ab ea parte in ſemicirculum vergens. Altis utrinque parietibus cinctus erat, ternis ab una parte, ſuper quibus extabant naves Sanctiſſimi Crucifixi, & Sancti Andreæ, & ternis ab altera in loco, ubi nunc eſt Cœmeterium Campi Sancti. Hi ſe in longum trahentes lateritii, ſuſtinebant olim arcuatos fornices, in quibus dicta ſedilia extabant pro Spectatoribus. Inter utrumque parietem ſpatium latum pedum 32. ſemis, qui ſunt palmi 42. ſemis. A capite ad pedes nullum impedimentum, ſed ambulationes, & curritoria è ruinis ipſis hactenus conſpicitur. Horum ſiquidem parietum poſtremum in Circum reſpicientem, dùm terra fundamenti Chori egereretur, menſurandum curavi. Altus erat paries ipſe ab area pedes 31. qui ſunt palmi 41. ſemis, latus palmis 44. fundatus pal. 30. Hactenus Grimaldus.

Huic narrationi averſatur Eques Carolus Fontana duplici quidem titulo. Collocat enim primò Circum diverſo in ſitu; ſecundò, illum longiorem fuiſſe putat eo, quem Grimaldus affirmat. Placet hæc duo examinare, & primò de longitudine. Hanc aſſerit præfatus Auctor, dicendam fuiſſe à Grimaldo palmorum 1400. *Cum à Divæ Marthæ partibus ad veteris Baſilicæ gradus, ab ipſo Grimaldo tanquam limites Circi deſignatas* 1400. *palmi intercedant*. Errorem derivaſſe putat ex æquivocatione, ſupponendo totam Circi longitudinem comprehendi in diſtantia, quæ inerat inter Carceres, & priorem metam, ſexcentos & octoginta palmos continente: ſpinam verò (videlicet lineam, quæ inter duas metas intercedebat, Lib. 1. c. 6.

ſic

ſic ab antiquis vocatam) ait fuiſſe palmorum 1200. aream inter ſecundam metam, & muros, ubi ſedilia pro Spectatoribus erant, habuiſſe pal. 160. muros palmos 85. qui palmi 85. duplicati & cum aliis in unam ſummam collecti, efficiunt pal. 2210. Itaque area Circi juxtà Fontanæ documenta erat palm. 2210. quamvis ipſe poſt menſuras ſupra indicatas concludat areæ Circi longitudinem ſe reperiſſe 2040. palmos adæquare. Subſcribit tamen Grimaldo, aſſerenti latitudinem areæ interioris fuiſſe palmorum 230. & latitudinem murorum illam concludentium palmos explere ſingulis in partibus 85. qui in unam ſummam collecti efficiunt totius areæ latitudinem palmorum 400.

Ibid.

Qui nam ex his Auctoribus veritati propius acceſſerit, ex iis, quæ addam facilè deprehendi à Lectoribus poterit. Grimaldus enim teſtis oculatus aſſerit extremum Baſilicæ parietem, & duplicem columnarum ordinem Sanctiſſimi Crucifixi, & S. Andreæ fundatum fuiſſe ſupra tres magnos parietes Circi Neronis. Hoc idem Grimaldus confirmat in ſuo MS. de Sanctiſſimo Sudario, ubi ait, quòd die Mercurii 9. Maii 1607. in media nave veteris Vaticanæ Baſilicæ juxtà magnos ſepultos parietes Circi Caii, & Neronis, columnatum majus ſiniſtrum à Templi ingreſſu ſuſtinentes non longè à loco, ubi erat Sacellum Sanctiſſimi Sacramenti, dùm egererentur nova fundamenta ſubtus terram palmis 30. inventus eſt humi ſepultus æneus nummus quadrata forma habens in una parte claves decuſſatas, in altera Vultum Sanctum. Hoc pariter demonſtrat Iconiſmus ab ipſo Fontana compoſitus lib. 1. cap. 5. pag. 27. ſimilis illi, quem in majore proportione delineatum ad majorem claritatem hìc addimus Tabula 6. ſub num. 1. In eo paries A extremus Baſilicæ muro Circi B incumbit. Muro C primus columnarum ordo D. Altera verò columnarum ſeries E in muro F. Quibus poſitis ſupponi neceſſariò debet Circi aream talem locum ſub Baſilica occupaſſe, qualem in noſtra tabula Ichnographica aſſignavimus. In ea partes tranſverſis, & ſpiſſis lineolis obumbratæ parietes Circi indicant, lineæ nigerrimæ aream Baſilicæ à Conſtantino extructæ, partes verò, quæ punctis frequentibus exprimuntur ſub notis XX. novæ Baſilicæ ambitum à Summis Pontificibus ædificatæ.

Pag. 87.

Fig. 6.


Si enim diſtantia accipiatur ab obeliſco O ad columnas ſecundi ordinis M beneficio ſcalæ palmorum, quam addidimus, invenietur palm. 200. illam adæquare, qui menſuræ à Grimaldo, & Fontana relatæ omninò reſpondent; reſpondent itidem Baſilicæ menſuris, quas in ſua tabula Ichnographica Alpharanus aſſignavit, ut conſideranti patebit. Si autem aliter Circo præſcribatur locus, falſo aſſeruiſſet Grimaldus ſupra ejus muros duplicem columnarum ordinem Baſilicæ fundatum, & magis obeliſcus diſtare debuiſſet à Baſilicæ parietibus, quam diſtabat tempore Sixti V. antequam ab antiqua baſi dimoveretur.

Lib. 1. c. 6. Nullo itidem pacto mihi ſuadere potui, quod laudatus Fontana exponit, deſignando Carceres in parte orientali, in occidentali verò partem Circi circularem; nec Circi longitudinem fuiſſe protenſam, *uſque ad Ruſticucciana domicilia*; (ſunt ejus verba) *ubi jam ad extructum recens theatrum patet acceſſus, quoniam ab eo ultrà Divam Martham æquum capit intervallum ad neceſſariam ludorum in eodem Circo diſpoſitionem.*

Inni-

ICHNOGRAPHIA

Baſilicæ Antiquæ et Nouæ ſimul cum circo Neroniano



Auctor del. et ſculp.

Innititur ille quidem auctoritati Pirri Ligorii, qui folio 3. loquens de tali Circo, affirmat illum perveniſſe uſque ad locum, ubi nunc Templum Divæ Mariæ dicatum, vulgò dictæ Tranſpontinæ; verùm tali Auctori non eſſe tutum credere animadvertit Pompejus Ugonius in notis MS. *cum litterarum plane rudis ille fuerit, licèt antiquitatum curioſiſſimus indagator.* Si enim obeliſcus in medio Circi collocatus erat (ut omnibus monimentis clariſſimè probatur) nullo profectò modo ipſius longitudinem adeò productam fuiſſe perſuadere nobis licèt, ut à meta ad carceres palmi interfuerint 680. à meta verò ad circularem partem palmi 160. ſed æquali ſpatio utraſque partes extendi. Idipſum ex multiplici capite confirmatur. Putat eruditiſſimus Famianus Nardinus in ſua Roma cap. 13. Circi extremitatem in parte occidentali non perveniſſe ad locum, ubi Divi Petri Corpus Anacletus humavit, quod ſi à veritate hìc Auctor aberrat, negari ſaltèm non poteſt ulteriùs extendi non potuiſſe ob imminentis Vaticani collis impedimentum (erat enim, ut idem Nardinus notat ibid.) *Circo chiuſo in Orti privati, e perciò non grande.* Si autem à meta ad carceres palmi inerant 680. cujus longitudinis Fontana ait *fuiſſe neceſſitatem ob vehiculorum exitum, ingreſſumque in curriculum commodiorem*, palmi verò 160. *à meta ad circularem partem*, profectò obeliſcus non fuiſſet in medio Circi, & totius Circi longitudo adæquaſſet palmos 2040. juxtà Equitis Fontanæ documentum.

De Antiq. Rom.

Extant in Biblioth. Barbarina.

Fontana pag. 34.

Pag. 477.

Quod ſi propè Ruſticuccianam domum, vel ad ædem Beatæ Virginis, vulgò Tranſpontinæ, aliquod Circi veſtigium recognovit Ligorius, ac propterea Circi Gajani finem inibi extare judicavit, eum fuiſſe deceptum oſtendunt documenta eruditiſſimi Ferdinandi Caroli, qui cap. 9. ſect. 2. notat *in agro Vaticano duos Circos à ſe fuiſſe repertos, quorum alterum à Gajo inceptum, Nero vel perfecit, vel exornavit*, ſeu potiùs frequentibus ludis, & cæteris Circenſibus ſpectaculis celebravit, quem lateri collis innixum ad meridiem ponè triumphalem viam repoſuerunt Auctores, ex veſtigiis repertæ rei, & veterum monumentorum fide, ſupra quem Conſtantinus Baſilicam excitavit; alterum verò invenerunt ad boreales montis radices in Domitiæ Neronis amitæ hortis, qui Principis ſcelere quæſiti cognomentum à Domino duxere; Gajani autem Circi ſitus, ità fuit, ut illius carceres ad occaſum diei ſpectarent, meta verò intueretur ortum. Neroniani verò carceres ad ortum, meta ad occaſum verteretur; ea loci propinquitate, ac diſpoſitione, ut inter utrumque Circum triumphalis ager extenderetur, ad flumen uſque productus, & utraque utriuſque Circi meta invicem ità ſeſe reſpicerent, ut linea recta in longitudinem ſtadii inter utramque deducta deſineret in utramque. Hactenus præclarus hìc Auctor. Verùm cum alii Auctores referant Circum Neronis fuiſſe in hortis Domitiæ in pratis Romæ proximis, ejus indaginem ommitto, illudque proſequor, quod de Gajano Circo conſtat ex rationibus indicatis. Non igitur potuit ad talem longitudinem Circus ille protrahi, tùm quia triumphalem viam occupaſſet, quæ ad latus Circi ad pontem uſque Vaticanum rectè protendebatur, ut notum eſt Romanarum antiquitatum Peritis.

Apud Severan. pag. 283.

Habemus iuſuper ex narratione Grimaldi Circi caput hoc eſt partem

illam, quæ *in ſemicirculum erat inflexa*, fuiſſe in parte orientali; nempè, ut ille ait, *ad ædes Archipresbyteri*; quod poteſt primò confirmari ex deſcriptione allata à Michaele Angelo Rubeo in ſuo libro, cui titulus *Ritratto di Roma moderna*, in quo loquens de Templo Divæ Marthæ, ait: *Da queſta parte ſi entrava nel Cerchio di Cajo Nerone*. Confirmatur ſecundò ex antiquæ Urbis imagine delineata ab Onuphrio Panvinio, in qua pars Circi, ubi erant Carceres, occidentalem plagam reſpicit. Quæ omnia luculentiùs explicat Relatio Ferdinandi Caroli, qui Templum Vaticanum Martini Ferraboſci cælo expreſſum illuſtravit. Hæc ille habet cap. 11. ſect. 2. ſcribens de Circo Caii: Trans ipſius Circi inter Janiculi radices, dextrumque Vaticani latus ad Solis occaſum vertitur, Carceres, & oppidum ad ipſam Divæ Marthæ aram pertingunt. Magnus obeliſcus in media parte Circi, atque adeò in ipſius centro locatus, ad apſidem novi Templi, quæ in meridiem ſurgit, attollebatur. Longitudo Circi fuit palmorum vicenum ſuper ſeptingentos, latitudo quadringentorum. Arenæ ſpatium in latitudine ducentorum triginta palmorum extenſum; Circi latera ità conſtituta, ut lævo triumphalis via, dextro triumphalis ager attingeretur. Baſilicæque poſteà conditæ dextera pars dextero Circi latere ſuperincumberet, ſinus verò Baſilicæ, quas naves vocant Apoſtoli Andreæ, & Chriſti crucifixi titulis inſignes, tribus lateris ejuſdem parietibus imponerentur; Ternis utriuſque lateris parietibus fornices ſuperjecti, fornicibus caveæ gradus impoſiti; Tres igitur lateris cujuſcunque parietes ſpatia duo penitùs vacua fornicata, fornicibus medio intergerino parieti ſuperſtructis, perpetuam in laterum longitudinem ductu, latitudinis palmorum duum & quadragenum, cujuſque ſpatii celſitudo pro caveæ ſuperſtructæ modo, interiori depreſſior, erectior autem exteriori. Caveæ gradus, & Circi latera ad Carceres non in circulum flexa viſebantur, ut in Circo Maximo, qui ad ovi figuram fuerat detornatus, ſed in oppidi turres, & carcerem parietes pinnis conſpicuos, in rectumque conſiſtentes incurrentia; in ſummo autem Circo *ad gradus Baſilicæ*, gradus caveæ, & Circus ipſe in ſemicirculum flectebatur. Id paries inorbem circumactus teſtatur è quadrato lapide in dirutarum ædium ſolo repertus, cui pars Baſilicæ, & ædes ipſæ impoſitæ fuerant. Summa circulationis extremæ curvatum ibi deſinebat, ubi nunc imi gradus marmorei in aream Templi demittuntur è regione Turris angularis in auſtrum ſurgentis. Huc uſque præcitatus Auctor, de quo Matthæus Raderus epiſt. ad Leonem Allatium ſcripſit: *Ferdinandi Caroli Typus Templi Vaticani, uſque adeò placuit, ut judicarim nihil poſſe fieri illuſtrius*.

Pag. 40. — Lib. de lud. Circ. pag. 7. — Apud Severan. pag. 271.

Pag 8. Illi adde Joannem Baptiſtam Severanum, qui de Septem Eccleſiis agens, eundem Circum deſcribit his verbis: Cominciava queſto Cerchio dal luogo, ove era la Chieſa di Santa Marta, d'onde aveva ancora l'entrata, ed arrivava agli ultimi ſcalini delle ſcale antiche di San Pietro, come ſi è viſto nella demolizione del Palazzo dell'Archipresbiterato, che era già ſopra di dette ſcale, dove ſi ſono trovati i muri in forma di ſemicircolo; e ſi vide ancora nel muoverſi le dette ſcale, quando Paolo Quinto di felice memoria l'anno del Signore 1616. le fece ritirare piu vicino alla Chieſa, trovandoſi i veſtigii di eſſo Cerchio, ed alcuni

muri

„ muri antichi reticolati, e groſſi, li quali erano delle torri, che aveva
„ intorno il medeſimo.

Quamobrem ab his magni nominis Auctoribus edoctus, Ichnographiam Circi expoſui omninò diverſam ab ea, quam mente conceperam, percurrens librum Equitis Caroli Fontanæ, antequam eorum narrationes mihi innoteſcerent. Porrò illum delineavi rejecta menſura palmorum 680. ab eo aſſignata ſpatio, quod inerat inter carceres, & priorem metam, inſtructus à Bartholomæo Marliano, qui cap. 17. Urbis Typographiæ ait: *In curriculo Circi duas metas pari intervallo utrinque poſitas fuiſſe, circum quas equi, & quadrigæ currebant.*

Vidimus hæc metarum æqualia intervalla in Numiſmate Auguſti apud Hubertum Golzium. Vidimus in Numiſmate Antonii Caracallæ, & Alexandri Imperatoris apud Auguſtinum. Vidimus in Nummis, quos pag. 50. libri de ludis Circenſibus refert Panvinius. Vidimus demùm in Circis à Jacobo Lauro ære inciſis Romæ anno 1612. ex antiquis monimentis, in quibus metæ æquè diſtant à turribus, & carceribus. Quod ſi in Circo Caracallæ ab Equite Fontana citato, & ab Onuphrio Panvinio pag. 56. expreſſo, meta, carceres reſpiciens, magis ab eis diſtat, quàm alia ab extrema, & oppoſita Circi parte, vix illa demonſtrat diſtantiam unica vice duplicatam, non verò ſexies, quàm Fontana in Circo Caii fuiſſe vulgavit; nec unius Circi forma, in quo fortaſsè metæ non æquè diſtabant, ſimilem ſtatuere cæteris debet, quorum diverſam fuiſſe plurima tùm paginarum, tùm Nummorum, ac Lapidum monimenta clariſſimè conteſtantur. Dixi *fortaſsè*, nàm Famianus Nardinus accuratiſſimus Romæ antiquæ Scriptor, in Icone, quàm affert pag. 412. metas ejus deſcribit æquali ſpatio diſtantes à Carceribus, & muris oppoſitis.

Tab. 71. nu. 4. & 6.

Tab. 54. num. 14.

Itaque ut Grimaldo teſti oculato fidem præſtemus, aſſerenti Circum Caii principium habuiſſe circa finem ædium Archipresbyteri, in has rationabiles menſuras ejuſdem aream diviſimus, videlicèt:

Ab obeliſco ad caput ſpinæ, hoc eſt menſuram ſpinæ medietatem comprehendentem	palm.	360.
Spatium à meta occupatum	palm.	30.
Spatium pro curſu æquale ſpatio latitudinis mediæ areæ	palm.	115.
Muros, ubi ſedilia pro Spectatoribus	palm.	85.
In altera parte medietatem ſpinæ	palm.	360.
Spatium pro meta	palm.	30.
Spatium pro curſu	palm.	115.
Spatium eccupatum à Turribus, ſub quibus erant Carceres	palm.	110.
Qui in unam ſummam collecti, efficiunt	palm.	1195.
His ſi addantur	palm.	45.
Erit numerus	palm.	1240.

Qui numerus in Tabulis Ichnographicis tùm à Martino Ferraboſco, tùm à Fontana, & Alpharano delineatis, repertus eſt effici à duabus diſtantiis, videlicèt à fine ædium Archipresbyteri, ubi Circi principium, juxtà relationem Grimaldi:

Ad obeliſcum diſtantia	palm.	540.
Ab obeliſco ad Templum Sanctæ Marthæ	palm.	700.
Qui efficiunt ſummam ſupradictam	palm.	1240.

Quod verò ſuperſint palmi 45. non ideò Grimaldi relatio claudicat, dicentis Circum deſinere, ubi nunc eſt Eccleſia Sanctæ Marthæ; poteſt enim intelligi ea in parte finem habuiſſe, ubi propè inerat talis Eccleſia. Quod ſi Templum Sanctæ Marthæ tanquam terminum Circi rigorosè putandum eſſe non nemo judicet, tribui poſſunt pro libito palmi 45. qui ſuperfuerunt, ſpatio quadrigis aſſignato, & carceribus proximo, pro cubiculis, de quo nihil ambigendum puto. Hæc de Circo dicta ſint ſatis. Ad Baſilicam igitur, quo jam pridem fertur animus, ſtylum, oculoſque vertamus.

CAPUT VII.


De Fabricis Exterioribus Baſilicæ additis.

CONSTAT ex tomo I. Ughellii pag. 108. quinque Monaſteria extructa fuiſſe circa Vaticanam Baſilicam, videlicèt primum Sancti Stephani, ſecundum Sanctorum Joannis & Pauli, tertium Sancti Martini, quartum Sanctæ Theclæ, quintum Monaſterium in Hieruſalem dictum, apud Bibliothecarium in vita Leonis III. aitque Ughellius hoc conſtare ex duabus conceſſionibus, altera Joannis XIX. qui floruit anno 1014. & altera Benedicti IX. qui vixit anno 1034. in favorem Petri Epiſcopi Sylvæ candidæ factis. Maffeus verò Veggius lib. 4. aſſerit nunquam invenire ſe potuiſſe fundatorem Monaſterii Sancti Stephani, neque apud *Hiſtoricos*, neque apud *Privilegia Pontificum*, *in quibus magna horum habetur notitia*. De his Monaſteriis agit Illuſtriſ. Ciampinus lib. 4. ſect. 14. qui prudenter coniicit ea Monaſteria ibi ædificata fuiſſe à Pontificibus, ut Monaſticam vitam veluti in ſolitudine Monaci ducerent (erat enim Vaticana Baſilica extrà Urbem poſita) & Romanos Cives ad ejuſdem vitæ ſtudium excitarent, poſtquam circa annum 340. Anaſtaſius Alexandrinorum Epiſcopus ab Arrianis ſua è Sede pulſus, Romam venerat, ibique Monachorum inſtitutionem promulgaverat; utcunque hæc ſe habeant, illud certum eſt quamplurima circa Baſilicam tùm Monaſteria, tùm Templa, ædiculaſque fuiſſe extructa, quæ breviter ſingillatim indicabo, & præſertim, quæ Baſilicæ parietibus conjungebantur, iis relictis, quæ ab eadem aliquo ſpatio diſiuncta aſſurgebant.

Fig. 7. Adeamus igitur Tabulam 7. in qua gradatim diſcurremus, ut evitetur

TABVLA J.

ICHNOGRAPHIA BASILICÆ
CVM SACELLIS EXTERIORIBVS
BASILICÆ ADDITIS



Auctor del. et sculp.

tetur confuſio, quæ ex inordinata rerum ſerie legentibus ſtomachum excitat, ac tædium laboris. Incipiendo à latere ſiniſtro ſub numero primo indicatur.

1. Locus, in quo, ut affirmat Fontana, Pontifices *ſacris indumentis amiciebantur*. At veſtibulum Secretarii illum vocat Illuſtriſs. Coſtagutus cum Alpharano, quod probabiliùs videtur; indecorum enim fuiſſet Pontificem Summum induere ſacris indumentis in loco aperto, & omnibus obvio, ut patet ex ipſius delineatione.

2. Innuitur Secretarium, in quo Pontificum ſacra ſupellex ſervabatur, & in eo Pontifices veſtibus ſacris induebàntur, cum è Laterano ad ſacra conficienda Divi Petri Baſilicam peterent. In hoc Secretario aliqua exiſtebant Altaria. In loco q. erat Sacellum præcipuum, in quo Deiparæ Virginis Imago, quæ de Febribus nuncupabatur, collocata fuerat, tranſlata de Templo antiquo, nunc Sacrario Baſilicæ. r indicat Altare S. Jo. Baptiſtæ tranſlatum de Familia Urſinorum. ſ Altare Sancti Sebaſtiani à Chriſtophoro de Jacobatiis erectum. t Aliud ſine nomine. u Altare demonſtrat, ad quod fuit tranſlata Imago Beatæ Mariæ ex columnis porticus. In loco X erat janua. In Z extabat Altare ſine nomine.

3. Oratorium antiquum.

4. Oratorium, cui Sanctus Thomas Apoſtolus nomen dederat; illic à Symmaco Pontifice circa anno 500. extructum.

5. Sacellum, quod Sixtus IV. ædificavit ornamentis inſuper additis. Ibi erant diſpoſita ſedilia in triplicem ordinem pro triplici Clericorum ordine Baſilicæ inſervientium. Addita hac inſcriptione: *Edictum. Sedere in his ſubſelliis nemo audeat, niſi Sacerdos, initiatuſve ſacris. Prophane quiſquis es, procul eſto*. Huic Sacello aditus erat peramplus ſub magno arcu. Patroni ejuſdem, ab eodem Sixto electi, erant Beata Virgo, Sanctus Franciſcus, & Sanctus Antonius. Turrigius MS. cap. 6.

6. Sacellum indicat cum Altari, quod Zenus Cardinalis Venetus Sanctæ Mariæ in Porticu ædificavit.

7. Oratorium antiquum, ab Antonio Cardinali Cerdano reſtitutum, ſed ſine ullo Patroni nomine.

8. Sacrarium vetus ad ſacram ſupellectilem ſervandam deſtinatum, ſupra illud erant cubicula pro Baſilicæ Cuſtodibus.

9. Bibliotheca Pontificia, ubi perantiquæ Pontificum, & Baſilicæ ſcripturæ ſervabantur. Hanc fuiſſe ſupra Sacrarium affirmat Severanus, ubi cubicula pro Cuſtodibus extitiſſe ex Alpharano retulimus. Pag. 105.

10. Templum Sancti Andreæ à Symmaco Papa erectum, ut affirmat Anaſtaſius Bibliothecarius. Hìc fecit Baſilicam Sancti Andreæ Apoſt. apud Beatum Petrum Apoſtolum, ubi fecit Cyborium ex argento, & Confeſſionem penſ. libras 120. Romanus verò Canonicus inquit, Symmachus Papa fecit Baſilicam Sancti Andreæ Apoſtoli ad Sanctum Petrum, in qua & Altaria ſtatuit, ubi plura Sanctorum Corpora, ſicut carmina indicant, ſtatuit. Altaria indicavimus primo littera n, quod erat Sancti Andreæ dicatum, ubi Summi Pontifices ſolemnia quædam peragebant. O oſtendit Altare Sancti Angeli dictum. p aliud ſine nomine. Alphar.

11. Tem-

11. Templum Sanctæ Petronillæ ſacrum, formam orbicularem in muris exterioribus habens, intus verò octangularem, à Paulo I. factum ait Alpharanus littera D Tabulæ Ichnographicæ cum Anaſtaſio. De hoc luculenter diſſerit Illuſtriſs. Ciampinus ſub num. 153. cap. 4. ſect. 12. aſſeritque extructum ab Honorio I. Sex ibidem erecta fuiſſe Altaria denotat Anaſta- Cap. 3. ſius, octo ait Alpharanus, ſed falsò, nàm duo ſpatia erant aditus. Idem Alpharanus addit talia Sacella fuiſſe lata, & longa palmis 20. Templi verò Apud Severan. pag. 93. diametrum palm. 75. ejus altitudinem palm. 55. Littera e denotat Altare Salvatoris dictum de Abundantia, à Thoma de Urſinis Cardinali, & Neapolione Comite Manupelli dicatum. Crux ſignat Altare Beatæ Mariæ Annunciationis, à Maria de Comitibus erectum. Signum verò a aliud, ſine cultu, & nomine. b. hæc nota ſuggerit Altare, quod Sanctæ Petronillæ, Ludovicus Rex Francorum dotavit. Proxima c notat Altare ſine nomine, ſub quo oſſa è diverſis ſepulchris eruta, collocata fuere. Aliud itidem ſine nomine denotat ſignum d.

12. Tranſitus, per quem petebatur Templum Sanctæ Mariæ de Febribus, ibi extabat Altare Z Divo Joanni Chriſoſtomo erectum, cui Cyborium imminebat à columnis porphireticis ſuſtentatum, ſub eo jacebat Corpus ejuſdem Sanctæ Eccleſiæ Doctoris. Hinc indè erant cubicula Sanctimonialium, vulgò *le Murate di San Pietro.*

13. Templum Sanctæ Mariæ de Febribus, ob quamdam Imaginem Beatæ Virginis ſic vocatam, & ibi populi venerationi expoſitam, poſteà verò in Sacello, quod Chriſto in cruce affixo dicatum eſt, devotè ſervatam: nunc eſt Sacrarium Templi, ſimile ſuperiori S. Petronillæ dicato. Hæc Templa nonnulli dixere Apollini, & Marti ſacra, at quam à veritate aberrarint, evincit Eques Carolus Fontana ſolidis argumentis adductis in cap. 8. lib. 2. Templi Vaticani, aſſeritque hæc duo Templa, Apollinis, & Martis, quæ dùm vana Gentilium ſuperſtitio vigebat inſignia erant, ipſomet ſito loco fuiſſe, ubi nunc Beati Petri Baſilica magnificentiſſimo ambitu exædificata conſurgit. In eo ſimiliter Templo non deerant Sacella, ſeptemque numerabantur, videlicet ſub littera f Altare erat incognitum. Sub g Sacellum SS. Lamberti, & Servatii à Georgio de Cæſarinis Canonico excitatum, ad quod fuit tranſlatum Corpus S. Jo. Chriſoſtomi. In h erat Sacellum cum Cathedra Divi Petri, & Culcitra Sanctorum Martyrum ſanguine reſperſa. I oſtendit Sacellum, & ſepulchrum Calixti III. K innuit Altare Beatæ Mariæ de Febribus dicatum. L Sacellum ſine nomine, ut ait Alpharanus; Fontana verò lib. 2. cap. 10. aſſerit Jeſu Chriſti illud appellatum fuiſſe, ubi erat ſepulchrum Hugonis Angli, Regni Cypri Quæſtoris. M deſignat Sanctiſſimæ Trinitatis Sacellum, & Sanctorum Coſmi, & Damiani, ubi ſepulchrum Clericorum Pag. 97. Baſilicæ miniſtrantium. Narrat Severanus, ſub his detecta fuiſſe à quodam Cementario Coſmo Florentino totidem ſimilia Sacella, quando jacta fuere novæ Baſilicæ fundamenta.

14. Indicatur ædificium juxtà majorem Baſilicæ apſidem eleganter ædificatum, marmoreis aliquot columnis ſuffultum, quod in honorem Probi Anicii Præfecti Prætoriani à clariſſima fœmina Proba ejus uxore erectum fuerat, ubi illa virum ſuum, quem unicè diligebat depoſuerat, ibique & ipſa

poſt

poſt mortem viri, tumulo conſociari voluit, de quo Maffæus Veggius. Lib. 4.
Altari majori, capitique Baſilicæ connexum, atque extrà porrectum erat Templum magis, præ magnitudine ejus, quàm Oratorium, quod noſtris temporibus vidimus, nunc autem dirutum (tempore videlicèt, quo ſcribebat) nàm quoniam Nicolaus V. cujus ſumma in ædificando præ omnibus Pontificibus laus fuit, novum, & ingens ad caput Baſilicæ, quod morte præventus imperfectum reliquit, ædificium fabricare cæpiſſet: hoc in primis Templum demolitus eſt; erat porrò nobile, magnum, multiſque marmoreis columnis erectum, ſed negligentiùs habitum, nullique jam acceſſum, quod ignarum vulgus Confeſſionem Beati Petri, ac viventis ejus etiam habitaculum, neſcio, quo inſomnio fuiſſe jactabat. At verò fuerat ipſum Templum extructum in memoriam Probi ab uxore ejus Proba, qui vir fuit ſummus, ætate ſua, multis functus in vita magnis, excelſiſque dignitatibus (de quo loquitur Divus Paulinus Nolæ Epiſcopus, vivebat ille tempore S. Athanaſii) & propter graves, diraſque, quas ſuſtinendæ fidei cauſa paſſus eſt, ac longas perſecutiones, Sanctis meritò Martyribus comparandus videatur. In hoc ergò Templum antè ſex fortè menſes, quam dirueretur, neſcio quo ſpiritu agente introivi. Videram enim characteres litterarum inſcriptos marmoribus, quæ columnis in fronte, atque utroque ex latere ſuperpoſita erant, quos magno cum labore (nàm nato ibi muſco, undique penè obſcurati erant) excepi, & niſi tunc excepiſſem, inſcriptio eorum penitùs deperiiſſet; quoniam paulò poſt marmora illa propter magnitudinem, & pulchritudinem eorum in magnos uſus operum fabrilium converſa ſunt. Hactenus Maffæus Veggius.

15. Cœmeterium Vaticanum, ſive Fontem Sancti Petri deſignat; poſt Templum enim Probi (loquor cum eodem Veggio lib. 4.) erat altum quoddam, & vetuſtum Chriſtianorum Cœmeterium colli ipſi, quem videmus conjunctum cum Oratorio utique ſemiruto ſuperpoſito, ſubtus autem poſtquam dirutum fuit, repertus eſt inſignis locus ſepulturæ Gentilium cauſa fabricatus, continens etiam urnulas more eorum cineribus plenas. Sed quod ad Cœmeterium Chriſtianorum pertinet, reperti ſunt in eo plurimi nobiles marmorei tumuli, inter quos unus dicatus Leoni Papæ &c. Hæc omnia ſe vidiſſe affirmat Veggius miſſus à Nicolao V. *cupiente quid id eſſet certiùs ab eo intelligere*. Circa quod Cœmeterium (licèt difficillimum, & penè impoſſibile ſit uniuſcujuſque Cœmeterii originem aſſequi) nihilominus haud temere de hoc Vaticano affirmari certò poteſt ſub Nerone initia illud ſumpſiſſe circa annum à Chriſto nato ſexageſimumſextum. Seviente igitur illo in Chriſti aſſeclas, præſertim in campo Vaticano: ſanctiſſimi illi Religionis Chriſtianæ ſectatores ſecretam quandam propinqui montis partem elegerunt, in qua ſacrum Cœmeterium aperiendum curarunt, ut ibi occiſorum pro Chriſto Corpora humarentur. Immò ad eundem locum cum Chriſtifidelibus tunc viventibus ipſi Apoſtolorum Principes, Petrum præcipuè ad ſacra obeunda ſæpiùs conveniſſe, non à ratione abſonum eſſe putant Scriptores Eccleſiaſtici, præcipuè Arringus, qui lib. 2. cap. 4. num. 4. pro ſua ſententia Sancti Martialis acta ab Aurelio Lemovicenſi Epiſcopo conſcripta allegat. Hoc itaque Cœmeterio à Petro Apoſtolorum Principe nobilitato

Ana-

Anacletus exornavit, ampliavitque, ut ibi Petri Succeſſores, teſte Divo Damaſo, poſt mortem deponerentur.

16. Oratorium antiquum, ſine nomine.

17. & 18. Duo Templa, quorum nomina ignorantur, Illuſtriſſimus tamen Ciampinus cap. 4. litt. T. & V. arbitratur illa fuiſſe duo Monaſteria, nempè Sancti Soſii, & Sancti Apollinaris, quæ à Symmacho extructa Panvinius narrat; at quo loco ea fuerint incertum eſt.

19. Antiquiſſimum ædificium Sancti Ambroſii denominatum.

20. Antiquum Oratorium, cujus memoria perierat.

21. Templum Sancto Vincentio dicatum, in tres naves diviſum. Vocabatur olim Monaſterium in Hieruſalem, ſed Sancti Vincentii ſub Alexandro III. vocitatum ait Grimaldus à Martinello citatus. Anno deindè 1561. novi Templi cauſa detectum eſt, in quo decem & octo erant columnæ integræ marmoris glareati 20. ferè palmorum. Plura de hoc Templo ſcribit Severanus de Septem Eccleſiis.

22. Oratorium Sancti Gregorii de Palatio appellatum, ad quod Corpus ejuſdem tranſlatum fuit.

Erat prætereà propè ſcalas Baſilicæ Eccleſia Sancti Apollinaris ab Honorio I. ædificata. De ea Canonicus Romanus. Hìc fecit Eccleſiam in honorem Sancti Apollinaris Martyris in Urbe Româ in porticu Beati Petri Apoſtoli, quæ appellatur Palmata. Hìc fecit conſtitutum in Eccleſia, & decrevit, ut omni Sabbato exeat Letania ab Eccleſia Sancti Apollinaris ad Sanctum Petrum, niſi feſtum interveniat &c. Illi ſuberant Circi Neroniani parietes indicati in noſtra Tabula Ichnographica 6. Onuphrius Panvinius lib. 3. cap. 20. putat talem Eccleſiam à Symmacho fundatam, prout affirmat Anaſtaſius. Severanus verò pag. 74. ponit in latere oppoſito propè Templum Divi Ambroſii.

Hæc ſunt ſacra ædificia propè Baſilicam diverſis temporibus ædificata; quamobrem, ut aditus ad ipſa pateret, in muris, totam Baſilicæ aream comprehendentibus, undecim januæ fuerunt apertæ, ut in eadem noſtra Tabula apparet. Nec ab unicò Religionis votò, ſeu pietate, vel commodo, ſed ad ipſammet Baſilicam firmiùs ſtabiliendam.


Lib. 1. de Archit. c. 8. num. 18.

Leo Albertus affirmat ab ædibus illis, quæ Baſilicæ, ſub colle adjacebant, ipſum collem fulciri, ne ſuo pondere ſemper ingraveſcente, Templum opprimeretur, & aquis impedimento fuiſſe, ne rapido incurſu in eandem impetum facerent, ſed aliò præterfluerent, ſaxeo repagulo objecto, ſicuti cæteræ lateri meridiem ſpectanti adnexæ, ſuis arcuatis ſubſtructionibus collis declivitatem, cui Baſilica imminebat, ne corrueret, ſuſtentabant.

CAPUT

TABVLA 8.

ICHNOGRAPHIA BASILICÆ ANTIQVÆ CVM ALTARIBVS



Auctor del et sculp.

CAPUT VIII.

De Sacris Altaribus Baſilicæ.

HIS breviter indicatis, Tabulam iterùm Ichnographicam 8. ejuſdem Baſilicæ perluſtremus, ut in ipſa ſacras Aediculas, ſeu Altaria temporis decurſu in Dei honorem, & Sanctorum cultum excitata recognoſcamus. *Fig.* 8.

Fateor me non lævem expertum eſſe laborem in eorum catalogo conficiendo. Quamplurimi enim Auctores illa recenſentes ordinem valdè diverſum ſervant, nec apud omnes idem eorum numerus reperitur. Petrus Mallius, qui ſcripſit anno 1160. in ſua hiſtoria ad Alexandrum III. Pontificem Maximum, loquens de Sanctis, qui in Beati Petri Baſilica requieſcunt, vigintiſeptem tantùm numeravit. Maffæus autem Veggius Canonicus Sancti Petri, qui floruit tempore Eugenii IV. & obiit anno 1447. in ſuo opere MS. de rebus antiquis memorabilibus Baſilicæ Sancti Petri, quod in Archivo ejuſdem Baſilicæ cuſtoditur, in lib. 4. deſcribens Altaria, vigintiocto recenſet. Onuphrius Panvinius, qui vixit anno 1558. pag. 41. De Septem Urbis Eccleſiis, præter Altare majus Sancti Petri in antiqua Baſilica viginti alia Altaria (inquit) partim Sacellis, vel Oratoriis incluſa, partim ſine Aediculis ipſis fuere, quorum brevem epilogum addit, ſed hunc ſine ullo ordine fuiſſe affirmat Pompeus Ugonius. Eundem Alpharanus in lib. De antiquitate, & præſtantia Baſilicæ Vaticanæ modeſtè refellit, excuſatque Scriptorem alioqui eruditiſſimum his verbis [Onuphrius Panvinius Ordinis „ Eremitarum, in libro, quem ſcripſit De Antiquitatibus Baſilicæ Vaticanæ „ valdè quidem præ cæteris hujuſmodi Scriptoribus laudandus, & extol- „ lendus, quamvis omnia benè interpretatus fuerit, tamen ſitus aliquorum „ Sacellorum, Altarium, & nonnullorum locorum non benè intellexit. Nàm ſub organo Corpus Sanctæ Petronillæ Virginis tranſlatum fuiſſe ſcripſit, & Altaria Sanctorum Philippi & Jacobi, Simonis & Judæ, Abundii hujus Baſilicæ Manſionarii, & portam, quæ mittebat ad Eccleſiam Sancti Vincentii alibi fuiſſe docet, quod quidem non eſt ità. Corpora SS. Proceſſi, & Martiniani Martyrum, ſub organum, Corpus verò Sanctæ Petronillæ in Altare Sanctiſs. Crucifixi, & Lancea, qua Chriſti latus perforatum fuit, ad Cyborium Vultus Sancti tranſlata fuère, ità & de aliis, & quidem ei parcendum eſt, nàm de hujuſmodi locorum ſpatiis, & tranſlationibus non habuit antiquiorem, quem conſulere poſſet, ſicut ego Jacobum Herculanum Canonicum, & Altariſtam ejuſdem Baſilicæ antiquiſſimum, qui hujuſmodi rerum, & actionum doctiſſimus erat. Hæc de Panvinio Alpharanus. *Apud Illuſtriſſimum Ciampinum pag. 63.*

Ugonius item, qui ſcripſit ſub Sixto V. circa annum 1588. ea tantùm recenſuit, quæ in Templi veteris parte, vel inibi primùm erecta, vel ex alia jàm diruta illùc tranſlata ſexdecim numerabantur. Joannes Severanus in lib. De Septem Urbis Eccleſiis impreſſo anno 1630. pag. 70. & ſeq. vigintiquinque partim Oratoria, partim Altaria deſcripſit. Tyberius

verò Alpharanus, quem nuper citavimus de Panvinio loquentem, antequam tota Baſilicæ veteris moles penitùs ſolo æquaretur, ut Sixtus V. meditabatur, ejus delineationem aggreſſus peraccuratè abſolvit, eidem adjectis cum exterioribus interioribus Sacellis, quæ Summorum Pontificum, aliorumque Virorum pietas excitaverat. Servatur ipſa delineatio in Archivo Baſilicæ, & in Vaticana itidem Bibliotheca ejus auctographum duobus magnis foliis compactum, in quo Altaria omnia recenſet numero ſexagintanovem, quæ tamen diverſis temporibus in eadem Baſilica extiterunt. Porrò ille plenam Templi notitiam, ut ipſemet aſſeruit, à Jacobo Herculano Canonico habuit *ejuſmodi rerum doctiſſimo*. Nos eumdem ſequuti ea breviter indicamus in Tabula ſimili Ichnographica, ſingulis eo in loco collocatis, in quibus fuiſſe, tùm ex Alpharani, tùm ex aliorum relationibus rationabili conjectura deprehendi potuit. Cæterùm non id mihi præſumo, quod præclaris Scriptoribus tribuendum poſtulat ratio: quamvis ab eorum methodo longè aberrem, ea ratione ducar, qua faciliori, ac breviori via partes omnes Baſilicæ perluſtrans, minùs gravetur oculus, inordinatè diſcurrendo, & numerorum evitetur confuſio, quibus ſingula indicantur. Quamobrem Altaria tantùm, ſeu ſacra Sacella hìc exponam, relictis conſultò Sepulchris, ab Alpharano, cæteriſque Scriptoribus enumeratis. An ex hac ſcribendi ratione utilitatem aliquam, ſeu claritatem Lectori attulerim, Lector ipſe diudicabit.

Ingrediamur igitur Templi januam A, quæ olim appellabatur mediana, oculos dirigendo ad Apſidem ſub ſigno ✠ indicabitur Altare majus Divi Petri, ſub quo ejuſdem Confeſſio, de qua alibi fuſiùs tractandum erit. Ad ſiniſtram flectendo, Altaria propè parietes collocata numeremus ſub numero

1. Seſe offert Altare, quod dicebatur Mortuorum, de quo Alpharanus cap. 4. Sic appellatum, eoquòd ſuffragia pro mortuis illic à Deo ſæpiùs flagitabantur. In auguſtiorem formam fuiſſe illud erectum à Gregorio XIII. ſcripſit Illuſtriſ. Ciampinus ſub num. 48. & in honorem Sanctorum Philippi, & Jacobi, necnon Sancti Hieronymi conſecratum.

Altare S. Bonifacii. 2. Extabat hoc in loco propè portam B. Judicii dictam, Altare Sancti Bonifacii, ut Severanus affirmat, Illuſtriſ. tamen Ciampinus illud poſuit propè januam Ravennatem num. 47. in angulo mediæ navis, & reſtitutum fuiſſe ait, à Bonifacio VIII. & columnis ornatum, dirigente fabrica quodam Viro nomine Arnulpho.

3. Altare, de Pereriis appellatum, ubi ſepulchrum Raymundoz Hieroſolymitanorum Equitum Magiſtri.

S. Gregorii Magni. 4. Sancti Gregorii Magni, Oratorium à Gregorio IV. erectum, ſub quo idem Pontifex ejus Corpus condidit. Hoc Altare argenteis tabulis (In Vita Greg. IV.) undique ornatum fuiſſe ab eodem Pontifice à Bibliothecario accepimus. Idem Sacellum Pius II. reparavit, poſuitque in eo Sancti Andreæ Caput. Maffæus autem Veggius addidit eundem Gregorium IV. in eodem Oratorio collocaſſe Corpora Divorum Sebaſtiani, & Tyburtii, quibus ſingulis (SS. Sebaſtiani, & Tyburtii.) ſua Altaria extruxit.

5. Propè illud extant Sacella antiquiſſima cum aris. Alterum

Sancto

Sancto Euſtachio, Sancto Georgio alterum dicatum, ut colligitur ex vetuſtiſſimo Vaticanæ Baſilicæ Martyrologio. SS. Euſtachii, & Georgii.

6. Deindè Sacellum Annunciationis Beatiſſimæ Virginis, in quo Beatæ Margaritæ imago colebatur. Illuſtriſs. Ciampinus pag. 68. B. Mariæ Annunc.

7. Proximum huic Oratorium Sancti Blaſii excitavit Poncellus de Urſinis. Ciamp. pag. 68. S. Blaſii.

8. Illud ſequebatur Divi Nicolai Epiſcopi, & Confeſſoris Altare. S. Nicolai.

9. Altare dicatum Divo Marco Evangeliſtæ à Marco Barbo Patriarcha Aquilejenſi. Extabat ubi olim fuerat ara Sanctæ Mariæ de Miſericordia, refecta à Nardo Catino Baſilicæ Beneficiato, ubi Paulus II. ejus affinis tumulum poſuit. S. Marci.

10. Beatæ Mariæ Sacellum ab Eugenio IV. extructum, à Petro Cardinali Barbo refectum, ut Alpharanus affirmat ſub num. 58. S. Mariæ.

11. Altare ſine nomine.

12. Sacellum Divæ Catharinæ ſacrum, dicatum ab Aegydio Laurentio de Gerla, qui cum ſuis conſanguineis ibi quieſcebat. Ciampinus num. 21. S. Catharinæ.

13. Dicavit hoc Sacellum Symmachus Sanctis Proceſſo, & Martiniano. Paſchalis autem I. illud refecit anno 817. ex Alpharano cap. 3. Hujus Iconem expoſuit ex Archivo Vaticano in tabula XVI. ſub littera C. Illuſtriſs. Ciampinus, qui ait cap. 4. num. 20. illud à fundamentis fuiſſe erectum à Paſchale, & muſivis emblematibus illuſtratum. Inter multos, qui huic Altari nitorem contulere, fuere Jacobus de Mutis Epiſcopus Spoletanus, & Gregorii XI. in Urbe Vicarius, Simeon Romanus, Riccardus Oliverius de Angiò Epiſcopus Portuenſis Sanctæ Rom. Eccleſiæ Cardinalis. Huic imminebat organum ab Alexandro VI. factum, & à Muſca præſtantiſſimo artifice cælatum, quod hodiè extat propè Cappellam Sancti Gregorii. SS. Proceſſi, & Martiniani.

14. Altari huic Beatæ Mariæ dicato peculiaria beneficia prægnantibus Fœminis præſtita, de Prægnantibus nomen fecere; erectum fuit à Joanne Cajetano Urſino Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Diacono Cardinali. Deindè reſtitutum, ac dotatum à Jordano itidem Urſino, ex Severano de Sept. Eccl. S. Mariæ de Prægnant.

15. In angulo navis tranſverſæ ad occidentem fuit Sacellum Beatæ Mariæ de Cancellis nuncupatum, ob ænea cancella, quibus illud cinxerat Paulus I. anno 757. ibique Deiparæ Imaginem ex argento libras centum penſantem collocavit. Hæc ænea Septa laicos arcebant, & præcipuè fœminas. Alpharanus MS. cap. 3. Appellabatur etiam Sacellum Sanctæ Mariæ in Oratorio, teſte Maffæo Veggio, & Petro Mallio, qui addit Paulum Pontificem *ejus parietes optimo moſibo ex diverſis metallis depinxiſſe*. S. Mariæ de Cancell.

16. Juxtà illud erat Oratorium Sancti Adriani Papæ I. cujus epitaphium refert Mallius. Illud Maffæus Veggius ſuo tempore penitùs eva-
„ nuiſſe, ait, nec apparere aliud, niſi tantùm affixum lateri Baſilicæ inſi-
„ gne quoddam marmor quadratum, cum inſculptis ei verſibus, qui oſten-
„ dunt ipſum ibi, curante Carolo Magno, ſepultum eſſe. In ipſo autem
„ Altari Sancti Adriani tunc factum fuiſſe locum egregiè ornatum, ubi S. Adriani.

„ collocata fuit Cathedra, ſupra quam ſedere Beatus Petrus dùm ſolem-
„ nia ageret, conſueverat.

S. Leonis. 17. Juxtà Altare majus Sancti Petri erat Oratorium S. Leonis, in quo Paſchalis II. recondidit Corpora Sanctorum Leonum II. III. & IV. Hanc relationem ſæpè accepiſſe à ſuis Majoribus, *præſertim Presbytero Cencio priore*, ait Petrus Mallius.

S. Mauritii. 18. In parte oppoſita dicto Altari erat Altare Sancto Mauritio Martyri dicatum. Ejus illam ſingularem fuiſſe dignitatem, ait Veggius, &
„ Mallius, quòd Imperator antequam ad Altare Sancti Petri à Romano
„ Pontifice Coronam Imperii, ac gladium defendendæ Eccleſiæ cauſa ſu-
„ ſciperet, ibi primùm ab Epiſcopis Cardinalibus benedicebatur, & unge-
„ batur.

S. Silveſtri. 19. Propè hoc aliud erat Sancto Silveſtro ſacrum, in quo fuiſſe reconditum Bracchium ejus retulit Mallius.

S. Sixti. 20. In medio navis tranſverſæ, ubi erat ſuggeſtum pro Evangelio cantando, erectum fuiſſe Oratorium Sancti Sixti refert Veggius, ibique poſitum fuiſſe, poſt deprædationem Cœmeterii Calixti, ejus B. Martyris Corpus. Idem ornatum fuiſſe lapidibus, *& moſibo mirifico* à Paſchale I. narrat Mallius. Alpharanus verò cap. 3. affirmat illud à Paſchale II. extructum, ſed falsò, nàm Bibliothecarius in Vita Paſchalis I. ſic ait. *In B. Petri Baſilica antè aditum, qui ducit ad Corpus, in loco ferrato Altare conſtituit, in quo & venerandum Beati Sixti Martyris, atque Pontificis Corpus honeſtiſſimè collocavit. Vbi & deſuper arcum muſivo exornatum decenter inſtruxit.*

21. Duo Altaria (magnæ antiquitatis ait Veggius) ſine ullo prorsùs nomine neglecta, itaut ſemper obſerata nemo ea unquam adiret.

S. Bartholomæi. 22. In media navi antè ſupradicta Altaria extabat aliud Divo Bartholomæo extructum, magnæ olim devotionis.

Alt. de Oſſibus. 23. In hoc loco fuiſſe Altare de Oſſibus Apoſtolorum dictum, refert Alpharanus cap. 7. ubi erat lapis porphireticus, ſupra quem ex Majorum traditione habetur diviſa fuiſſe Corpora Sanctorum Petri, & Pauli, antequam in Altàri majori Baſilicæ collocarentur.

S. Antonii. 24. Propè dictum Altare aliud extabat Sancto Antonio dicatum ab Antoniotto de Pallavicinis Cardinali Epiſcopo Præneſtino.

S. Crucis. 25. In parte adverſa huic Altari propè murum Baſilicæ occidentem verſus erat Oratorium magnum Sanctæ Crucis *magnæ habitum devotioni*, ut Veggius ait, fœminiſque inaceſſum, quod Papa Symmachus eximio cum cultu extruxit, *ejuſque apſidam columnis porphireticis ex optimo moſibo decoraſſe*, addit Mallius, & Bibliothecarius ſcripſit feciſſe *Oratorium Sanctæ Crucis ex argento, Confeſſionem, & Crucem ex auro cum gemmis, ubi incluſit Lignum Sanctiſſimæ Crucis.*

S. Luciæ. 26. Illi opponebatur Sanctæ Luciæ Ara, quàm Beatus Gregorius Papa conſecravit (Veggius, & Mallius). Illam numeravit etiam Ugonius, aitque fuiſſe è ruinis Baſilicæ ereptam, & ad murum collocatam, quem Paulus III. extruxit, ut vetus Baſilica à nova divideretur.

S. Annæ. 27. Numero hoc indicatur Altare ſub invocatione Sanctæ Annæ, de

de quo Alpharanus cap. 3. quod Matthias Paparonius Canonicus reddidit. Ad illud ſtatis diebus S. R. E. Cardinalium Famuli, vulgo Parafrenarii conveniebant, ad ſacras preces recitandas, ejus Iconem exprimi curavit Illuſtriſſimus Ciampinus in Tab. XIX. litt. H.

28. Propè illud erat Altare Beatæ Virgini dicatum. B. Virgo Mar.

29. Juxtà angulum navis extabat Oratorium S. Joanni Evangeliſtæ ſacrum, indicatum ab Alpharano num. 32. Illud erexit Symmachus, ac mirificè exornavit, & in Confeſſione ejuſdem arcum argenteum poſuiſſe penſ. libras triginta narrat Anaſtaſius. S. Joan. Evang.

30. Aliud propinquum Oratorium cum ornamentis ſimilibus extruxit idem Symmachus (ex Anaſtaſio) in honorem S. Jo. Baptiſtæ, quod deindè à duobus Cardinalibus Urſinis fuit reſtitutum. S. Joan. Bapt.

31. Antè illud Oratorium Fons extabat pro ſacro baptiſmate conferendo, à Sancto Damaſo extructo, ad quem ſubterranei meatus per multa milliaria aquam ducebant magna arte, ac impenſa fabricati; ſed de hoc alibi agendum erit. Fons pro Baptiſmo.

32. Proximum Oratorio S. Joannis in angulo navis erat Sacellum, quod ex tabula trium Regum Magorum nomen ſuum vindicavit, vetuſtate venerabile. SS. Trium Regum.

33. Ulteriùs progrediendo apparebat Altare pro Mortuis privilegio dotatum. Mortuorum.

34. Deſcendenti in navim extremam, quæ Boream reſpiciebat, occurrebat Altare Sancto Aegydio ſacrum, num. 48. ab Alpharano expoſitum. Illud erexit Joannes Tomacellus Bonifacii IX. germanus, qui vixit anno 1400. S. Ægydii.

35. E regione iſtius extabat Altare ſine nomine.

36. Propè parietem ejuſdem navis juxtà Altare Sancti Aegydii erat Ara Divo Nicolao Epiſcopo, & Confeſs. extructa. S. Nicolai.

37. Sequebatur Altare Sancto Jacobo Apoſtolo dicatum, ab Antonio de Calvis S. R. E. Cardin. reſtitutum. S. Jacobi.

38. Deindè Sancti Hieronymi, erectum ab Acherontio de Bovenis. S. Hieronymi.

39. Poſteà Altare Sancti Auguſtini, quod Altaruſium Canonicum reſtauraſſe affirmat Illuſtriſs. Ciampinus. S. Auguſtini.

40. Huic proximum erat Altare Sancti Ambroſii. S. Ambroſii.

41. Sub hoc numero indicatur Altare S. Martini, à Joanne Gallo S. R. E. Card. Vivarienſi Oſtien. Epiſc. extructum. S. Martini.

42. In eadem linea parum diſtabat Altare in honorem Beatæ Agathæ erectum, & ab Aegydio de Roffredis reſtitutum. S. Agathæ.

43. Oppoſitum huic erat alterum dictum Sanctæ Luciæ ex antiquiori loco hùc tranſlatum, ut dictum eſt num. 26. S. Luciæ.

44. Altare Sancti Marci, quod tranſlatum hùc fuit ab alio loco, ubi erat, prout innuimus num. 9. S. Marci.

45. Propinqua huic extitit Ara Sancti Abundii Baſilicæ Manſionarii, cujus meminit Sanctus Gregorius lib. 3. Dial. cap. 25. S. Abundii.

46. Fuerat hoc in loco aditus ad Eccleſiam Sancti Vincentii, poſteà B. Mariæ.

Sacel-

Sacellum Beatæ Mariæ Virginis ab Innocentio VIII. ædificatum, & ad hunc locum tranſlatum, plenum Sanctorum Reliquiis, quod Alpharanus ſub num. 108. indicavit.

SS. Laurentii, & Georgii. 47. Ultimum in hac linea fuit Altare Sancto Laurentio, & S. Georgio extructum, dotatumque à Jacobo Gajetano de Stephaneſcis Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinali.

Vultus Sancti. 48. Erat Altare coopertum deſuper nobiliſſimo, elaboratiſſimoque tegmine, in area ejuſdem navis propè columnas, ubi ſumma cum veneratione ſervabatur Sanctiſs. Sudarium Chriſti, quod Altare vocabatur Veronica. Deſcribitur à Grimaldo in tractatu MS. de Sanctiſſimo Sudario pag. 31. his „ verbis [Imminebat Cyborium marmorei, vermiculatique operis, ſeu co„ lumnis innixum, quarum ſtriatæ duæ ex lapide rubro maculis ſanguineis „ inſerto, Chienſis inſulæ, quem ignari lapidicinæ ab hujuſmodi lapide, „ quo Porta Sancta Baſilicæ Vaticanæ eſt ornata, Portam Sanctam vocant, „ dictum Sacrum Sudarium continens, ſitum erat in ultima laterali nave „ ſtatim dexterâ ingrediendo Baſilicam, verſus Palatium Apoſtolicum, ac „ in Oratorio Joannis VII. Sum. Pont. qui ſedit anno Domini 705. Hic „ Beatiſſimus Pontifex hoc Oratorium cum Cyborio, ad continendum Sa„ croſanctum JESU Chriſti Sudarium, primo ſui Pontificatus anno, qui „ fuit à natali Domini 705. variis hiſtoriis Salvatoris noſtri, & Beati Petri „ muſivo opere, necnon marmoreis incruſtationibus, cum pavimento rotis „ porphireticis rotundis, & ovatis, ac ſerpentinis lapidibus eleganter con„ ſtruxit, ut Anaſtaſius Bibliothecarius in ejus vita, aliique Auctores optimè „ teſtantur, & anno ſequenti 706. quarta currente indictione, Dei Genitrici „ Virgini Mariæ dicavit.

„ Hoc Oratorium, antequàm Fabri demolirentur, exemplandum dili„ genter curavi, ne tàm ſingularis memoria periret, non ſine labore, cum hi„ ſtoriæ Beati Petri verſus Palatium Apoſtolicum ob madentem locum offuſ„ catæ ſatis cernerentur]. Id cum hiſtoriis, & Cyborio præfato in fine ejus opuſculi delineatum apponit. Conſpicitur etiam expreſſum in cryptis Vaticanis, juxtà Aram Deiparæ Virginis Prægnantium in ambitu Sacræ Confeſſionis Beati Petri, illudque luculenter deſcribit idem Grimaldus.

S. Mariæ de Præſepe. 49. In parte extrema hujus navis inſigne Oratorium extabat dictum de Præſepe Domini, ædificatum à Joanne VII. anno 705. ex relatione Bibliothecarii. *Hic fecit Oratorium Dei Genitricis intrà Eccleſiam Beati Petri Apoſtoli, cujus parietes muſivo depinxit, illicque auri, & argenti quantitatem multam expendit, & venerabilium Patrum dextrà, lævâque vultus erexit*. Columnis vitineis, muſiuo, & pario marmore ornatum ait, ſæpè laudatus Illuſtriſ. Ciampinus pag. 75. num. 114.

50. In pariete autem, qui claudit navem dexteram propè medium, videbatur Altare Sancto Antonino Martyri ſacrum.

S. Tridenti. 51. Huic adjacebat aliud Sancti Tridenti Martyris.

S. Venceſlai. 52. Ara Sancto Venceſlao ſacra.

S. Antonii Abbas. 53. In hoc loco numeravit Alpharanus Altare Sancti Antonii Abbatis, ſuffectum alteri vetuſtiori, de quo num. 24. à Nicolao de Aſtallis Baſilicæ Canonico anno 1343. demùm dictum Sanctæ Annæ; poſtquam

ejus

ejus Imaginem Parafrenarii è veteri Baſilica ad illud tranſtulerunt.

54. His Altaribus recognitis medianam, & majorem navim ingrediamur, ubi num. 54. indicatur Altare, vel potiùs Oratorium Beatæ Mariæ, in quo (inquit Petrus Mallius) beatæ recordationis Gregorius III. recondìdit in honorem Salvatoris, Sanctæque ejus Genitricis reliquias Sanctorum, inter quas, ut à majoribus noſtris accepimus, recondidit Corpus S. Gabini Presbyteri, cujus Altare manſit ibi uſque ad tempora noſtra (videlicet ad annum 1160.) nàm tempore Divi Eugenii Papæ III. quando ejus præcepto ereximus ibi iſtud Altare duo Altaria ibi erant, Altare videlicet S. Gabini Presbyteri, & Altare Beatæ Mariæ ſemper Virginis, quod prænominatus Dominus Gregorius III. fecerat, & conſecraverat. In quo etiam Oratorio Imaginem Beatæ Mariæ ſemper Virginis Filium amplexantis poſuit. Alpharanus addidit idem Altare fuiſſe ornatum ab Innocentio VIII. ſed ut veritas clariùs eluceſcat, ſciendum eſt, non ab Innocentio VIII. ſed à Laurentio Cybo nepote Innocentii VIII. poſt obitum dicti Pontificis Sacellum hoc fuiſſe extructum, & dotatum, ut ſcilicèt in eo ſacræ Lanceæ ferrum conſervaretur. Totam rei ſeriem narrat Jacobus Grimaldus in tractatu MS. de ſacra Lancea pag. 172. cujus hæc ſumma eſt. S. Gabini.

„ Acceperat Innocentius VIII. anno Domini 1492. ſacroſanctum ferrum „ Lanceæ, qua noſtræ ſalutis Reparatori latus transfixum fuit, à Magno „ Turcarum Imperatore, illudque die 31. Maii feſto Aſcenſionis Domini „ ſolemni pompa pedeſter detulit à Porta Flaminia ad Baſilicam S. Petri, „ ibique è mœniano eodem ſacro Ferro ſignum crucis ſuper populum pro- „ duxit, & data populo benedictione, in Aedes Pontificias illud ſecùm „ detulit, apud ſe ſervaturus, donec Sacellum in eadem Vaticana Ba- „ ſilica cum Cyborio ad id continendum magnifico ſumptu ædificaret. „ Verùm vix elapſo menſe incidit in gravem morbum. Antequam „ ad æternam migraret requiem, accito ad ſe Laurentio Cardinali Bene- „ ventano ſuo ex fratre nepote, Ferrum ipſum in eadem Baſilica perpetuò „ aſſervandum reliquit, Sacellumque præfatum perficiendum mandavit. „ Antequam Innocentius VIII. efflaret animam, ut notat liber Diariorum „ Magiſtri Cœremoniarum, cujus verba relata ſunt à Jacobo Boſio in libro „ de Cruce RR. S. R. E. Cardinales devotè è cubiculo Pontificis in Vati- „ canam Baſilicam detulerunt, atque in Cyborio Sacratiſſimi Vultus Sancti, „ ut notat etiam Demetrius Guaſellus Beneficiatus Sancti Petri libro Inſtru- „ mentorum ejuſdem fol. 410. Piam igitur Sanctiſſimi Innocentii VIII. „ voluntatem Laurentius Cybo ejus nepos diligenter executus, Sacellum „ Dei Genitrici Mariæ Virgini ſumptuosè conſtruxit, & priuilegiis dotavit „ anno 1493. Situm erat in loco veteris Baſilicæ ubi erat ſepulchrum „ Pauli III. ſub Julio II. anno 1507. demolitum. Hoc Sacellum, ut dictum „ eſt, à Gregorio III. ædificatum primum fuerat, ut refert Anaſtaſius. „ Deindè Innocentius VIII. vel devotione motus Sancti ejuſdem Sacelli, „ vel ob memoriam ipſius Gregorii III. ejus Sacelli fundatoris, ſtatuit illud „ magnificentiùs inſtaurandum, in eoque ſacrum ferrum Lanceæ pulcher- „ rimo in Cyborio reponendum, quod Cardinalis conſtruxit ipſo demortuo. „ Abſolutum illud fuit anno 1495. & picturis, marmoribus, nobiliſſimo-

que

„ que è pario lapide albo pulcherrimè cælato tegmine, in quo Sacratiſſima „ Cuſpis aſſervaretur exornavit. In ara ejus Sacelli, cui ſupernè Cyborium „ imminebat, hanc marmore inciſam poſuit inſcriptionem, quæ in demo- „ litione ſub Paulo V. Pontifice Maximo veteris Templi, ſervata legitur „ hodiè muro affixa ſub fornice novi pavimenti antè Aram Deiparæ Vir- „ ginis Prægnantium his verbis:

Genetr. Dei Mariæ à Gregorio III. P. M. antè poſitum, & dedic. Innocentius VIII. Cybo Genuen. P. M. Laurentio Nep. S. Cæciliæ Presb. Card. Benevent. à fundam. renovan. ſupr. q. Ferrum, quo patuit latus Salvatoris ſanctis. Suæ Majeſt. Byzantio miſſum, à Max. Turcar. ad ſervand. reliquit A. D. M CD XCV.

In Zophoro Cyborii hæc legebantur:

B. Mariæ Virg. Dei Genit. Innoc. VIII Cybo Genuen. Pont. Max. Laurentio Card. S. Cæciliæ Benevent. à fundam. renovand. reliquit.

„ Ad tale Cyborium anno Jubilæi 1500. Dom. 2. Januarii ſacrum „ Lanceæ ferrum ex Cyborio Vultus Sancti delatum fuit. Ex Diariis Cap- „ pellæ Pontificiæ Alexandri Papæ VI. in Bibliotheca Vaticana anno 1507. „ pro fundanda magna paraſtata, ubi poſteà fuit Pauli III. ſepulchrum, ſolo „ æquatum fuit dictum Cyborium, & in Tabernaculum Vultus Sancti „ ſacrum Ferrum iterùm delatum eſt, ut notat Demetrius Guaſellus lib. „ Inſtrument. pag. 410. die 22. menſis Novembris apud eumdem Grimal- „ dum pag. 162.

55. Poſt illud fuiſſe Chorum Cantorum affirmant varii. Et Maſſæus Veggius Sancti Petri Canonicus in lib. 4. refert illum fuiſſe ſupra Ora- „ torium Beatæ Mariæ, ubi ſic ait [Erat quoque in pariete ipſius Oratorii „ depicta Imago Beatæ Mariæ Filium amplexantis, ſupra quam eſt locus, „ factus, in quo, conveniente omnique pſallente Clero Romano, reponi „ mandaverat dextrum armum Beati Petri Protomartyris.

SS. Proceſſi, & Martiniani.

56. Altare Sanctorum Proceſſi, & Martiniani ſub Paulo III. ex alio loco tranſlatum, ubi erat, de quo num. 13. diximus. Addendum autem hìc eſt, cum eo tranſlatum fuiſſe ſimulacrum æneum Divi Petri throno inſidentis, quod cernimus in nova Baſilica cum pede ad Fidelium oſcula porrecto. Simulacrum iſtud ex ære omnium votis antiquiſſimum eſſe affirmat Turrigius de ſacris Divi Petri tropheis, haud tamen nobis nota ejus origo. Nonnulli apud Ciacconium pag. 82. auctorem faciunt Riccardum Oliverium Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalem, ac Vaticanæ Baſilicæ Archipresbyterum, eoquòd in baſi hujuſce Principis inſignia recognoſcunt. Riccardo tamen antiquiorem effigiem hanc Divi Petri judicat Ciacconius ibid. cum apud pleroſque ex antiquis Scriptoribus ſimilis ſtatuæ ex ære memoriam invenerit. Fatetur tamen Riccardum illam ſupra baſim collocaſſe, ideòque in ea propria inſignia poſuiſſe. Illam conflatam fuiſſe ex ære ſtatuæ Jovis Capitolini ex juſſu Leonis Magni tradunt Turrigius de Cryptis Vatic. pag. 126. Phœbeus de Identit. Cathedræ pag. 38. ex MS. Arch. Baſil. Vatic. additque Turrigius ex eo factam, quòd Sancti Petri auxilio ab Attilæ furiis liberata fuerit Roma. Nec quidquam falſi Numinis, cui olim dicatum AEs tale fuerat, nomen, & memoriam officere (notat ſapienter Phœbeus) quò minùs

minus Petro Pontifici jam ſacrum à Fidelibus vero ritu colatur; Ennodio innuente in lib. Apol. ad Impug. 4. Synodi: *Ecce jam Chriſto propitio ad novas fornaces ſimulacra redierunt, ecce jam de obſoleta ſuperſtitione uſus veſter accipit, quod lætetur, dùm de veteri Tonante nova meritò vaſcula præparantur.*

57. Hoc in loco erat collocatum Altare Sanctorum Simonis, & Judæ. Illud à Pelagio Papa I. incæptum fuiſſe, quod poſteà Joannes III. complevit, accepimus à Petro Mallio. Propè decimamoctavam columnam in parte auſtrali medianæ navis hoc fuiſſe Alpharanus narrat. In codice MS. Archivi Vaticanæ Baſilicæ denominatur Altare Sanctiſſimi Crucifixi, & ad Crucifixos, à duplici Chriſti crucifixi imagine, quarum altera erat in pariete depicta, altera in ligno exculpta. Hanc fuiſſe tranſlatam ad parietem, Eccleſiam dividentem, Severanus refert De Sept. Eccleſ. pag. 101. Pompejus Ugonius, qui tempore Sixti V. ſcripſit de ſacris Stationibus pag. 100. refert tunc temporis extitiſſe in veteris Eccleſiæ, quæ ſuperfuerat parte, ac in eo juſſu Pauli III. Sacroſanctam Euchariſtiam aſſervari. Idem affirmat Vaſarus par. 3. pag. 370. in vita Perini *del Vago* vulgò dicti, ex quo accepimus. Juſſu ejuſdem Pauli III. ut erga Sacroſanctam Euchariſtiam cultus magis augeretur extructum fuiſſe Sacellum ab Antonio à Sancto Gallo nuncupato; ex variis veterum ædificiorum fragmentis; in eo inſuper collocatum Cyborium à Donato Florentino exculptum (qui Sculptor egregius antonomaſticè Donatellus vocabatur). Perinum etiam coloribus expreſſiſſe in fornice ſacras Teſtamenti veteris hiſtorias, quæ Divinum Numen ſub pane celatum ſignificarunt, quibus Dominicam Cœnam addidit Marcellus Venuſtus Perini diſcipulus, ut narrat Baleonus pag. 20. Hoc autem Sacellum excitatum, & exornatum fuiſſe, cum annus flueret à Chriſto Servatore 1540. refert Fanuccius lib. 1. cap. 24. deindè ſodalitatem inſtitutam ſub Euchariſtiæ titulo, quæ Sacello cultum procuraret. Paulus deindè V. quòd Vaticanæ frontis ædificationem impediret, illud diruit anno 1607. aliam Sodalitati ædem attribuens Divæ Catharinæ ſacram in via, quæ dicitur ab Italis *Borgo nuovo*. Ejuſdem ornamenta in demolitione partim ad Cardinalem Farneſium, partim ad Cardinalem Burgheſium ex Vaticanæ Baſilicæ Capituli conceſſione deveniſſe affirmat Illuſtriſs. Ciampinus de ſac. ædific. cap. 4. num. 44.

SS. Simonis, & Judæ. Vaſ. pag. 235. De Operibus Piis Romæ.

58. Sequebatur Concha marmorea propè columnam collocata, ſicuti pariter in parte adverſa alia ſimilis Concha, quæ luſtrales Undas continebat, ut ea pervetuſto Eccleſiæ more Fideles ingredientes aſpergerentur, ut docet Cardinalis Baronius ad annum 57. num. 109. In dextera autem columna ſupra Concham erat Deiparæ Imago, cui Gregorius XIII. Altare erexit.

S. Mariæ de Concha.

59. Poſt Concham ſupradictam, quæ in parte ſiniſtra ad meridiem collocabatur in parte Boreali aliud Altare fuit Sanctis Philippo, & Jacobo Apoſtolis dicatum; à quo autem fuerit erectum apud nullum Auctorem inveni, de eo agit Innocentius III. in epiſtola Octaviano Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinali Oſtienſi, & Panvinius de antiquitate Baſilicæ Sancti Petri lib. 3. cap. 3.

SS. Philippi, & Jacobi.

60. Ultimum in hac navi mediana propè Arcum, qui dicebatur S. Paſtoris.

triumphalis erat aliud Altare perantiquum Sancti Paſtoris, Alpharanus cap. 4. Juxtà hoc erat organum, quod Caliſtus III. fecerat, ſubſtentatum ſenis columnis porphireticis, nunc verò in Sacello Sancti Gregorii ſervatum. Illud expreſſit Illuſtriſs. Ciampinus in Tab. 16. litt. A.

61. E navi media proximam ingrediamur, quæ meridiem reſpicit num. 61. indicabitur Altare, ſed ſine nomine, & cultu.

S. Martialis

62. Ex adverſo aliud apparet ſub numero 62. Sancti Martialis dictum, quod antiquum fuiſſe, & magna veneratione habitum affirmat Veggius, idem à Neapoleone de Filiis Urſi Cardinalis ſemèl reſtauratum, Urſina de Urſinis iterùm reparavit.

SS. Crucifixi.

63. Altare Sanctiſſimi Crucifixi, ubi extabat Corpus Sanctæ Petronillæ.

SS. Laurentii, & Georgii.

64. Ab hac navi aliam ſimilem in parte Boreali percurramus, ut ibi alia tria Altaria numeremus. Primum eſt ſub numero 64. dicatum Sanctis Laurentio, & Georgio, à Jacobo Cajetano de Stephaneſcis S. Rom. E. Cardinali, dotatum verò à Lello de Milglis.

65. Huic opponebatur aliud Altare valdè antiquum, ſine nomine.

B. Mariæ.

66. Ultimum denique ſub invocatione Beatæ Mariæ erectum fuerat. Illud ſub numero 90. Alpharanus indicavit, Veggius tamen nullam de eo mentionem fecit.

67. Duæ aliæ Aediculæ ſuperſunt indicandæ, quæ in porticu collocatæ fuerunt. Prima in ejuſdem porticus ichnographia notatur num. 67. eratque parvula, continens multas Sanctorum Reliquias.

S. Mariæ in Turri.

68. Secunda verò num. 68. vocabaturque Sancta Maria in Turri, ſeu ad Turres, ubi electus Imperator in Cœtum Canonicorum Baſilicæ adſcribebatur. De hoc Sacello ſcripſit Floravantus Martinellus in tractatu de origine Imaginis Beatæ Mariæ Monaſterii Sanctorum Sixti, & Dominici Obſervatione prima.

Hæc ſunt Altaria omnia, quæ in veteri Divi Petri Baſilica extitiſſe ex Scriptoribus variis colligere potui accurata perquiſitione, qua eorum ſcripta non ſemèl examinavi, ne ob inordinatam aliquorum collocationem confusè ſcriberem, & veridici Scriptoris partes non adimplerem. Illa tamen eodem tempore ſimul extitiſſe haud quidem credendum eſt, ſed diverſo. Cum enim poſt fundatam à Conſtantino Imperatore Baſilicam varii Pontifices, ac Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Purpurati, Proceresque alii ea omnia excitarint, vario temporum decurſu fuere conſecrata, & vario ætatum intervallo vel diruta, vel refecta, nomen mutarunt, ac ſitum.

Operæ hìc pretium eſſet, ſingula non tantùm calamo deſcribere, ſed ob oculos ponere affabre ſcalpro delineata; ſed cum longa annorum ſerie temporis edacitate conſumpta omninò fuerint (impoſſibile prorſus eſt. Præter Sacella hactenus numerata, quamplurima extiterunt Sepulchra, in quibus Summi Pontifices, Eccleſiæ aliquot Purpurati, Proceresque Viri fuerunt conditi. Quadraginta indicavit in ſua Tabula Ichnographica Alpharanus, ex quo cæteri Scriptores, inter quos Paulus Aringus in ſua Roma Subterranea, qui lib. 2. cap. 8. egit de Summis Pontificibus in Vaticano quieſcentibus, cap. 9. de Imperatoribus, ac Regibus, cap. 10. de Viris illuſtribus

ibidem

ibidem exiſtentibus, exponitque affabre delineatos triginta ſarcophagos, & ſepulchrales inſcriptiones quamplurimas, nec ommittendum hic eſt, quod Turrigius in MS. refert: ideſt juſſu Pii II. omnium Pontificum monumenta, quæ diſſipata per Baſilicam extabant, ordinatim in girum diſpoſita fuiſſe, totamque ipſius Baſilicæ aream repurgatam. Ea conſultò ommiſi de ſola Templi fabrica tractaturus.

CAPUT IX.

De Apſide, Picturis, Feneſtris, & Tecto.

RæORDIENDO modò eſt à Baſilicæ Apſide, quam Tribunam majorem dixerunt aliqui. Illa emycicli formam præſeferens ad centum palmos aſſurgebat ex Severani, & Ferrantis Caroli relatione, ut innuimus. Ejus autem latitudo, & longitudo ignoratur, cum varia referatur ab Auctoribus, ut ſuperiùs obſervatum eſt, in ſingulorum Tabulis ad calculum revocatis. At fornicem illi impoſitum fuiſſe picturis è muſivo exornatum, certiſſimum. Aſſervatur ejus exemplum in ejuſdem Baſilicæ Archivo coloribus delineatum, antequam à Sixto V. muſivum illud dirueretur. Idem in ſuis paginis fideliſſimè expreſſum perhibuit Illuſtriſs. Ciampinus Tab. 13 ejuſque luculentam pariter, & eruditam explicationem à pag. 42. uſque ad 47. appoſuit, addiditque Inſtrumentum Quintiliani Gargarii Notarii Capitolini, qui rogatus collationem cum originali fecit, eique perfectè illud reſpondere ſuo faſſus eſt juramento.

Apſidem hanc à Conſtantino primùm extructam, atque operæ vermiculato exornatam temporis diuturnitate collabentem Severinus Summus Pontifex anno 639. referente Anaſtaſio *renovavit ex muſivo, quod dirutum erat*. Innocentius deindè III. non VIII. ut affirmat Franciſcus Maria Vailardus circa anno 1200. ſimile opus muſivum reſtauravit, quod indicabant ſubjecti verſus à Panvinio De Sept. Urb. Eccl. excepti. Baron. to. 8. Annal.

Innocentius III. PP.
Summa Petri Sedes, hæc eſt Sacra Principis Aedes,
Mater cunctarum, & decor, & decus Eccleſiarum.
Devotus Chriſto, qui Templo ſervit in iſto,
Flores virtutis capiet, fructuſque ſalutis.

Idem poſtmodum Benedictum XI. dictum XII. circa annum 1340. in priſtinam formam redegiſſe narrat Turrigius pag. 62. Jotto celebri Pictore, Florentiâ ad tale opus conſiciendum evocato. Verùm an Turrigio fides in hoc præſtanda ſit valdè dubito, cum ex actis Benedicti XII. ſolùm conſtet illum Baſilicæ Vaticanæ tectum reſtituiſſe, ut ſuo loco fuſiùs exponetur. Conſtat quidem Jottum fuiſſe Romam vocatum à Benedicto, poſtquam hic Summus Pontifex vidit circulum in carta rubeum, unico ductu, ſine ope circini, ab ipſo perfectiſſimè delineatum, ex quo eximiæ artis, qua Jottus pol-

lebat, argumentum deſumpſit, ut Vaſarus refert par. 1. pag. 41. In qua notandum eſt errorem irrepſiſſe, fortaſsè ex Typographi incuria, nàm loco Benedicti XII. ſcriptus eſt Benedictus IX. ſed quamvis ejuſdem juſſu in Apſidis pariete quinque Chriſti Domini hiſtorias depinxerit, ſicuti etiam Tabulam pro Templi Sacrario, ut ipſemet Vaſarus ibidem enarrat, nullam prorsùs operam in fornice poſuit.

Ea demùm Apſis juſſu Sixti V. anno 1587. diruta omninò fuit, & lateres reperti fuere quamplurimi octangulares, in quibus legebatur *Conſtantinus Auguſtus D.N.* de quibus Baronius Annal. to. 3. ad anno 324.

Alphar. c. 1. In medio Ara Princeps erecta erat, quæ tantæ ſemper venerationis fuit, ut nullus unquam Pontificum illam removere auſus ſit; ſed de ea fusè dicendum erit, cum Urbani VIII. ornamenta referemus, indicata ab ejus Numiſmate, in quo hæc brevis inſcriptio legitur: *Sacra Divi Petri Confeſſio exornata.*

Propè Apſidis parietem locus erat pro Solio Pontificio, ſedeſque Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalium, in girum hinc indè collocatæ. Gradus porphyretici deſcenſum præbebant in tranſverſam navim, erantque ii, qui in nova nunc extant Baſilica ſub Apſide, ubi Cathedram Divi Petri Alexander VII. collocavit.

In ea navi tranſverſa, præter Sacella ſuperiùs enarrata, erat ſuggeſtum marmoreum pro Evangelio decantando. Illud indicatur in noſtra tabula ichnographica num. 20. erat etiam Candelabrum eximium pro Cereo paſchali, & num. 22. extabat etiam Fons pro Baptiſmo, de quo fuſiùs tractandum eſt, cum agemus de Sacello in novâ Baſilicâ à Paulo V. ædificata.

In tranſverſæ navis parte ad caput mediæ imminebat Arcus, qui olim dicebatur Triumphalis, de quo vide Illuſtriſs. Ciampinum de Vet. Moniment. cap. 22. utramque paraſtatam ſub Arcu olim conjungebat immodicæ craſſitiei trabs quædam, ſupra quam Crux magna extabat, cum clavibus, ferreis annulis compactis, ait Alpharanus, hinc indè pendentibus, quibus noctu feria quinta majoris hebdomadæ lampades aptabantur. Eas expreſſit idem Illuſtriſs. Ciampinus De Sacris Aedificiis Tab. XV. litt. B. ex eâdem etiam trabe certis anni diebus pendebat Culcitra, ſanguine Martyrum aſperſa, quorum Corpora velabat cum ad Cœmeteria deferrentur. (Cap. 3.)

Sub tali Arcu conſtitutis, ac totum Baſilicæ ambitum oculis percurrentibus Picturæ ſeſe offerebant, quas fieri mandavit Formoſus Summ. Pont. qui floruit anno 890. Ab illis ſalutatum cadaver ejuſdem Summ. Pontificis, cum ad ſepulchrum deferretur, referunt inter multos Vincentius Hiſtoricus lib. 22. cap. 8. Sigebertus, Pandulphus Oſtiarius in vita, Majolus centur. 10. cap. 2. Platina, & Baronius anno 897. in Stephano Papa his verbis: Quantæ „ autem auctoritatis, quantæque fuerit Religionis Papa Formoſus hinc „ colligere poſſumus, quoniam dùm ad Beati Petri Apoſtolorum Principis „ Eccleſiam deportatus, Sanctorum quoque imagines hunc in loculo poſitum venerabiliter ſalutarunt. Hoc à Religioſiſſimis Romanæ Urbis Viris „ perſæpè ſe audiſſe, ait Luitprandus lib. 1. cap. 8. Non tamen dixerim Formoſum primùm decoraſſe picturis Baſilicæ parietes; Anaſtaſius enim in vita Gregorii IV. qui vixit anno 827. ſic ait: *Hæc denique poſtquam omnia,* (Ciacc. in vita.)

omnia, Deo favente, à ſæpè dicto Pontefice decenter expleta ſunt, ea quæ in Eccleſia Beati Petri Apoſtoli foris muros longo jam ſenio caſſata videbantur, ad priſtinum ſtatum cultumque perduxit. Ubi notandum eſt falsò dici ab Ugonio pag. 96. Picturas, quæ ſuo tempore videbantur in muris Baſilicæ, anno ſcilicèt 1588. quo ſcripſit, Formoſi juſſu factas olim fuiſſe. Quadringentis enim circiter annis poſt Formoſum elapſis, anno 1277. Nicolaus III. ad Petri Sedem evectus, ejus Baſilicam temporis injuria deformem, & inclinatam renovavit, & picturâ Romanorum Pontificum in zophoris exornavit, quod in Baſilica Sancti Pauli præſtitiſſe narrat Ciacconius pag. 217. additque Veggius illum *Baſilicam totam renovaſſe cum depictis etiam ſupra columnas omnium Summorum Pontificum imaginibus.* Anno deindè 1303. Benedictus XI. dictus XII. quem Jotti in pingendo peritia mirùm in modum delectabat, poſt ſexcentos Nummos aureos illi donatos in præmium picturæ in apſide Templi expreſſæ: eundèm juſſit omnes Baſilicæ parietes picturis exornare, quæ in parte Boream reſpiciente veteris Teſtamenti ſacras hiſtorias referrent, in oppoſitâ verò Novi, ut in vita Jotti narrat Vaſarus, qui etiam affirmat Gaddum Gaddi pictorem Florentinum, ea ætate celebrem, muſivo opere aliàs expreſſiſſe circa annum 1310. ſub Clemente, hujus nominis Pontifice V. ſicuti etiam Stephanus Florentinus celebris etiam pictor Jotti diſcipulus à Clemente VI. circa annum 1346. Romam accerſitus. Et deindè Petrus Cavallinus Romanus etiam Jotti diſcipulus pietate celebris anno 1364. juſſu Præfectorum Fabricæ depinxit quatuor Evangeliſtas cum imaginibus Divorum Petri & Pauli, aliorumque in navi morantium in interna Baſilicæ facie, & quidem prægrandi forma, quam nullus anteà unquam viderat. Dies ſuos clauſiſſe hìc dicitur poſt octoginta annorum curriculum: in Baſilica Divi Pauli, ſepulchrum obtinuit, hac poſita inſcriptione:

Part. 1. pag. 29.

Turrig. MS. cap. 6.

Quantum Romanæ Petrus decus attulit Urbi:
Picturâ, tantùm dat decus ipſe Polo.

Apud Turrigium in crypt. pag. 153.

Illas omnes indicavit Tab. X. & XI. De ſacris Aedificiis Illuſtriſs. Ciampinus, & coloribus expreſſas habet codex in Archivo Vaticani Templi ſervatus.

His picturis decorati parietes Laqueare ſuſtinebant trabibus, ac tigillis affabre compactum, & lateritiis imbricibus ſub Conſtantino coopertum. Illis Cæli inclementia, ac temporis edacitate perfractis, novos fuiſſe impoſitos ſæculo quinto à Theodorico Gotorum Rege tradunt Hiſtorici, quorum aliquos ſuperfuiſſe ſuo tempore narrat Alpharanus, quatuor digitos craſſos illos fuiſſe affirmat Turrigius. His notis obſignatos *Regnante Theodorico Domino noſtro. Felix Roma. Theodorico Bono Romæ*, juxtà antiquum morem tegulas obſignandi, de quo agit Illuſtriſs. Ciampinus cap. 9. De ſacris Aedificiis, & Octavius Falconerius æquè nobilis, ac eruditus Vir, exponens in epiſtola ad Carolum Dati Laterculi fragmentum cum antiqua inſcriptione inventum anno 1661. quando porticus Templi Pantheonis ab Alexan. VII. reſtaurabatur. Extat hæc epiſtola addita volumini, quod edidit Famianus Nardinus De Roma Vetere anno 1665. Jacobus etiam Grimaldus in tractatu de Sanctiſſimo Sudario MS. pag. 91. ſcribens de hoc tecto, hæc retulit: Dùm

Cap. 1.

tecta

„ vetus Baſilica Almi Principis Apoſtolorum anno 1606. diſſolveretur, ejus
„ tecta viſendi gratia conſcendi. Majoris navis totum æneum erat; latera-
„ lium partim æneis, partim figulinis tegulis tecta operiebantur. Supra
„ navem Sanctiſſimi Sudarii, & Sancti Andreæ erant aliquæ tegulæ magnæ
„ figulinæ cum nomine Theodorici Gotorum Regis. Duas ex his ſervandas
„ curavi in Archivo ejus ſacri Templi, & ſervantur hactenùs, quarum
„ exemplum infrà ſubiicitur. Eſtque illud in noſtra Tabula expreſſum ſub
„ litteris C. & B.

Hoc laqueare temporis decurſu paulatim carie conſumptum, & pluribus in partibus fatiſcens Romani Pontifices refecere. Anno 602. Divum Gregorium trabes illi procuraſſe, ipſius Epiſtola 24. 25. 26. & 27. lib. 10.
„ indicatur, Baronio ſic ſcribente: Inter multiplicium negotiorum labores,
„ & afflictiones, quibus jugiter tenebatur curam ſuſcepit hoc anno Gre-
„ gorius Baſilicæ Petri, ut collabentia ejus tecta inſtauraret, cujus rei gratia
„ Sabino Subdiacono injunxit, ut prægrandes trabes incidendas curaret,
„ atque ad Mare deferendas, quo navigio Romam perduci poſſent; ſcripſit
„ de his pariter, & ad Arogem Ducem, extant ad eos datæ Epiſtolæ, ſed
„ vitiatum ſcias codicem, ubi perperam legitur de *Partibus Brittannorum*
„ eſſe mittendas. Quomodò enim tàm longè petendæ trabes fuere, cum
„ propinquiores eſſent in diverſis Italiæ oris ſylvæ ceduæ earundem tra-
„ bium fertiles? ſed ſi qua in Provincia Sabinus degeret, & negotia Eccleſiæ
„ ageret, intelligemus, planè ſciemus non ex Britannia, eſſe petitas trabes,
„ ſed è Brutina Provincia. Etenim ex diverſis Epiſtolis ad eundem Sabinum
„ Subdiaconum ſuperiùs datis lib. 2. Epiſt. 48. in quibus de Rhegitanæ Ec-
„ cleſiæ negotiis agitur, apparet ipſum curaſſe Sedis Apoſtolicæ negotio in
„ Brutinorum Provincia, ubi Rhegium eſt; ſicque quòd in litteris Gregorii
„ dicitur de Partibus Britannorum eſſe petendas trabes, reſtituendum eſt,
„ ut dicere velit de Partibus Brutiorum, quæ Provincia hodiè Calabria
„ dicitur. Confirmat hæc omnia auctoritas Anaſtaſii, qui in Gregorio II.
„ teſtatur, trabes pro Baſilica Sancti Pauli è Calabria eſſe petitas, ubi ait:
„ Hìc maximam partem Baſilicæ Beati Pauli Apoſtoli, quæ cæciderat, alla-
„ tis de Calabria trabibus cooperuit.

Circa annum 630. Honorio I. præſidente (ait Anaſtaſius) *lævatæ ſunt trabes in Eccleſia Beati Petri Apoſtoli, numero ſexdecim*, quas putò ablatas, ut novas, ac validiores collocaret ad tecti pondus immanè ſubſtinendum, referente eodem Anaſtaſio, & Canonico Romano, illum cooperuiſſe *tectum totum ex tabulis æreis, quas lævavit* (verba ſunt Anaſtaſii) *de Templo, quod appellatur Romuli ex conſenſu piiſſimi Heraclei Imperatoris*. Non tamen totum cooperuiſſe tradit Illuſtriſs. Ciampinus, ubi ſcribit: *Medianæ navis, & transverſæ crucis laquearium magnis æneis tegulis ſeſquipedalibus ex ære Corinthio deaurato coopertum mirificabatur*. Aliarum verò navium minorum tectum lateritiis imbricibus prætectum erat. Ab eodem Anaſtaſio memoriæ proditum eſt. Hadrianum I. Eccleſiam Beatorum Principum Petri, & Pauli renovaſſe, in qua & mutaſſe trabes majores numero quindecim, regnabat Hadrianus anno 780.

De ſacris ædif. cap. 4.

Anno autem 800. Leo III. eadem Vaticana tecta reſtituit, ut refert

Jacobus

Jacobus Grimaldus, quæ poſteà *Benedictus III. anno circiteo 855. abiegnis trabibus renovavit*. Scribente Anaſtaſio *Benedictus III. ſarta tecta Eccleſiæ Beati Petri Apoſtoli nutritoris ſui, ideſt navem majorem, & aliam navem, quæ ſuper corpus ejus eſt, magnis trabibus impoſitis numero ſeptem, procacique artificio elevatis luciflue renovavit*. Poſt Benedictum III. non defuere Pontifices, quorum cura plures tecti partes jàm collabentes renovatæ fuerunt. Annis præcipuè 1135. ſub Innocentio II. anno 1160. ſub Alexandro III. anno 1195. ſub Cœleſtino III. anno 1200. ſub Innocentio III. Quorum omnium nomina inſcripta in tegulis viſa fuiſſe ſub Paulo V. veterem Baſilicam deſtruente, affirmat Severanus. Pag. 127.

Benedictus poſteà XII. anno 1341. in Romana Sede collocatus, eadem tecta iterùm reſtituiſſe memoriæ proditum eſt in ſacris Cryptis Vaticanis, ubi ſupra ejus effigiem, quæ olim erat in facie interiori ſupra Altare Mortuorum, hæc verba leguntur: *Benedictus Papa XII. qui tecta veteris Baſilicæ reſtituit*. Magnis trabibus advectis Calabriâ, & aliundè. Conſtabat etiam ex inſcriptione, quæ legebatur in paraſtate in tabula marmorea: *Benedictus Papa XII. Tholoſanus fecit fieri de novo tecta hujus Baſilicæ anno ab Incarnatione Domini MCCCXLI. Magiſter Paulus de Senis me fecit*. Apud Ciacon. pag. 462.

Lectori non injucundam fore puto enarrationem, quam in ſua hiſtoria univerſali MS. anno circiter 1339. texuit Rutilius Alberinus Romanus, & ex patrio idiomate repurgatam politiorem reddidit Annibal Scardova Bononienſis. Extat hæc Hiſtoria MS. apud Illuſtriſs. Ciampinum To. VIII. pag. 130. habita ex Bibliotheca Congregationis Sancti Mauri Romæ, ejuſque meminit Turrigius in Cryptis Vaticanis pag. 128.

Fù creato (inquit prædictus Alberinus) Benedetto XII. che poi fece rinovare tutto il tetto di San Pietro di una bella opera nobile, e pulita, che coſtò ottantamila fiorini d'oro, ed il Capo-maſtro di tal'opera ebbe nome Maſtro Ballo de Colonna eccellentiſſimo Falegname, il quale fù di tanta eccellenza, che prima cominciaſſe quel lavoro, ſeppe dire per l'appunto il giorno, l'hora, e'l punto, nel quale quel tetto fù finito; e per il ſuo gran ſapere poſava li travi vecchi, e tirava in alto li nuovi più preſtamente, che ſe foſſe ſtato un cielo. Un'huomo ſtava à cavallo da un capo, ed un'altro dall'altro. Jo non vorrei eſſere ſtato per bene aſſai uno di quelli. Quando il tetto vecchio ſi diſmetteva fù trovato uno ſmiſuratiſſimo trave, e di mirabil groſſezza. Jo lo viddi, che dieci piedi era groſſo, e tutto faſciato di funi per la molta ſua antichità, e per la ſua grande groſſezza era tanto durato. Queſto trave era di arbore, come gli altri, e vi fù trovato ſcritto con letterc incavate in queſto ſenſo: Queſto è uno di quelli travi, i quali poſe in queſto tetto il buon Conſtantino, e vi era ſcritte queſte trè lettere CON. Era antico quanto, che l'Alleluja. Queſto trave dunque eſſendo ſtato levato, dentro di quello vi furono trovate caverne, e canali fattivi dall'antichità, ed anche dagli animali, che l'avevano roſicato, e dentro vi avevano fatte le loro abitazioni, poiche vi furono trovati dentro Sorci ſmiſuratiſſimi con nidate, e vi furono ſin trovate delle Martore, e Volpi con i nidi, chi lo vidde non lo poteva credere. Queſto nobil trave

fù

fù ſpezzato, e di eſſo furono fatte tavole neceſſarie per la nuova opera; e molti Gentilhuomini di Roma n'hebbero tauole da magnarvi ſopra. Una maraviglia voglio raccontare, che ſucceſſe in far queſto Tetto: Furono radunati tutti i ſavii Maeſtri, i quali avere ſi potero dentro Roma, e fuori ancora, fra' quali fù uno delli buoni del Mondo, il quale ebbe nome Nicola degli Agneletti da Vetralla, queſto ſtava ſopra un' architrave à lavorare, ed il trave era confitto sù alto nel muro, con una ſcure in mano lavorava queſto Maeſtro, e biſognava, che ſteſſe in piedi; e perche lo trave non ſtava forſe eguale, anzi ſtava pendente, ed il peſo era grande, lo trave ſvinchiò fuori, e nello sfuggire ſi rivoltò, di modo che nel rivoltarſi poco mancò, che il Maſtro non cadeſſe à terra, e di tant'alto faceſſe un ſalto, pure rimaſe in piedi; ma ebbe ben gran paura di non caſcare con l'iſteſſo trave; e queſta ſua paura non la potè naſcondere, che ſubitamente mezza la barba gli diventò canuta: perilche ſpeſſe volte usò poi farſela radere; e ſpeſſe volte diceva, che quella canutezza fù per quella paura, che ebbe di venir giù co'l trave, che gli ſi rivoltò ſotto.

Martinus poſteà V. anno 1420. cum ad exornandam patriam, Baſilicaſque Romanas ab hoſtibus quietus animum adjeciſſet, idem tectum pluribus in partibus fatiſcens ſtabilivit, quo in opere quinquaginta mille florenos inſumpſiſſe narrat in ſuis Annalibus Albertus Argentinenſis.

A Nicolao etiam V. circa anno 1450. quamplurimas tegulas additas fuiſſe indicat una ex illis gentilitio ejus ſtemmate inſignita, quam Eques Carolus Fontana expreſſit in pag. 99. eo modo, quo in noſtra Tabula 9. littera D. depinximus.

Anno demùm 1482. Ludovicus XI. Galliarum piiſſimus Rex, & Caroli VII. filius in honorem Principis Apoſtolorum magnam pecuniæ vim in eo renovando inſumpſit. Ejuſdem pecuniæ ſummæ notantur in codice Archivi ejuſdem Baſilicæ à Turrigio relato pag. 128. ubi ſic habetur:
„ Anno 1482. ſequuntur pecuniæ ſolutæ per R. P. D. Antonium de Forolivio Apoſtolicæ Cameræ Clericum, ac Beati Petri Apoſtoli de Urbe Canonicum, & Altariſtam per manus mei Chriſtophori Sancti Beneficiati pro tectis reformandis, & reſtaurandis ejuſdem Baſilicæ, de pecuniis Sereniſſimi Regis Franciæ miſſis, & deputatis pro dicto opere tectorum.
„ Et alio in loco. Anno 1483. & menſe Septembris die verò 28. infraſcriptæ ſunt pecuniæ ſolutæ per R. P. D. Antonium de Forolivio per manus mei Chriſtophori ſupradicti pro fabrica lignorum tecti ejuſdem Baſilicæ, videlicet de navi curitori ſupra Altari majori, die 24. menſis Decembris à præfato D. Antonio, & pro eo ad Banchum de Spinellis ducat. 25. &c.

Ejus tecti contignatio ex duplici trabium ordine compoſita in Cryptis Vaticanis coloribus expreſſa habetur, & ſuo calamo illam delineavit Eques Carolus Fontana in pag. 99. qui pag. 97. fatetur eam cantheriorum, hoc eſt tignorum à culmine tecti ad extremum ſubgrundium poſitorum formam ſibi impertitam fuiſſe à quodam Viro, quem tacet, eamque vulgare voluiſſe eo quòd valdè ſibi arriſerit trabium compingendarum methodus, ad publicum

cum beneficium; noſque illum imitati indicamus iconiſmo R in tabula 9. in minorem formam redactam.

Tecto proximæ erant feneſtræ eo modo diſpoſitæ, quo in Figura 3. Tabulæ 5. ſcenographicæ delineatæ fuerunt. In Baſilicis enim excitandis Chriſti-fideles Vitruvii præcepta ſervantes, etiam feneſtrarum numerum, & amplitudinem in illis collocarunt, à quo dignitas quædam, & elegantia non ſine utilitate proveniebat. Nàm copia lucis præterquamquod animi parit hilaritatem, legendis ſacris codicibus, ac reliquis Clericorum miniſteriis obeundis opitulatur, quemadmodum in Baſilicis Ethnicorum juri dicendo extructis, lumen uberrimum quærebatur, ut poſſent faciliùs tabulæ litigantium recitari, aut tranſcribi, docente Leone Alberto lib. 7. „ cap. 14. [Baſilicam propter frequentiam tumultuantium litigioſorum, „ & propter uſum litterarum recognoſcendarum, ſubſcribendarumque eſſe „ oportere itionibus, per quam expeditam, & apertionibus vehementer „ illuſtrem, probarique, ſi ità erit parata, ut qui patronos clienteſve ſuos „ quæſitum advenerint, ubi ſint primo aſpectu compertum habeant].

Earum feneſtrarum menſuram indicavimus ſupra palmorum ſcilicet 22. in altitudine, in latitudine verò 14. quæ quidem menſura longè diſtat à præceptis antiquitùs ſervatis in conſtruendis Baſilicis. Leo enim Albertus ſic feneſtras aperiendas in Baſilicis docet, ut earum latitudo non ſit arctior, quàm *ut tres capiat quartas totius intervalli, quod inter columnas ſit; altitudo verò percommodè duas capiat iſtiuſmodi latitudines*; quamobrem, ut conſideranti patebit juxtà hanc normam, earum altitudo octo ſupra viginti palmos debuiſſet explere. Ejuſmodi feneſtris repagula fuiſſe aptata metallo, additis deindè vitreis laminis, quæ pervia luci ventorum flatus ſimùl excluderent, docet Anaſtaſius in Leone III. ubi ſcribit [Et feneſtras „ ipſius Eccleſiæ ex metallo cyprino decoravit, & alias feneſtras de vitro „ diverſis coloribus decoravit]. Quamobrem ſi conjecturis uti fas eſt, facilè mihi ſuadeo eas laminas primùm habuiſſe, quales in ſuis præceptis de re ædificatoria præſcripſit idem Albertus: videlicet *ex ære plumbove crebris, & minutis foraminibus expictas, per quas lux penetraret, & ſpiritus mota aura repureſceret*.

Lib. 7. c. 15

Lib. 7. c. 14

Anno verò 1471. à Sixto IV. Pontifice Summo Baſilicam antè repurgatam marmoreis, & vitreis feneſtris Templo accomodatis dilucidiorem redditam eſſe narrat Ciacconius [Circa annum 1500. Petrus Mediceus Coſmi I. filius Magnus Etruriæ Dux eaſdem vitreis laminis iterùm opplevit gentilitio Mediceorum ſtemmate appoſito, quas iterùm tempeſtatum inclementia perfractas Paulus III. refecit Liliis Farneſiorum decoratas]. Earundem Iconiſmus extat in codice Archivii Baſilicæ, & in ſacris Cryptis: expreſſæ itidem videntur in Vaticana Bibliotheca, quarum exemplar publicis paginis tradidit Fontana pag. 99. littera I. à duplici columna in tria paralellogrammata diſtinctùm.

Tom. 3. pag. 30.

Turrigius.

Sub feneſtris medianæ navis depictæ fuerant ſacræ hiſtoriæ, ut enarratum jàm fuit. At ſupra epiſtyliorum coronam per girum proferebatur podium latitudinis palmorum trium, in quo repagula lignea palmorum quinque alta, ne in terram caderent circumeuntes. Teſtatur Alphar. cap. 1.

ejus podii veſtigia à ſe viſa fuiſſe, eademque hoc anno vidi in Archivo Vaticano coloribus expreſſa juſſu Pauli V. ea ratione, qua in ſua tabula quinta Martinus Ferraboſcus delineavit. Hoc podium in MS. Turrigii voce *Sinino* indicatum inveni (Imbulum mallem dicere ab ambulando cum Iſidoro) referentis codicem ſervatum in Archivo Vaticano Baſilicæ, ubi tempore Alexandri III. anno ſcilicet 1160. hæc verba fuerunt exarata: *Et nos Canonici Sancti Petri habemus licentiam ligandi funes in eo Sinino, in feſtivitate Sancti Petri ad pendendas candelas.* Additque Turrigius in præcipuis Sanctorum feſtis diebus augeri à Fidelibus lampades, quæ funium ope in diverſis Baſilicæ partibus appendebantur. Hunc pietatis antiquæ morem indicavit Bibliothecarius in vita Gregorii III. qui Eccleſiæ moderabatur anno 725. ſcribens: *Fecit* (Gregorius) *in Eccleſia Sanctæ Mariæ ad Præſepe per circuitum regulam candelabrorum ad inſtar Sancti Petri.* Quòd etiam narrat Ugonius in ſtatione octava pag. 66.

Orig. 15. cap. 2.

CAPUT X.

De Fronte, & Porticu Baſilicæ.

HIS perluſtratis Baſilicæ partibus, ex ea egredientes, quà Orientem verſus quinque patebant Januæ, Porticus excipiebat, quæ ad quatuor Mundi plagas in quadratam formam extenſa atrium cingebat, ab ipſis porticibus Quadriporticum appellatum. Cauſam cur porticus prophanis Baſilicis addebatur innuit Leo Albertus, ubi inquit „ [Sicuti Baſilicæ antiqui addidere ſecundum tribunal tranſverſam ambulationem, quam quidem Cauſidicam nuncupabant, quia illic Rectorum „ turmæ Cauſidicique verſarentur; tùm & Servorum gratia additas fuiſſe „ porticus interpretantur extrinſecus]. De ſacris Porticibus alibi habebitur ſermo; earum menſuras attulimus ſupra. Hìc ſolùm aliqua adnotamus, videlicet: Tectum hujus quadripartitæ porticus ligneum fuiſſe magnis imbricibus lateritiis coopertum, & à Solo palmis 55. elevatum. Pars Baſilicæ proxima decem fulciebatur columnis, ac binis paraſtatis, ſicuti & altera illi oppoſita Orientem verſus collocata. Laterales verò tredecim columnas numerabant. Antè arcum januam Baſilicæ reſpicientem æneæ valvæ aperiebantur, quas è Templo Salomonis allatas, ibique à Conſtantino collocatas fuiſſe retulit in ſua hiſtoria MS. ſub Sixto V. exarata Franciſcus del Sodo, Canonicus in Templo Beatæ Mariæ, quod dicitur Schola Græca. Binis paraſtatis adnectebantur, ſupra quas Cyborium imminebat æneum cum marmoreo Divi Petri ſimulacro inter columnas porphyreticas collocato, ut narrat Ugonius ſtat. 11. quod ſimulacrum ſervatur in ſacris Cryptis Vaticanis cum inſcriptione: *Sancti Petri Apoſtolorum Principis ſtatua marmorea antiquiſſima, quæ erat inter columnas porticus veteris Baſilicæ ſupra valvas æreas, hùc tranſlata à Paulo V. Pont. Max.*

De re ædific. lib. 7. cap. 14.

Ill. Ciampin. pag. 37.

Ugonius ſtat. 11.

Pag. 269.

Dictæ porticus ab ipſo Conſtantino primùm extructæ circa ann. 330. cum poſt centum & triginta annorum curriculum jàm penè totæ diſſolverentur,

rentur, à Simplicio Pontifice ann. 468. priſtinæ formæ reſtitutæ fuere, ut patebat ex inſcriptione, quæ olim in eodem atrio extabat, à Severano relata, ut ſequitur:

Cum ſubitis peragi fallax clementia veris,
Et ſacer addendo feſta vetaret aquis,
Simplicius Præſul ſacraria celſa petentem
Porticibus jactis texit ab imbre diem.

Eas deindè anno 500. tabulis marmoreis ſtratas, & muſivis ſignis ornatas à Symmacho Pontifice refert Panvinius his verbis: *Quadriporticum marmoribus ornavit, & ex muſivo agnos & cruces, & palmas ornavit, ipſum verò atrium omne compaginavit*, aitque anno 1558. quo ſcribebat, adhùc extare reliquias. Conſtantinus autem hujus nominis I. anno 710. eodem Panvinio docente, picturam ſex ſanctarum Synodorum generalium in illis exprimi juſſit, de quo Ciacconius in Conſtantino hæc retulit [Poſt Pag. 500.
„ occiſum Juſtinianum juniorem Imperatorem anno Chriſti 712. Philip-
„ picus Bardanes Imperium occupavit. Hic ſextam Synodum adverſus
„ Monothelitas habitam impugnare auſus, Cyrum Patriarcham in Pontum
„ relegavit, quòd benè cum Pontifice Romano ſentiret, in cujus locum
„ Joannem Monachum Hæreſiarcham ſuffecit, cujus quidem dogmata
„ ſtatim Romam miſit, mandavitque, ut omnium conſenſu approbarentur.
„ At Conſtantinus Pontifex habita Synodo non modò Philippici Impera-
„ toris, & Joannis Monachi opiniones improbat, verùm etiam decernit,
„ ut Sanctorum Patrum imagines, qui ſex Conciliis ab omnibus probatis
„ interfuerant, in porticu Beati Petri depingerentur, cum intellexiſſet eas
„ à Philippico à parietibus Sanctæ Sophiæ ignominiæ cauſa abraſas fuiſſe].

Anaſtaſius verò in Conſtantino earum imaginum picturam Populo Romano tribuit, non Conſtantino, ubi ait [Hujuſque rei cauſa zelo fidei
„ accenſus omnis Cœtus Romanæ Urbis, imaginem, quam Græci *Vota-*
„ *ream*; vel, ut alii legunt, *Pancaream* vocant, ſex continentes ſanctas,
„ & univerſales Synodos in Eccleſia Beati Petri erexerunt]. Quibus verbis Antonius Dandinus Alteſerra in ſuis notis ad Anaſtas: hæc addidit [Imago
„ ſex univerſalium Conciliorum, quam Græci *Votaream*, vel *Pancaream*
„ vocant, à Romana Plebe erecta in Eccleſia Beati Petri. Hæc imago à
„ Philippico Imper. hæretico depoſita, à Theodoſio reſtituta Conſtantino-
„ poli, ut ait Anaſtaſ. in Gregorio II. Protinus etiam, ut ingreſſus eſt Theo-
„ doſius Regiam Urbem, imaginem illam venerandam, in qua ſanctæ erant
„ ſex Synodi depictæ, & à Philippico fuerat depoſita, in priſtino erexit
„ loco].

Adrianum deindè anno 780. has porticus in utriuſque lateribus, in quibus confractæ trabes inerant, & tectum ruinæ vicinum poſitum erat, poſitis novis trabibus ipſum tectum noviter reſtauraſſe, expreſſis verbis idem Bibliothecarius affirmat.

Rursùs anno 827. Gregorius IV. penè totam porticum, quæ mediana dicitur, noviter ex trabibus, cæteriſque lignis ob decorem Baſilicæ decoravit. Anaſtaſius in vita. Immò & etiam ſimiliter porticum antè valvas argenteas novo opere, cultuque præcipuo perfecit.

Sub Urbano IV. Pictor quidam egregius patria Aretinus, nomine Margaritonus, multa ſuo penicillo expreſſit, Græcorum quidem more in iis porticibus anno 1622. ut refert Vaſarus; & anno 1334. Benedicto XII. regnante Simeon Memmus, Jotto Pictore ejus Magiſtro è vivis erepto, exteriores arcus picturis ornavit, ex Vaſaro.

Parte I. pag. 33.
Parte I. pag. 90.

Anno demùm ſacri Jubilei recurrente 1575. Gregorius XIII. ligneam earum contignationem novam conſtrui mandavit, parieteſque dealbari, additis colorum ornamentis, quæ à ſe viſas Ugonius ſcripſit, & Turrigius MS. cap. 6. narrat ſub eodem Pontifice Cæſarem Urbevetanum, & Raphaelem Aretinum Pictores ſupra quinque januas hiſtorias Divi Petri, ex Actis Apoſtolorum acceptas, expreſſiſſe.

Stat. II. pag. 95.

Nec ſilentio præterire fas eſt Martinum V. qui expoſitis à nobis Numiſmatibus, Vaticanum Templum exprimentibus, fecit initium, hujuſque de ipſius fabrica tractatus chronologici non ignobile rudimentum. Scribit Platina in vita Martini V. citatus à Donato, verba, quæ ſubiicio [Et Martinus V. celſi generis Columna tandem reverſus Romam, adeò diſruptam, & vaſtam invenit, ut nulla Civitatis facies in ea videretur. Collabentes vidiſſes Domos, collapſa Templa, deſertos vicos, cœnoſam, & oblitam Urbem]. Quare permotus Pontifex optimus animum ad exornandam Civitatem adjecit, & pecuniis ad dignitatem Pontificis conſervandam deſtinatis (ut affirmat in ejuſdem vita Contelorius Archivii Vaticani Præfectus) Porticum Sancti Petri collabentem reſtituit, rationes deducente Laurentio Pauli Omniaſancti Cive Romano. Vide Bullam 5. idus Februarii anno X. & lib. Theſaurarii 1429. Immò inter leges, quas anno 1424. Martinus impoſuit, exordiendo à Cardinalibus curæ reformationem, erat hæc: *Procurent reparationem Eccleſiarum ſuorum titulorum*; additque Platina: *Hujus autem ſtudia Cardinales ſecuti, titulos ſuos ità certatim reſtituunt, ut jàm aliqua facies rediiſſe Urbi Romæ videretur*. Romanus tamen Canonicus Baſilicæ Vaticanæ in deſcriptione illius tùm veteris, tùm novæ Romæ impreſſa anno 1649. ubi recenſet Pontifices, qui in eâdem aliquid ædificarunt, nullam mentionem fecit de Martino V. Attamen dubitationem omnem adimunt ejus Pontificis gentilitia ſtemmata in iis porticibus appicta, quæ à ſe ipſo viſa teſtatus eſt Ugonius, additque Martini V. decreto picturas quamplurimas fuiſſe refectas. Fateor in Martini Numiſmate porticum Eccleſiæ Vaticanæ non exprimi, tres enim portæ, non quinque, quales erant in porticu Vaticana, in eo indicantur; attamen incuriæ tribuendum non eſſe judico, ſed ſtudio Sculptoris; quippè qui ad indicandas multiplices fabricas à Martino V. extructas in Templis, porticum exſculpſerit arbitrariam.

Lib.4. c.9
Stat. II. pag. 95.

Quandoquidem in porticu verſamur, de januis Baſilicæ aliqua delibabimus, fuſiùs de illis tractaturi in deſcriptione porticus à Paulo V. magnificentiſſimè conſtructæ. Quinque igitur illas olim fuiſſe indubitatum eſt; eaſque ad annum 1300. quo ſæcularem Jubilæi annum Bonifacius VIII. celebrans (ſeu inſtitutor, ſeu reſtitutor ille fuerit) Portam Sanctam, ſeu Auream addi juſſit, juxtà aliquorum ſententiam, de qua re Pontificia Numiſmata copioſam dicendi ſegetem ſuo loco ſuppeditabunt; earumque ſingulæ proprio nomine diſtin-

diſtinguebantur. Quæ medium locum occupabat, Mediana dicebatur, ſeu Argentea; quæ in parte Templi dextera, Ravenniana, ea de cauſa, quam docet Mallius, ſic dicta, videlicet: quoniam antiquitùs Ravennates, & omnes Longobardi, & Tuſci de conſuetudine per eam intrabant; vel quia Transtyberini per eam intrare ſolebant, cum Transtyberina Civitas Ravennatum vocaretur. Huic proxima dicebatur Judicii, per quam Defuncti inferebantur. Alia in ſiniſtra, Romana dicta, quoniam, teſte Mallio, *Romanæ Mulieres antiquitùs per eam intrabant*. Ultima demùm in eadem parte appellabatur Guidonea, quoniam Guidones (ait idem Mallius in deſcript. Baſil. Vatic. num. 44.) *qui ducebant Oratores venientes per porticale, quod eſt juxtà Nolarium majus frequenter per eam intrabant, undè uſque ad noſtra tempora faculæ, & cerei ibi vendebantur*. Ex quibus Mallii verbis conjicit Illuſtriſs. Ciampinus, quòd Peregrini, voce *Oratores* indicati, faces emebant, ſeu candelas, quas poſteà Beati Petri ſepulchro offerebant accenſas. Pag. 79.

Supra portam Ravennianam fuerant appenſa inſignia, & catena portus Smirnenſis ſub Sixto IV. Pont. teſte Alpharano in tabula ichnographica. Num. 133. Supra Romanam erant appenſi vectes portarum Tuneſi, cum decem vexillis, à Carolo V. Imperatore ad Paulum III. miſſis. Inter Romanam, & mediam tabula marmorea fuit collocata, in qua Bulla anni Jubilæi à Bonifacio VIII. emanata *Antiquorum habet fida relatio &c.* Inter mediam, & Ravennianam aliæ erant tabulæ lapideæ, in quibus ſcalpro exaratæ fuerant donationes S. Gregorii Magni Baſilicæ factæ, quarum unicam, cæteris temporis decurſu deperditis, refert Illuſtriſs. Ciampinus. Pag. 81.

Claudebant hæ porticus, quæ etiam Palmatæ dicebantur, ob Palmas æneas fonti additas à Symmacho, atrium, cujus menſuras ſuperiùs indicavimus. Magis quidem longum, quàm latum. In loco palmis 95. diſtante à columnis, quæ medianæ portæ opponebantur, ut indicatur in tabula 4. Fons erat O à Symmacho circa ann. 500. Peregrinorum commodo erectus. In medio autem Atrii Pinea ænea M ab eodem Symmacho ibidem collocata, de quibus alibi dicendum erit.

Hoc atrium Conſtantinus primùm minutis lapillis muſivo artificio decoravit, cujus fragmenta reperta fuiſſe ſub Paulo V. refert Grimaldus MS. fol. 156. apud Severanum. Anno poſteà 678. magnis marmoribus ſtravit Pontifex Domnus, ut affirmat Bibliothecarius; aliique Pontifices alia ornamenta addidere, prout indicabat antiquiſſima ibi appoſita inſcriptio, à Grutero relata: In vita. Pag. 1166.

Quamvis clara fides multum de luminis aula,
Pluſque loci meritis nobilitatur opus;
Eſt tamen his pulchris ſpecialis gratia rebus,
Spectantumque oculos, ars pretioſa rapit.

Narrat Ugonius ſtat. 11. ſe vidiſſe ſub porticu ſuperſtite tempore Sixti V. coloribus expreſſam inventionem Corporum Beatorum Apoſtolorum Petri, & Pauli, quæ accidit anno 251. ſub Beato Cornelio, cui dubitanti, quænàm eſſent Petri, quæ nàm Pauli oſſa, preceſque Chriſti-fidelibus effundentibus, vox Cælo divinitùs emiſſa dubitationem omnem ademit, cum dixit:

Majora

Majora Oſſa ſunt Prædicatoris, minora verò Piſcatoris. Ob quæ ornamenta, ſcripſerunt Paulus Diaconus, Anaſtaſius, & alii, tale Atrium Paradiſi nomine antiquitùs appellatum fuiſſe.

In hoc atrio rete æneum extendebatur, cui ligabantur lucernæ, quarum lumen Peregrinis inſerviret noctu Divi Petri Sepulchrum viſitantibus, additque Turrigius in Archivo Vaticano Bullas ſervari Pontificias, quibus facultas datur valvas habendi apertas noctis tempore in commodum Peregrinorum. Quem morem etiam Petrus Mallius memorat, vbi ait [Rete „ magnum, quod eſt in atrio Eccleſiæ antè portam argenteam in feſto San„ cti Petri, & octavâ tantùm accendatur, præterea quatuor funes de antiqua „ conſuetudine extenduntur in atrio ejuſdem Eccleſiæ in Paradiſo in mo„ dum crucis, ligantur de Porticalibus ad Pineam æneam, quæ eſt in Pa„ radiſo; & utroque fune ſex candelæ ſuſpenduntur.

Antequam ex atrio diſcedamus Baſilicæ Frontem perluſtremus. Aſſurgebat hæc ad altitudinem palmorum 170. ex relatione Severani, ea ratione acuminata, qua expreſſimus in tabula 5. figura 2. atque in Cryptis Vaticanis depicta fuit cum ſequenti inſcriptione: *Exemplum atrii porticus, cum anteriori facie Baſilicæ veteris à Gregorio Papa IX. muſaico ornatu in demolitione anni MDCVI. Pauli V. Pont. Max. juſſu aſſervatum.* Muſivo opere illam exornatam fuiſſe anno 827. à Gregorio IV. narrat Turrigius. At ex verbis Anaſtaſii deducitur ab eo Pontifice tale opus refectum tantùm fuiſſe, dicentis: *In fronte Paradiſi jàm fatæ Eccleſiæ (Beati Petri) principali muſivo cuncta, quæ à Priſcis temporibus in eodem pariete erant diruta, velocitate nimia pingere, ac reſtaurare decrevit.*

De ſacr. Crypt. pag. 154.

Anno deindè 1230. Gregorius IX. eandem Baſilicæ frontem novo opere muſivo texiſſe affirmat idem Turrigius ibidem: Severanus pag. 65. Raynaldus tom. 13. Annal. his verbis: *Tunc* (ideſt anno Pontificis 4.) *in Baſilica Duodecim Apoſtolorum Principis in majoris portæ veſtibulo parietem altitudine prægrandi rectum veſtivit lapide deaurato nobilivm imaginvm decore diſtinctum.* Verùm quia Raynaldus addit, *ut affirmat ejus Scriptor Anaſtaſius*; de narrationis veritate dubitatio ſuboritur, cum geſta Gregorii IX. ab Anaſtaſio nunquàm ſcripta fuerint, ſed IV. Anaſtaſius enim texuit hiſtoriam Romanorum Pontificum à Beato Petro Apoſtolo, uſque ad ſua tempora tantùm, nempè ad Nicolaum I. qui anno à Deiparæ partu 867. è vivis exceſſit, Gregorius verò IX. anno 1241. Utcunque hæc ſint, pro comperto habemus talem frontem refectam fuiſſe ab Eugenio IV. anno 1431. cum Beati Petri Baſilicam reparavit, ut notat Oldoinus pag. 876. Inſuper & à Nicolao V. circa ann. 1447. prout indicabant utriuſque Pontificis gentilitia ſtemmata in eadem fronte depicta, ut præfert ejus frontis exemplar in Cryptis Vaticanis delineatum.

Pag. 408.

In eo etiam videntur figuræ, quæ fuerant muſivo expreſſæ; videlicet in medio frontis erat Chriſtus ſedens, & manu elata benedictionem impertiens. Ad Chriſti pedes imago Pontificis genuflexi, putà Gregorii IV. offerentis aureum Numiſma, in dextera parte Beata Virgo, in ſiniſtra Divus Petrus ſtantes. Bos, Homo, Aquila, & Leo eo ordine, quo delineavimus, prout vidimus in Cryptis Vaticanis. Tabulæ autem aliquorum Auctorum diver-

diverſimodè illas repræſentant. In quatuor ſpatiis à tribus feneſtris relictis, quatuor erant Evangeliſtæ ſtantes, librumque ſinguli manu perferebant. Sub his quatuor carmina legebantur vetuſtatem redolentia, ab Onuphrio Panvinio De Sept. Eccleſ. ab Alpharano cap. 2. & Ugonio paginâ 65. relata:

Ceu Sol ferveſcit ſydus, ſuper omne niteſcit,
Et velut eſt aurum rutilians ſuper omne metallum,
Doctrina, quæ fide calet, & ſic pollet ubique,
Iſta Domus, ſuper fabricata quieta.

In linea inferiori hinc indè mediæ feneſtræ adjacebant duo Senes, manibus pallio tectis Chriſto Servatori coronas offerentes. In partibus extremis quinque alii Senes ſtantes ſimilique habitu circumtecti exprimebantur. Propè binas feneſtras, per quas lumen naves minores irradiabat, neſcio qua de causâ non expreſſas in tabula Equitis Caroli Fontanæ, grandioribus characteribus duo verba exarata fuere, videlicet *Hieruſalem* in dextera, in ſiniſtra verò *Betleem*.

In apice ejuſdem frontis Crucem collocaverat Sanctus Silveſter ex albo marmore ad Græcæ Crucis formam exculptam, altam decem, octo palmis latam, quæ adhùc extat in Cryptis Vaticanis cum hac inſcriptione: *Hæc Crux erat in ſummitate exterioris faciei veteris Baſilicæ M D CVI.* Illam fideliter exprimi curavimus in noſtra tabula 5. ne Inciſoris arbitrium, ut alibi factum recognovimus, ab hiſtoriæ veritate aberraret. Non enim erat radiata, nec eo modo exculpta, ut in pag. 99. Equitis Fontanæ Sculptor effinxit. In ejuſdem Crucis marmorea baſi nomen Agrippinæ græcis characteribus erat inſculptum, ut nempè indicaretur (ait Turrigius) Ethnicorum impietatem ſalutifero Crucis ſigno ſubiici, ac penitùs conculcari. Pag. 112.
De hac Cruce loquens Grimaldus, ait [Die 8. Februarii, cum cæpiſſet „ tectum diſcooperiri, Reverendiſſ. Vicarius mandavit, ut demitterent „ Crucem marmoream octangularem antiquiſſimam, quæ extabat in faſtigio frontis Baſilicæ, ubi muſivum Gregorii IX. cernitur, quam die 16. „ Februarii depoſuerunt, & ex præcepto ſub fornicibus novi pavimenti „ repoſuerunt. Socculum tenens Crucem ſculptum erat litteris Græcis „ Gentilium: *Sepulchrum Flaviæ Agrippinæ* partim mutilatis.

In parte frontis Baſilicæ oppoſita ſupra porticum paries alter elevabatur, in quo Petri navicula videbatur à Jotto Pictore Florentino muſivo opere expreſſa, cujus ſacras Apoſtolorum imagines populus venerari ſolebat. De illa in præſentiarum nihil addimus, fuſiùs tractaturi, cum de Porticu à Paulo V. extructa agendum erit, ſub cujus fornice ſervatur ab Alexandro VII. collocata.

Ab indicato pariete Palatium claudebatur, quod ab Archipresbytero Baſilicæ ædificatum fuerat, imminebatque Porticui ſubjectæ, pal. 81. latæ, juxtà relationem Severani, quæ Porticus in tres januas laxabatur quatuor pa- Pag. 42.
raſtatis diviſas. His januis totidem aliæ opponebantur reſpicientes Solis ortum, & gradus Baſilicæ, ut alibi innuimus, ea diviſæ ratione, qua in tab. 4. indicantur. Eas valvæ claudebant æneæ, quæ anno 1160. quo vixit Petrus Mallius inſculpta proferebant nomina Urbium, & Provinciarum, quæ in

Eccleſiæ Romanæ ditionem evenerunt ex donatione Caroli Magni tempore Adriani I. circa ann. 755. de quibus januis æneis ſic Anaſtaſius refert: „ [Adrianus I. ſacratiſſimus Præſul portas æneas majores miræ magnitu- „ dinis decoratas à Civitate Peruſina deducens in Baſilicam Beati Petri „ Apoſtoli, ad Turrem comptè erexit] . Petrus verò Mallius ſcripſit: „ [Putamus in memoriam tam magnificæ donationis, ut legitur in vita „ Adriani I. 774. nomina Civitatum, quæ prænominatus Rom. Imper. „ (Carolus) huic Sacroſanctæ Eccleſiæ contulit, in portis æneis, quæ ſuper „ gradus Beati Petri fuerant, videlicet in introitu Eccleſiæ Sanctæ Mariæ in „ Turre, argenteis litteris, ſicut nos vidimus, & cum fratribus noſtris „ ſæpiſſimè legimus adnotata fuerunt]. Eam narrationem ferè narrat Ba- „ ronius ad ann. 774 ubi hæc habet [Carolus Magnus, Romæ cum eſſet, „ cum promiſſionem, quæ in Francia facta eſt, ſibi legi feciſſet, complacuit „ illi, & ejus Ducibus, omnia, quæ ibi erant adnexa confirmare, & pro- „ pria voluntate bono, ac libenti animo aliam donationis promiſſionem „ ad inſtar anterioris, ipſe antedictus, & revera Chriſtianiſſimus Caro- „ lus Francorum Rex conſcribi juſſit per Etherium Religioſum, ac „ prudentiſſimum Cappellanum, & Notarium ſuum, ubi conceſſit „ eaſdem Civitates, & Territoria Divo Petro, atque Pontifici Adria- „ no &c.

Tom. 9.

Eædem januæ quatuor columnis ornabantur ex marmore Sienite, quæ deindè juſſu Pauli V. ad Fontem aquæ ab ejus nomine Paulæ nuncupatæ tranſlatæ ſunt, illumque mirificè condecorant. [At æneæ valvæ modò in- „ dicatæ combuſtæ fuere à Friderico Imperatore, qui (ut narrat Baronius) „ anno 1167. ſub Alexandro III. furore commotus Eccleſiam Apoſtolo- „ rum, quæ à Fidelibus Eccleſiæ tenebatur in cuſtodia, cum Baliſtis, & „ Sagitariis violenter aggreſſus eſt. Sed cum eam expugnare non poſſet, „ poſtpoſita reverentia Dei, & ejuſdem Regni Cælorum Clavigeri, tan- „ quam ſacrilegus, & prophanus ignem fecit apponi. Cuſtodes verò Ba- „ ſilicæ formidantes ne tota fabrica incendio ſolveretur, poſt combuſtam „ Sanctæ Mariæ in Turri Eccleſiam, cum æneis portis, & vicinis porticibus „ B. Petri, Baſilicam in manu, & poteſtate ſævientis Principis tradiderunt. Huc uſque Baronius, ex cujus narratione confirmatur fuiſſe ſub hac extrema porticu in parte dextera Sacellum dicatum Sanctæ Mariæ, in Turri dictum à Turri campanaria illi proxima. Illud Alpharanus in ſua tabula oſtendit num. 149. nos verò num. 68. Eaſdem januas à Nicolao V. fuiſſe deindè reſtitutas affirmat noſtri Aevi Scriptor inſignis, ac in earum æneis valvis nomina Civitatum Apoſtolicæ Sedi donatarum inſculpta fuiſſe, argenteis characteribus, *quas ſe vidiſſe, & legiſſe teſtatur Petrus Mallius* (ait hìc Auctor) At bona ejus venia notandum hìc eſt, hæc nomina non fuiſſe à Nicolao V. inſculpta. Nam Petrus Mallius vixit anno 1160. Nicolaus verò V. anno 1450. hoc eſt annis circiter 290. antè Nicolaum. Potuit quidem Nicolaus reſtituere valvas, iterùmque in illis nomina Civitatum inſcribere, ſed an hoc ab eo ſit factum, nullus quem ſciam antiquus Auctor enarrat, non tamen potuit nomine illa Mallius legere ſub Nicolao V. inſculpta.

Antè

Antè Baſilicæ ingreſſum Area videbatur palmorum 95. longitudinem adæquàns, latitudinem verò 200. juxtà atrii latitudinem ex calculo Alpharani. Ad illam aſcenſum præbebant quinque graduum ordines, quorum ſingulos ſeptem gradus implebant, ab alia parva area interdiſtinctos. Multa dicenda eſſent de his gradibus à Conſtantino primùm antè Baſilicæ fores collocatis, ſed alibi de illis diſſerendi locus erit opportunior, ac etiam alibi de Turri campanaria uberiori diſſertatione agemus. Ità pariter de Mœnianis, quæ in parte læva areæ antè Turrim campanariam extabant, ab Innocentio VIII. inchoata, ab Alexandro VI. poſteà abſoluta, ut populis ad ſacra limina accedentibus poſſent Romani Pontifices magnificentiùs ſacras benedictiones impartiri. Multa enim notatu digna de ſimilibus Mœnianis erunt referenda.

Hæc ſunt veteris Baſilicæ Vaticanæ monimenta, ac veluti (ut ità dicam) ejus auguſtæ molis reliquiæ, quas aut ignis, aut temporis ingluvie penitùs non abſumptas, hùc illucque diſperſas colligere potui, ut ſervata temporum ſerie, earum memoriam Annalibus conſecrarem. Pauca illa quidem, ut adeò auguſtam molem teſtandam, iterumque ad publicam lucem revocandam idonea exiſtimarem. Attamen non audaciæ crimini hoc tribuendum judico, ſed legibus neceſſitatis. Quot enim vicibus Divi Petri Baſilicam perditorum hominum inſania nudavit ornamentis, quot flammæ ab impiis Barbarorum manibus admotæ penè totam abſumpſerunt, quot annorum decurſu ſpontè ſua ejus ædificii membra humi proſtrata jacuerunt, carie penitùs conſumpta! Quanta demùm vel Scriptorum incuria, vel hominum ſceleſtorum invidia ſilentio prætereuntes, Annalibus ſuis monimenta non tradiderunt? ut non difficilè tantùm, ſed impoſſibile ſit opus recenſere, quæ Summorum Pontificum, magnorumque Principum devotio in obſequium Divi Petri *Altaria erexerunt* (loquor cum Mallio lib. 1.) *Templa, Sepulchra, Domos, Palatia, Balnea, Formas; quibuſve exornaverint pavimentis, tectis, picturis, cælaturis, incruſtationibus, quæ dehinc inſuper dona ei ſive ſerica, ſive ænea, ſive argentea, aureaque contulerint.*

Præterita tempora ſi hùc revocemus, quibus in Vaticanam Baſilicam ſuos conatus exercere auſa fuit hominum impietas, nobis annus 739. primùm occurret, decimus Gregorii III. Pontificatus, quo Luitprandus Longobardorum Rex, ut refert Baronius his verbis [Nulla habita ratione ſacro- Tom. 9.
„ rum, omni penitùs Divini judicii abrepto timore, Divinis legibus penitùs
„ proculcatis, in Romanam Eccleſiam immiſit exercitum, qui primùm
„ omnium in Sacroſanctam Sancti Petri Baſilicam extrà muros Urbis po-
„ ſitam, impetum fecere]. Qua de re Sanctus Pontifex Caroli Martelli Gallorum Ducis opem imploravit, de tali calamitate conquæſtus [Omnia
„ luminaria Eccleſiæ ad honorem ipſius Pontificis Apoſtolorum, & quæ
„ à veſtris parentibus, vel à nobis oblata ſunt, ipſi abſtulerunt &c.] Et
„ paulò poſt [Undè Eccleſia Sancti Petri denudata, & in nimiam deſola-
„ tionem redacta.

Anno deindè recurrente 773. ſub Adriano [Cùm Deſiderius Rex Apud Ba-
„ Longobardorum Eccleſiaſticam ditionem invaderet, Pontifex munivit ron.
„ Civitatem Romanam, & Eccleſias BB. Petri, & Pauli fecit exornare hoc

„ eſt, ornamentis nudare, & cuncta earum cimelia, & ornatus, in hanc „ Civitatem Romanam introduci, claudi faciens omnes januas Eccleſiæ „ Beati Petri, & deintùs ferris ſupponi, & muniri juſſit, ut ſi ipſe protervus Rex ſine licentia, & permiſſu Pontificis adveniſſet, minimè ad „ dictam Eccleſiam facultatem introeundi haberet, niſi bracchio ad ſuæ „ animæ interitum ipſas confringeret januas.

Rursùs anno 846. Saraceni ex Affrica, inſtructa claſſe, venientes, „ improviſo agmine (ſcripſit Baronius) ſub anno ſecundo Sergii II. Suburbia Tranſtyberim poſita deprædati ſunt, & ipſas Sacroſanctas Baſilicas „ Principum Apoſtolorum Petri, & Pauli auro, argento, gemmiſque locupletes ſpoliarunt. Quibus impiis auſis permotus Leo IV. muros ædificavit circa annum 850. quibus novam Civitatem Tranſtyberinam conſtitueret, in qua ſacra Divi Petri Aedes tutaretur, eamque à ſuo nomine „ Urbem Leoninam nuncupavit.

Tom. 10.

Romam aggreſſus ſub Joanne Papa VIII. anno 878. Albertus Bonifacii filius, & Lantbertus Dux Spoleti, eam cum manu valida ingreſſi ſunt, & Joanne Pontifice ſub cuſtodia retento, optimates Romanorum fidelitatem Carolo Manno Sacramento firmare coegerunt. Quibus indè diſcedentibus, idem Pontifex Domum Sancti Petri ingreſſus, omnes theſaurós, quos ibi reperit, ad Lateranos tranſtulit, & Altare Sancti Petri cilicio cooperuit, & cuncta oſtia ejuſdem Eccleſiæ clauſit, nullumque ibi officium ad Dei cultum pertinens per plures dies celebratum eſt.

Apud Baron.

Sub Innocentio II. anno ejus primo, qui fuit 1130. in ejus odium, „ & æmulationem elevatur in thronum à Fatioſis Petrus Leonis filius Cardinalis, atque Anacletus II. nominatur; ex quo factiones obortæ, rixæ, „ atque contentiones. Tunc enim plebs claſſico excitata potentium, eò „ properat, quò furens vocat ambitio, & provocat ſpes avida lucri. Hoc „ ſtatu miſerando collocata erat tunc temporis Romana Eccleſia, in Templo „ Sancti Petri abominatione ſedente. Tunc Anacletus cum ſectatoribus ſuis „ ad Sanctum Petrum cum indignatione maxima cum multitudine equitavit, & ipſam quam cæpit Eccleſiam per violentiam introivit, & per Sanctuarium, & aureum Crucifixum pendentes coronas, cum toto theſauro „ argenti, & auri, & pretioſis lapidibus, ſive gemmis, quas Romani Pontifices, orthodoxique Imperatores in Eccleſia ipſa cum devotione obtulerunt, tanquàm ſacrilegas auferre, & Cyborium, quod ſuper Altare „ B. Leo conſtruxerat detruncare præſumpſit]. Hæc Baronius affirmat ſe „ accepiſſe à Scriptore Anonimo ejus temporis ex codice Vaticano to. 12. „ anno 1130,

Quæ ſatis ſint dicta de prædis è Baſilica Vaticana raptis à nefariorum hominum avaritia. Ad incuriam verò ſignificandam, cujus cauſa Vaticanæ Baſilicæ faſti penitùs perierunt, ſatis ſuperque ſit hùc adducere, quòd narrat in ſuis MS. Jacobus Grimaldus [Tempore Clementis VIII. (inquit ille) „ ego Jacobus Grimaldus habui hanc notam Benefactorum Baſilicæ mihi „ traditam à R. P. D. Conſtantino Gaetano Abbate S. Barontii Caſſinen. „ Congregat. qui vitæ ſuæ ſpatio omnia ferè tabularia Italiæ perluſtratus „ eſt, hancque notam, ut ipſe aſſeruit, acceperat ex quodam pervetuſto

libro

„ libro Benefactorum Baſilicæ Sancti Petri in pergameno MS. aſſervato in „ Bibliotheca Cathedralis Reatinæ. Sub Paulo V. Presbyteri illi, quibus „ cura imminebat dictæ Bibliothecæ vendiderunt plures libros illis, qui „ tympana Fœminarum conficiunt, & inter alios, ex mala fortuna, dicti „ libri Sancti Petri contigit etiam numerari, vendi, diſtrahi, & in uſum „ tympanorum verti, obliterarique memoriæ in eo deſcriptæ, id omne „ vitio, & inſcitia, & malignitate Presbyterorum ſupradictorum.Ità mihi „ dixit dictus Pater Conſtantinus]. Has temporum vices pluſquam centum annorum ſpatio inſtar ejuſdem Naviculæ, quaſi fluctibus agitata Vaticanâ Baſilicâ, haud facilè relatu eſt, quantum auri, quantum laboris, & vigiliarum Romani Pontifices exhauſerint, ut præclaram illam molem diutiſſimè tuerentur.

Quibus addè Benedictum XII. qui anno tertio, videlicet à Chriſti nativitate 1337. juſſit Theſaurarium Patrimonii labentem Baſilicam quantociùs reficere. Clementem VI. qui circa annum 1350. cæleſtes Eccleſiæ Theſauros liberaliter fuit elargitus omnibus ejuſdem Baſilicæ ruinis quoquomodo occurrentibus. Innocentium VI. qui anno 1352. ſui Pontificatus primo, Vicarium ſuum ad idem opus epiſtolis excitavit. Verùm cæteros ſuo erga Divum Apoſtolorum Principem amore ſuperavit Leo hujus nominis IX. Hìc enim Summus Pontifex (ut affirmat Leo Oſtienſis) inter innumera ſuæ bonitatis inſignia, quamdiù Romæ remoratus eſt omni tempore tribus per hebdomadam diebus à Lateranenſi Eccleſia uſque ad Sanctum Petrum privato habitu, nudiſque pedibus, cum duobus, aut tribus Clericis noctu pſallendo, & orando pergebat. Hìc in ejuſdem Eccleſiæ emolumentum (addit Baronius) conceſſit, ut decima pars oblationum cederet Baſilicæ utilitati, quod ejuſmodi decreto omnibus voluit fieri manifeſtum. Accepimus id ex Archivo ejuſdem Baſilicæ Vaticanæ his verbis conſcriptum:

Lib.3.c.58.

Ad ann. 1049.

„ Beate Petre Apoſtole ego Leo Epiſcopus ſervus tuus, & omnium „ Servorum Dei, de tuis donis aliquam tibi offero particulam, quàm mihi „ fuit viſum dignum, & juſtum curis, quibus circumdor auferre, & tibi „ offerre quaſi meam, cum ſit tua. Quidquid enim eſt, quod in noſtris „ juribus ſit, licèt ſit parùm ad conferentiam præteritorum, quæ noſtri „ Anteceſſores habuerunt, id tamen, quantumcunque ſit dignum, tecum „ judicavi ſortiendum. Ecce enim de oblationibus Fidelium, quæ tibi offe- „ runtur in Altari tuo, ſub quo ſacrum, & venerabile Corpus requieſcit, „ & etiam in Confeſſione ipſius Altaris, decimam partem tibi, quamvis „ tuum totum ſit, humili devotione, & tota cordis proſternatione offeri- „ mus, donamus, concedimus, & etiam corroboramus, atque confirma- „ mus ad conſtructionem, & reſarcitionem ipſius tui ſacri Templi, in ædi- „ ficandis parietibus, picturis, tignis, tectis, imbricibus, & prætereà lumi- „ nariorum concinnationibus aſſiduis olei, & ceræ, necnon lampadibus „ vitreis, & acindulis, atque thimiamate, cæteriſque omnibus utenſilibus, „ quæ ad uſum, & neceſſitatem, atque decorem totius ipſius Eccleſiæ per- „ tinent. Decimam verò ipſam ſemper volumus eſſe decimam diem, ut „ oblatio, quæ tibi debetur, ſeparata ſit à cæteris oblationibus, & nullum „ aliqua confuſione patiatur errorem.

Ex qua donatione ſatis elucet ejus Pontificis ergà Divum Petrum pietas, ac præclarus in ejuſdem Baſilicam amor, dignus profectò inſcriptione, quam Wibertus refert in ejus ſepulchro fuiſſe appoſitam, his verbis:

Apud Oldoin. pag. 794.

Victrix Roma dolet nono viduata Leone,
Ex multis talem non habitura Patrem.

CAPUT XI.

De nova Baſilicæ conſtructione ſub Nicolao V. Summo Pontifice.

ELAPSO circiter mille ac viginti annorum ſpatio poſt primam Baſilicæ conſtructionem à Magno Conſtantino factam, Nicolaus V. videns eandem, periculoſam comminantem ruinam, novam delineationem meditatus eſt, adeò magnificam, amplam, & ornatu divitem, ut conſultiùs ſit *eam ſilentio præterire, quàm loqui*, inquit Vaſarus. Sanctus Antoninus lib. 22. cap. 12. ſic de Nicolao ſcripſit: *In amplificando autem ædificia, & Eccleſia Sancti Petri videtur Nicolaus nimis animum, & opus impenſarum appoſuiſſe ſecundùm ſermonem omnium.* Ejuſdem Pontificis excelſum animum, ac cogitationum amplitudinem luculenta enarratione Poſteris expoſuit Jannozzus Manettus equè nobilis, ac eruditus Florentiæ Civis; de quo inquit Bocchus, ſi vitam Viri „ clariſſimi totam excutias, & toties magna negotia, toties Legationem „ obeuntem inſpicias, nullum, quòd ſcribendis lucubrationibus daret, ha„ buiſſe ſpatium reliqui temporis diceres; contraque cum tàm multa legas, „ quæ ſcripſit in otio, nunquàm otioſo, nihil eum egiſſe aliud tota vita affirmares]. Hùc igitur affero ejus narrationem ex tom. MS. miſcell. XXIV. ſignato littera M. quem in ſuo Muſeo habet Illuſtriſs. Ciampinus ex Autographo habitam, quod extat Florentiæ in Bibliotheca Medicea, videlicet:

To. 1. par. 2. pag 521.

Pag. 25.

Nicolaus V. inter ſingularia, & præcipua fabricandi, & condendi opera, ac profectò memorata, laudibuſque digna intrà Urbem partim ad munitionem, partim ad ornamentum, partim ad aeris ſalubritatem, partim ad devotionem, vel maximè pertinentia efficere, & conſumare cupiebat, ac ſi in mente ſua penitùs & animo propoſuerat. Quintum erat, ut ſacra Beati Petri Aedem à fundamentis nuper reædificaret. Antè primum igitur hujus ſacræ Aedis veſtibulum ſuper ſcalas prominens maxima quædam area quingentorum in longitudine, centum in latitudine cubitorum pulcherrimè apparebat. A formoſis namque prædicti veſtibuli gradibus, quos partim marmoreos, partim porphyreos, partim ſmaragdinos diverſorum colorum decoris gratia interſerebat, incipiens uſque ad egregia, & nobilitata intercolumnia per quingentos, ut diximus, paſſus, in longum extendebatur, ſuper quibus tres commemorati Vici porticus, ſpatioſorum omnium ſpectaculorum viſu pulcherrimum ſpecimen, ſubſtentabantur. Inter prædictas ſcalas, & hoc prædictum veſtibulum magnum quoddam, & amplum

plum ſuperficiei ſolum interjacebat, quòd maximæ hominum multitudinis longitudine, ac latitudine ſua capaciſſimum videbatur. In ſuperiori hujus ampli ſoli parte oblongum veſtibulum reperiebatur, quod quinque egregiis portis æquis inter ſe portionibus diſtinguebatur, & à primo ſcalarum gradu, uſque ad prædictas primi veſtibuli portas 75. cubitorum latitudo, longitudo verò ultrà 120. paſſus protendebatur, atque in utraque hujus veſtibuli extremitate ſingulæ turres è pulchris marmoribus in altum ultrà centum cubitos erigebantur, quæ quidem & ad munitionem Templi, & ad opportunam Canonicarum Horarum pulſationem ſimùl famulabantur. Ab his duobus campanilibus, ſic enim commemoratæ turres vulgatò, & tritò verbo appellantur, duo longiſſimi, & ampliſſimi muri, utrinque quiſque à latere ſuo uſque ad primum cujuſdam magnæ crucis principium extendebatur; à dextris namque unus inter Palatium, & Templum dividens cum exteriori curte, à ſiniſtris verò alter intercedebat, à quo retrorſum via publica ſternebatur. Ab hoc primo veſtibulo in alterum ſimile per quinque egregias portas tranſibatur, & à ſecundo in magnam curtem antè tertium veſtibulum aſtantem per totidem aditus vadebatur, quorum tres patentes portæ cum extremis utrinque porticibus apparebant. Sed antequàm ad Templi januas applicaretur, curtis illa ampla interjacebat, in cujus meditullio vivum fontem à vertice montis per abſtruſos cuniculos derivandum, una cum ingenti pino æreo deſignabat, à lateribus verò utriuſque porticus duo intercolumnia ſe invicem ſpectantia decoris, & utilitatis cauſa figebantur.
A ſiniſtra enim porticu plures commodæ, & opportunæ pro regularibus Presbyteris manſiones conſtruebantur, cum ad dexteram murus diviſor aſtaret, ex tranſverſo verò horum duorum intercolumniorum tertium intercolumnium inter duas prædictas porticus porrigebatur, ſupra quod ingentes fornices ad tertium Templi veſtibulum volvebantur, quod quinque pulcherrimis portis peregregiè fabrefactis, miriſque ſculpturis adornatis illuſtrabatur, undè in Templum ipſum tranſmittebatur. In hoc longo, & amplo Templi ſpatio, quod uſque ad primam crucem magnam 160. in longitudine, in latitudine verò 120. cubitorum extendebatur. A dextris commemorata curtis, quo omnes & Templi, & Palatii aquæ pluviæ à prædictis locis arcebantur, & per cloacas ſubterraneas emittebantur, à ſiniſtris autem commodæ, & oportunæ regularium Presbyterorum, Templo ipſi in Divinis cultibus continuè ſervientium, manſiones conſtruebantur, quæ uſque ad illas paulò antè commemoratas contiguæ ducebantur, niſi quòd à parte ſuperiori Sacrarium quoddam amplum, & ingens, pulchrum, ac devotum oportunè admodùm ædificabatur. In reliquo verò ſoli ſpatio, ſeu pulchra, & ſpecioſa intercolumnia ad lineam ſeſe pariter intuentia, tria à ſingulis lateribus conſpiciebantur, quæ quidem ea quinque latera in formam navis redigebant. Idcircò quinque naves vulgò nuncupabantur, quarum medium intercolumnium ideò cæteris lateralibus latiùs oſtendebatur, tùm quia ambulatorium amplius erat, tùm etiam quia exindè mirum quoddam totius Templi ſpectaculum liberiùs apparebat. A dextris in extremitate prædictæ curtis plurimæ, ac ſpecioſæ Cappellæ, à ſiniſtris verò totidem per totam longitudinem illis dexterioribus pariter correſpondentes deſignabantur. Reliquæ

duæ

duæ naves tribus commemoratis ſpatioſæ admodùm ſuis ordinibus reſpondebant. Ultimo magnæ crucis intercolumnium octo à dextris verſus curtem, ac totidem à ſiniſtris columnis verſus publicam ſtratam, ideò paulùm utrinque extendebatur, ut majorem quandam, & ampliorem plurium inter ſe fornicum crucem efficeret. Septem enim cruces inter ſe invicem involutas, fornicataſque in longum 185. cubitorum ſpatia (tantùm enim per longitudinem portendebantur) pulcherrimè, ſpecioſiſſimèque reddebant, quarum intermedia cæterarum maxima in 40. ſeu verò aliæ in 24. cubitos pariter porrigebantur. Super maximam 40. cubitorum crucem altiſſima 100. cubitorum teſtudo prominebat, ſupra quam altera ſimilis 25. cubitorum cum pluribus diverſarum formarum cornicibus adjungebatur. Hæc parva teſtudo in ſummitate ſua idcircò patens, & aperta relinquebatur, ac in modum laternæ aptabatur, ut lumen undique clariùs, & apertiùs per totum ſpatium diffunderetur. Juxtà commemoratam crucem à parte ſuperiori ingens Cappella in latitudinem 40. circiter, in longitudinem verò 75. cubitorum portendebatur. Hanc magnam Cappellam, vulgò Tribunam vocant, utraque hujus Tribunæ latera ob majorem perſonarum capacitatem, ſedilium gratia hinc indè extendebantur, ac utrinque pluribus feneſtris, in magnorum oculorum formas redactis, egregiè admodùm ornabantur, atque in ejus meditullio ingens, ac pulcherrimum, & omnium ornamentorum generibus refertum Altare ab extremitate prædictæ magnæ crucis aſtabat. In ſummitate verò Tribunæ ſolium Pontificale altiuſculè eminebat, ut & ipſe ab omnibus circumſtantibus videretur, ac pariter omnes aſtantes, ſedenteſque videret. Utraque hujus Templi latera ab ingentibus feneſtris, ſeſe mutuò reſpicientibus ornata, ſingula quæque ampli, & longi ſpatii loca in cruce illa magna inferiora ſuis ſplendoribus illuſtrabant. At verò univerſum ambitum ſuperiorem rotundæ quædam feneſtræ in magnorum oculorum formas egregiè, ut diximus redactæ, velut formoſa quædam feneſtrarum corona ſpatioſiſſimè ambiebant, per quas quidem Solares radii ità ingrediebantur, ut non modò ſingula teſtudinis loca luce ſua colluſtrarent; ſed divinæ quoque gloriæ ſpecimen quoddam cunctis devotis conſpectoribus demonſtrarent. In vertice verò teſtudinis rotunda quædam, & ingens feneſtra cæteris altiùs prominens, in laternæ formam ceu ſupra commemoravimus redacta, mirùm in modum condecorabat.

Cæterùm univerſum totius ſpatii pavimentum eiſdem variis partim marmoreis, partim porphyreis, partim ſmaragdinis coloribus ornabatur, quibus ſcalarum gradus condecoratos ſuperiùs eſſe diximus, & ne tantum tàm pulchrum, tàm devotum, tàm admirabile, ac denique tàm divinum potiùs, quàm humanum Templum aliquibus defunctorum Prælatorum, vel Pontificum humationibus ullatenùs pollueretur, hujuſmodi ſepulchra à ſiniſtro latere extrà Templum è regione ad ſolium Pontificale conſtrui, condique volebat. Verùm cum multa de mira hujùs Templi fabricatione hactenùs dixiſſe videar, reliquum eſt ut de dimenſionibus ſuis pauca quædam breviſſimè adjungamus. Area quingentorum in longitudine in latitudine verò centum cubitorum antè ornatiſſimas ſcalas ſternebatur. A primo aſcenſionis gradu uſque ad ſolium Pontificale longitudo ultrà quingentos

tos cubitos porrigebatur, in latitudinem verò ad centum viginti per totum penè ſpatium extendebatur, niſi ubi à duobus magnæ illius crucis lateribus bracchia utrinque dilatabantur. Ibi enim uſque adeò amplificabatur, ut ad centum octuaginta menſuraretur, altitudo verò omnium fornicum ultrà octuaginta paſſus aſcendebat, cum maximæ teſtudinis ſublimitas ad centum ſupra vigintiquinque cubitos attingere videretur. A Palatio in hoc Templum per plures pulcherrimos aditus à Summo Pontifice magna Prælatorum comitante caterva incedebatur. Ab uno verò cæteris eminentiori per cochleam quandam ſpecioſiſſimam vadebatur. Et ne huic tàm admirabili, & tàm digno ædificio ullum ornamentorum genus deeſſe videretur, univerſum ſuperioris ſpatii ambitum plumbeis laminis ſpecioſiſſimè ſimùl, atque utiliſſimè adornabat. Verùm ut hæc ingentia maximæ molis ædificia faciliùs extruere valeret, Anienis fluvii alveum, quo à Tyburtino Oppido verſus Romam navigari conſueverat, ità mundari, atque ità purgari fecit, ut ea, quæ ad ædificandum neceſſaria erant, aptiùs à Tybure tranſmitti, ac transferri poſſent &c.

Deindè ſi Hiram quoque Tyrenſem famoſiſſimi Templi Salomonis non architectum, ſed ſingularem æris magiſtrum, opificemque ærarium, de ſapientia, intelligentia, ac doctrina, & de ſculpendi arte ſtatuariaque ſacris libris apprime laudatum fuiſſe novimus, quanto nos majores Nicolao noſtro laudes largiri, præbereque impellimur? qui ſuaptè ingenio, ſuaque induſtria multos quotidianorum operum, varioſque Præfectos conſtituit, atque illis omnibus Bernardum noſtrum Florentinum peregregium Latomorum magiſtrum, ac profeſſorem, ut illi juxtà Pontificias dumtaxat deſignationes ad unguem obtemperarent, nàm cum eo ſolo omnia ad prædictam fabricam pertinentia communicabat. Hùc uſque Manelli deſcriptio.

Bernardus hìc, de quo Manellus loquitur, fuit Roſſellinus, quem Martinus Ferraboſco pag. 10. nominat Hieronymum, Eques autem Fontana appellavit *Antonium*, *à quo* (ait) *Nicolaus V. cum Vaticana Baſilica jàm dudum ruinam comminaretur, nec ullam ejus cohibendæ viam patere cognoviſſet, alteriùs molis extruendæ, novam juſſit delineationem exarari*, citatque Vaſarum. Sed bona cum ejus venia dixerim, non ab *Antonio*, ſed à *Bernardo* Baſilicæ delineationem exaratam fuiſſe. *Antonium* enim narrat Vaſarus fuiſſe Sculptorem, qui Florentiæ vita functus antè Nicolaum Pontificem ſuperſtitem reliquit ſuum fratrem *Bernardum* Architectum inſignem, cui Nicolaus V. ut habuimus ex Manello, ejuſdem ætatis Scriptore, novi Templi delineationem commiſit, quæ deindè fortuito periit. Nec ſolo Roſſellino mentem ſuam expoſuit Pontifex, verùm etiam Leoni Baptiſtæ Alberto Florentino è clariſſima Albertorum Familia, *Viro* (ut de illo ſcripſit Angelus Politianus Laurentio Mediceo patrono ſuo) *ingenii elegantis, acerrimi judicii, exquiſitiſſimæque doctrinæ, qui cum complura alia egregia monimenta Poſteris reliquiſſet, tùm libros decem elucubravit de Architectura*; quippè Romam profectus intimam familiaritatem induſtria Blondi Forolivienſis contraxit cum Pontifice, qui, ut opere mentem ſuam expleret, inchoavit ad caput Beati Petri amplam teſtudinem, quàm vulgò Tribunam vocant, qua Templum ipſum à Conſtantino ædificatum auguſtiùs,

Lib. 5. cap. 2

Tom. 1. pag. 320.

Vaſar. par. 2 pag. 274.

Ciaccon. pag. 954.

ſtiùs, & magis capax eſſet. Quam ob cauſam, ut retulit Maffæus Veggius, qui tempore ejuſdem Nicolai vixit, *cum tale ingens ædificium fabricare cæpiſſet*, Probi Templum in primis demolitus eſt, quod morte præventus imperfectum reliquit. Creviſſe tamen ſupra Templi pavimentum ad altitudinem trium cubitorum, refert Aſcanius Condivus in vita Michaelis Angeli Bonarotæ pag. 16.

CAPUT XII.

Acta Julii II. in novæ Baſilicæ fabrica.

SED in ipſo conatu pulcherrimi operis Pontificis mors cum obveniſſet, Templum iiſdem veſtigiis hæſit, quibus inchoatum. Julius verò Pontifex Secundus nomine, ſed celſitudine animi haud inferior Primo illo domitore Orbis Julio, quem olim Romana plebs additum Cælo inter ſua Numina falsò credidit, jàm ruentis Aedis Conſtantinianæ periculo actus, operi manum admovit, & coactis undique Viris præſtantibus, de nova erigenda mole cùm Juliano præſertim, vulgò à Sancto Gallo nuncupato, ejus ætatis inſigni Architecto seriò egit, illamque ejuſdem curæ duxit committendam; ſed cum eo tempore Lazarus Bramans in Urbem advenerit, in qua Balthaſſar Perutius, Raphael Urbinas, aliique Architecturæ artis Periti ſimùl florebant, cum his diù diſceptatum de
Vaſar. par. 3 vol. 1. pag. 67. fabrica fuit, ac demùm Bramanti ejus cura commiſſa, cujus vivido ingenio Serlius affirmat, Architectonicam artem penitùs deperditam, Orbi fuiſſe
Lib. 3. reſtitutam.

Aegrè hoc tulit Julianus, qui Julii Pontificis benevolentiam antè Pontificiam dignitatem fuerat expertus; quamobrem bile commotus Româ diſceſſit, & Bramans anno 1503. Provinciam ſibi impoſitam impigrè ſuſcipiens, communicatis cum Principe ſuis rationibus de re tota deliberans, nihil humilè cogitare, nihil uſitatum moliri, ardua omnia aggredi, quæ magnis etiam Viris admirationi eſſent futura, æquè ac terrori. Artifici animos addidere Pontificiæ majeſtatis amplitudo, ac liberalitas, nullis Terrarum, Mariſve limitibus circumſcepta. Varias pro nova fabrica ideas Pontifici Bramans expoſuit, quarum una futuræ molis amplitudinem eximiam præſeferens, præ cæteris Pontifici magis arriſit. Exprimitur illa in Nummis, quos à Carradoſſo in ære cælando peritiſſimo cum Julii II. & Leonis X.
Parte 3. pag. 35. effigie cuſos fuiſſe Vaſarus affirmat. Exhibent illi tholum excelſum columnis ſuffultum, ac frontem amplæ Baſilicæ cum duabus turribus hinc indè collocatis, ſub qua inſcripta ſunt verba: *Vaticanus Mons*; & in gyrum hæc alia diſpoſita: *Templi Divi Petri Inſtauratio*. Ut in noſtra prima Tabula indicavimus pag. 10.

Ut igitur quantociùs fabrica aſſurgeret, illique locus eſſet expeditiſſimus, juſſu Pontificis veteris Baſilicæ medietas diſiecta omninò fuit. Hanc Baſilicæ ruinam egerrimè tulit Michael Angelus Bonarota, quem adhùc
Condivus in vita pag. 24. juvenem Julius Romam accerſiverat, ut ſibi magnificum excitaret ſepulchrum, & zelo inductus Bramantis audaciam accuſavit, qui, ut citiùs novam

Baſilicam

Baſilicam juxtà ſuam delineationem erigeret, pretioſas columnas à Conſtantino erectas, temerè proſterneret, in plures partes diffractas, cùm eas novis Aedibus ſervare poſſet incolumes. Præter veterem Baſilicam fuit etiam pars collis imminentis ſolo æquata, quo tempore, cum ferè omnes proximi Cœmeterii aditus præcluderent, & quæ ſupererant ſubterranearum viarum, & cubiculorum veſtigia penitùs delerent Artifices, Julius Pontifex locum adeò venerabilem, ac religioſum, haud ruinis opprimi, ejuſdemque cultum obliterari ſuſtinuit; ſed nefas id eſſe ratus, ut ſacræ, ac venerandæ antiquitati uno, eodemque tempore proſpiceret, eundem intrà novi deſignati Templi terminos complecti voluit. Hoc etiam aſſerit Tyberius Alpharanus his verbis [Unum inter reliqua mirabile, & maxima omnium „ exultatione dignum accepi, quod referre exulto, & omnibus patefacere „ conor, loca ſacra, atque ſepulchra ſub antiquæ Baſilicæ pavimento, „ propriis in locis integra, & intacta Julii II. Pont. Max. juſſu permanere; „ quin etiam ipſum pavimentum integrum, nullibi defoſſum, præterquam ubi novæ Baſilicæ fundamenta jacta fuerunt, & hoc non immeritò, nàm piùs Pontifex audierat ipſius Baſilicæ medianam navem, atque „ tranſverſam, quam crucem vocant, Sanctorum Oratoriis, atque ſepulchis refertas à cunctis Fidelibus magna veneratione coli. Idcircò illas „ præcipuè partes illibatas reſervandas, & Baſilicæ novæ parietibus circumſtruendas Bramanti Architecto diſtrictè mandaverat. Id ſine cunctatione illum executum fuiſſe experimento comperimus. Præterea ſepulchrorum cadavera in effoſſione reperta, omnia communi ſepulchro, ad „ hoc ſpecialiter elaborato, ſemper cum honore fuiſſe repoſita &c.] Hæc ille, ex quibus conſtat quantum debeant devotionis inferre, & venerationem accedentibus ingerere.

Aringus lib. II. c. 4. pag. 219.

His ritè peractis vaſtam, ac portentoſam auguſtiſſimi Templi molem ad Bramantis exemplar ædificare aggreſſus eſt Julius Sabbato in Albis, decimaoctava Aprilis anni 1506. quo die, addit Oldoinus pag. 246. litt. B. primum lapidem ſuis manibus ipſemet poſuit, in cujus prima facie hæc legebantur: *Aedes Principis Apoſtolorum in Vaticano, vetuſtate, & ſitu ſquallentem, à fundamentis reſtituit, Julius II. Ligur Pont. Max. anno MDVI.* In altera verò: *Julius II. Ligur Pont. Max. anno ſui Pontificatus tertio MDVI.* In tertia: *Inſtauratio Baſilicæ Apoſtolorum Petri, & Pauli per Julium II. Pont. Max. Vaticanum.*

Ciaccon. pag. 234. litt. D.

Alexander Donatus de Roma vetere pag. 372. aliam affert primi lapidis inſcriptionem, quam putavi in quarta ejus parte fuiſſe inſculptam, ab Oldoino ommiſſam, videlicèt: *Julius II. Pont. Max. Aedem D. Petro dicatam, vetuſtate collabentem, in digniorem, amplioremque formam ut erigat, fundamenta jecit anno Chriſti MDVI.* Inſcriptiones hujuſmodi narrat Turrigius, compoſitas fuiſſe à Dominico Antonio de Chiarellis, ſed unicam fuiſſe, non quadruplicem, notat Grimaldus, ut inferiùs patebit.

MS. delle grandezze della Chieſa Vaticana

Talem lapidem fuiſſe poſitum à Julio Pontificali amictu induto poſt Sacrum, ſolemni pompa celebratum à Cardinali Volaterano in Altari Divi Petri coram univerſo Purpuratorum cœtu, ac Eccleſiæ Adminiſtris eo in loco, ubi nunc Altare extat Divæ Veronicæ, erectum ab Urbano VIII.

MS. cap. 1. & de ſacris Crypt. pag. 12.

affirmat Turrigius, additaque illi fuiſſe duodecim ærea Numiſmata in vaſe fictili recondita, fortaſsè in honorem Duodecim Apoſtolorum, quorum Principes Petrus, & Paulus indicabantur in duobus aureis, viginti ſcutorum pretium habentibus. Imaginem ipſius Julii præferebant Numiſmata cum verbis: *Julius II. Ligur Pont. Max. anno ſui Pontificatus III.* 1506. In averſa

Turrig. de Baſil. Vatic. cap. 6.

verò fronte exprimebatur Baſilica, adjecta epigraphe: *Inſtauratio Baſilicæ Apoſtolorum Petri, & Pauli per Julium II. Pont. Max. Vaticanus.*

Cap. 1.

Idem Auctor narrat Julium II. poſt Miſſam ſolemni ritu celebratam à Franciſco Soderino Cardinali in honorem Spiritus Sancti (ut ſcribit Franciſcus Albertinus, qui adfuit) primum lapidem poſuiſſe, deſcendentem ad ima fundamenta, quamvis ſeptuagenarium, à duobus Cardinalibus ſociatum, cum aliis triginta tribus præſentibus, multis Epiſcopis, Proceribus; & Clero Baſilicæ die 15. Aprilis.

Apud Canonic. Cappellam ex Bibliot. Illuſtriſs. Phœbei.

Hæc omnia etiam narrat Jacobus Grimaldus in ſuo opere MS. de Sacroſancto Sudario pag. 97. his verbis [Julius II. Pont. Max. die 18. Aprilis „ Sabbato in Albis anno 1506. primarium lapidem ab ſe benedictum poſt „ habita Miſſarum ſolemnia, in fundamento dexteræ paraſtatis, in qua „ hodiè Sacroſanctum aſſervatur Sudarium, Divino Numine invocato, ad „ æternam Omnipotentis gloriam, & Principis Apoſtolorum honorem; „ Sacro aſtante Cardinalium Collegio, & tota Curia, ritu maximè ſolemni „ collocavit. Franciſcus Cardinalis Soderinus, Volateranus nuncupatus, „ ſupra Altare majus Miſſam cantavit, Summo Pontifice, Sacro Cardinalium, & Epiſcoporum Cœtu aſtante. Qua finita Proceſſionem habuit ab „ Ara maxima per Cappellam Sanctæ Petronillæ, quæ erat in loco, ubi „ nunc Sacellum Sanctorum Apoſtolorum Simonis, & Judæ, ad Aegyptum, hìc locus eſt Platea Lapicidarum, & Eccleſia Sancti Stephani majoris retro Apſidam Baſilicæ, quàm incolunt Mauri Abyſſini, ex conceſſione Capituli, fortè Aegyptus ob Mauros ipſos, vel Aegyptios ibi habitantes. In ambitu enim Baſilicæ ejuſdem diverſæ advenarum nationes „ ultramarinæ morabantur. Poſteà ad fundamentum: ubi tabulis, & trabiculis ſcala fuit diſpoſita, qua per clementes gradus Julius Pontifex Maximus deſcenderet. Magna erat fundamenti profunditas, magna latitudo, „ ob quæ à pluribus, & præſertim à Papa dubitabatur de ruina, præcipuè „ propter populum, qui maximus circumſtabat, propterea ipſemet Papa „ adverſus eos, qui in ripa ædificii erant, clamabat, ut indè recederent. „ In imo etiam fundamenti multæ ſurgebant aquæ, ubi plures evacuatores æqualiter miniſtrantes erant. Res profectò admirabilis! videre Summum Pontificem Julium ſenem, in ipſum deſcendere fundamentum; „ illum non accerſit magna profunditas, quem nec bella pro Eccleſiaſtica „ ditione tuenda, & vindicanda ſuſcepta, ad quæ intrepidus acceſſit, minimè averterant, nec ab illis magnanimum ejus cor receſſerat retrò, non „ terruit ruina, de qua ob populi preſſuram dubitabatur, non terruit in „ deſcendendo periculum ob vertigines, quæ in homine, præſertim ſene, „ poterant evenire, ſed Divino fretus auxilio, immenſoque ergà Beatum „ Apoſtolum Principem ductus amore, cujus nomini vaſtiſſimum Templum, Orbis miraculum futurum, magno animo aggrediebatur; deſcendit

„ Julius II. in ipſum fundamentum cum duobus Cardinalibus Diaconibus „ aſſiſtentibus dumtaxat, nulluſque alius Cardinalis, vel Epiſcopus, aut „ Prælatus cum Papa deſcendit, ibi juxtà Pontificalis libri cæremoniam, „ primarium lapidem poſuit, non ut jaceret, ſed quaſi ſtaret adhærens pa- „ rieti, antè quem fuit poſitum vas teſtaceum cum duodecim Numiſmati- „ bus infraſcriptis, quæ duodenarium numerum Apoſtolorum XII. honori „ à Julio ſapienter factum fuiſſe credendum eſt, imitatus in hoc glorioſæ „ memoriæ Conſtantinum Maximum Auguſtum, qui veteris Templi San- „ cti Petri fundamenta inchoando XII. terræ cophinos in honorem XII. „ Apoſtolorum propriis humeris egeſſerat. Deſcenderunt pariter Magiſtri „ Cæremoniarum, Muratores aliqui, & quidam Faber Argentarius, qui „ attulit XII. Monetas novas, ſive Metallias, latas ſicuti eſt una hoſtia „ Miſſæ communis. In una parte erat imago Papæ Julii II. cum his lit- „ teris, videlicet: *Julius Ligur II. P. M. anno ſui Pont. III. M D VI.* „ & ab alia parte erat forma Templi, ſive ædificii, quod ibi volebat eri- „ gere, cum litteris, videlicet: *Inſtauratio Baſilicæ Apoſtolorum Petri, & „ Pauli per Julium II. Pont. Max.* & inferiùs erat hoc verbum *Vaticanus.* „ Harum autem Monetarum XII. duæ erant aureæ, quæ, ut Magiſter „ Cæremoniarum ſcribit, ponderis erant quælibet viginti ducatorum, & „ aliæ duæ erant ex auricalcho, quæ omnes fuerunt poſitæ in uno vaſculo „ vili luteo teſtaceo ſingulari. Lapis quoque, qui fuit poſitus primarius, „ erat de albo marmore latus duorum palmorum communium, & longus „ quatuor, groſſus verò digitorum quaſi quinque, ab una parte hæc inſcri- „ ptio erat inciſa:

AEDEM PRINCIPIS APOSTOLORUM
IN VATICANO VETUSTATE, ET SITU
SQUALENTEM A FUNDAMENTIS
RESTITUIT JULIUS LIGUR
PONT. MAX. AN. M D VI.

„ In alia parte ejus lapidis nihil penitùs erat ſcriptum. Hæc notavit „ Paris de Graſſis ejus Summi Pontificis Cæremoniarum Magiſter in ſuo „ Diario aſſervato in Vaticana Bibliotheca pag. 206. Hùc uſque Grimaldus, ex quibus verbis à Paride ſcriptis debet inferri Oldoinum erraſſe, cum lapidem retulit tribus in faciebus inſcriptum.


Anno deindè ſubſequente 1507. die 16. Aprilis hora 21. Hieronymus Archiepiſcopus Tarentinus ejuſdem Pontificis Theſaurarius alias duas Paraſtatas è regione, in quibus fuit columna vitinea, & Pauli III. ſepulchrum, fundavit, narrante Demetrio Guaſello in libro Viſitationis Eccleſiarum fol. 165. in Arch. Sancti Petri, in quibus Paraſtatis ſequentem inſcriptionem marmore inciſam poſuit, privatè tamen, nulloque Cæremoniarum ordine adhibito, & fortaſsè inſcio Pontifice, quæ inſcriptio in errorem induxit illos, qui primarii lapidis memoriam typis mandaverunt. Erat autem hæc: *Julius II. Pont. Max. Aedem Divo Petro dicatam, vetuſtate collabentem in digniorem, ampliorem que formam, ut erigat, fundamenta jecit anno Chriſti M D VII.* Apud Grimald. pag. 162.

Poſt verò ſex menſium curriculum Julianus à Sancto Gallo à Bartholomæo à Ruere Pontificis nepote Romam redire hortatus eſt: haud tamen Principis benevoli verbis inductus; quippè qui injuriæ loco duceret, ſe à [Vaſarus par. 3. vol. 1. pag. 67.] Pontifice fuiſſe Bramanti poſtpoſitum, precibus tandem Petri Soderini fretus Urbem petiit, ibique Julii beneficentiam, & amorem expertus eſt, noluit tamen Romæ diù vitam traducere, ſed bona cum Julii venia Florentiam [Idem pag. 68.] iterùm repetiit cum munere quingentorum nummorum à Pontifice dato. Quandoquidem de tali Juliano ſermo incidit, placet hìc aliqua circa illum præmittere ad æquivocationes evitandas, hiſtoriæ veritati omninò [Volum. 3. diſtinct. 1. pag. 4.] adverſantes. Vixerunt igitur, ut affirmat, Vaſarus ſub Alexandro VI. Pio III. & Julio II. duo filii cujuſdam Franciſci Giamberti, quorum alter Julianus vocabatur, non Julius (ut ſcripſit Fontana pag. 249.) Alter verò Antonius, & quidem uterque in Etruria ortus, & à Sancto Gallo communiter appellatus ob Monaſterium, à Juliano ædificatum Religioſis Sancti Auguſtini juſſu Laurentii Medicei propè Urbis portam, Sancti Galli dictam; quo nomine deindè, omnibus ejuſdem Juliani Familiæ Poſteris tributo, vocatus etiam fuit alter Antonius, à Bartholomæo Piccono Juliani nepote natus, qui Antonius vixit tempore Julii II. Leonis X. Adriani VI. Clementis VIII. & Pauli III. à Bramante Architectonicam facultatem edoctus.

Ex quibus patet narrationem Equitis Fontanæ Italicam non benè fuiſſe Latino idiomati conſignatam, ſcribente ejus traductore *Julium Rhetenſem*, [Pag. 249.] *& Antonium Rhetum*; eoquòd neque Julius, ſeu veriùs dicam Julianus, neque Antonius fuerint Rheti, ſeu Rhetenſes; non enim patriam habuerent [Cluver. introd. geograph. lib. 2 cap. 27.] Oppidum Sancti Galli, quod linificio maximè nobile extat in Helvetiorum Agro; quamobrem neque Rheti, aut Rhetenſes appellari poſſunt; Rheti enim vulgò Griſones ex eodem Cluverio lib. 3. cap. 35. *Rheni, Oeni, Atheſis, ac Adduæ fontes accolunt, ſub quibus eſt Vallis Tellina, & Comitatus Clavennenſis.*

His adnotatis ad ulteriora properemus. Itaque Bramantis induſtria ſupra jacta fundamenta moles feliciter aſſurgebat, & brevi temporis ſpatio ad coronicem uſque quatuor majores Paraſtatæ perductæ ſunt, illiſque arcus [Vaſar. par. 3 pag. 35.] ſuperimpoſiti, ad excelſiorem teſtudinem ſuffulciendam. In eo opere conſtruendo artem excogitavit Bramans, ità fornices efformandi, ut, remotis [Idem pag. 39.] ligneis fulcris, ornatum oſtentarent, illis à ſubjectis modulis impreſſum, vulgò dicuntur *à caſſetta*. Hæc Vaſarus affirmat; qui etiam addit in eadem parte 3. pag. 149. fulcimenta ad fornices conſtruendos, haud fuiſſe primùm à Bramante excogitata, ſed illum ea didiciſſe à Michaele Angelo Bonarota: cum enim Bramans in Sacello Sixti IV. penſile tabulatum compegiſſet, ut Bonarota adhùc juvenis ejus fornicem juſſu Julii II. picturis condecoraret, illud improbavit Michael, eoquòd poſt abſolutum opus nullo pacto claudi potuiſſent foramina, per quæ funes immiſſi ligneam contignationem ſubſtentabant, aliamque ſubnexit, à nemine anteà excogitatam, quàm (nullo nec in fornice, nec in pariete pingendo, foramine aperto) erecta ad libellam fulcimenta, & tranſverſis fulcris munita ſubſtentabant. Atque ex ea nova trabium compagine ipſe Bramans, cæterique Artifices [Lib. 5. c. 35.] normam didicerunt trabes colligandi ad fornices extruendos. Eques Carolus

Fontana




TRABIVM COMPOSITIO SVB TECTO ANTIQVÆ BASILICÆ VATICANÆ

Auctor del. et sculp.


TABVLA 12.

ICHNOGRAPHIA EIVSDEM THOLI A BRAMANTE DELINEATI




Auctor del. et sculp.

DELINEATIO THOLI BASILICÆ VATICANÆ IVXTA TYPVM BRAMANTIS



Alexander Specchi delin. et Sculp.

ICHNOGRAPHIA BASILICÆ A BRAMANTE DELINEATA



Auctor del. et sculp.

Fontana lib. 5. cap. 35. aſſeruit anno 1561. apparuiſſe textam lignorum machinam, ſupra quam extructi fuerunt Templi fornices, & cum ejuſdem icone regulam exponit, qua componi poſſunt cujuſvis menſuræ ſimiles lignorum machinæ, juxtà opportunitates, quæ in re ædificatoria ſe poſſunt offerre. Verùm an hæc fuerit à Bramante excogitata pro comperto non habui; certum tamen eſt, hanc eandem trabium compaginationem à Fontana delineatam fuiſſe ære inciſam à Jacobo Boſio Belga anno 1560. ac è typis Romæ emanaſſe cum addita inſcriptione, in qua affirmatur eam fuiſſe compoſitam ab Antonio à Sancto Gallo; eâque uſum Michaelem Angelum Bonarotam in fornicibus Baſilicæ compingendis. E prototypo Boſii illam accepimus, & in minorem formam redactam in adjecta Tabula 9. exponimus litteris S. & T. *Fig. 9.*

Coronidem operi adeò excelſo impoſuiſſet præclarus Artifex, niſi anno elabente 1514. nimis propere mors illum non eripuiſſet è vivis, ingenti cum Julii II. dolore, cujus Pontificia Familia, omniſque Architectorum, Sculptorum, ac Pictorum Cœtus illius cadaver ad ſepulchrum comitati, in ipſa nova Baſilica, piis parentalibus celebratis, tumularunt. *Vaſar. ibid.*

Bramante demortuo perierat ſimùl integra novæ Baſilicæ idea; & ne opus adeò præclarum omninò deficeret, illam abſolvere conatus eſt Raphael Sanctius Urbinas, quam è libro 3. Sebaſtiani Serlii delineatam accepi, prout in Tabula 10. appoſita expono cum ſcala palmorum, quæ menſuras ejus indicabit. Affirmat Serlius ſpatium majoris navis 92. palmis comprehendi, ſex verò ſupra quadraginta navium minorum intervallum. Addit Serlius Iconem Tholi, qui quatuor majoribus Paraſtatis imponendus erat, juxtà mentem Bramantis, & quidem triplici columnarum ordine exornatus. Eam hùc adduxi in Tabula 11. ne Lectoris curioſitati aliquid deſit, quod Vaticani Templi fabricam poſſit explicare. Tholi ejuſdem ichnographiam addidi in Tabula 12. in qua locus indicatur paraſtatum, & columnarum, ex quibus exteriores quinquè palmorum diametrum habebant, interiores trium & unciarum novem, quatuor verò mediæ. *Fig. 10.* *Fig. 11.* *Fig. 12.*

Ex hac Tholi idea arguit Serlius minùs prudens fuiſſe, quàm audax Bramantis ingenium, quippè qui nimis vaſtam, excelſamque Tholi molem poſuiſſet debilibus innixam fulcimentis, quæ vix exædificata à fornicum pondere rimulas contraxit, futuram ruinam minitantes. Culpa Bramantis familiaris extiterat etiam à Vaſaro relata, fabricas nimis velociter extruere, arduaque opera ſemper moliri, quæ ab ingenio excogitata quoquomodò poſſibilia opinabatur, rationibus nullatenus agitatis. Quam etiam ob cauſam cum veteris Baſilicæ parietes ab Artificibus diſſolverentur, quamplurimæ picturæ, muſiva opera, Pontificum, Virorumque inſignium imagines evanuerunt. *Parte 3. pag. 36.*

CAPUT XIII.

Acta ſub Leone X.

IN hoc rerum ſtatu anno 1513. Julio II. è vivis erepto, Pontificem Romani ſalutarunt lætis populi vocibus Leonem X. cui placuit hoc nomine appellari, ait Ciacconius, *ut inſitam animo magnitudinem, clementiamque appellatione ipſa, & factis exprimeret.*

Inito Pontificatu Vaticanæ fabricæ à Julio II. incæptæ tres Viros præficere decrevit, quorum peritia optimum ejus exitum ſibi ſpondere poſſe viſa eſt. Primùm itaque Romam accerſivit Julianum à Sancto Gallo tunc Florentiæ degentem, quem amore exiſtimationi non impari proſequebatur. Elegit ſecundò Fratrem Jucundum Veronenſem, Virum è Familia Patrum Dominicanorum, non minùs eruditione, quàm arte Architectonica celeberrimum. His addidit juvenem, videlicet Raphaelem Sanctium Urbinatem, tertium ſupra vigeſimum annum adhùc non explentem, ſed præceptis Architecturæ à Lazaro Bramante optimè imbutum, eique ſanguine affinem, & ob inſignes picturas in Palatio Vaticano efformatas maximè de Pontifice benemerentem. Extat epiſtola, qua Petrus Bembus Cardinalis Leonis nomine Romam ad eam Provinciam ſuſcipiendam anno 1515. illum invitat. In ea ſic loquitur:

Vaſar. to.3. par. 1. pag. 69.

Idem par.3 pag. 37. & 76.


Ep.13.lib.9

Raphaeli Urbinati.

Cum præter picturæ artem, qua in arte Te excellere omnes intelligunt, is à Bramante Architecto etiam in conſtruendis ædibus, es habitus; ut tibi ille rectè Principis Apoſtolorum Templi Romani à ſe inchoati ædificationem committi poſſe moriens exiſtimaverit, idque tu Nobis, forma ejus Templi confecta, quæ deſiderabatur, totiuſque operis ratione tradita docte, atque abundè probaveris. Hoc quibus nihil eſt propè antiquiùs, quam ut Phanum id, quam magnificentiſſimè quamque celerrimè conſtruatur, te Magiſtrum ejus operis facimus, cum ſtipendio numum aureorum trecentorum tibi annis ſingulis curandorum à noſtris, pecuniarum, quæ ad ejus Phani ædificationem erogantur, ad noſque perferuntur, magiſtris, à quibus id ſtipendium æquis pro tempore portionibus dari Tibi cum petieris, ſine mora etiam menſibus ſingulis jubeo. Te verò hortor, ut hujus muneris curam ità ſuſcipias, ut in eo exercendo cum exiſtimationis tuæ, ac nominis quorum quidem in juvenili ætate bona fundamenta jacére Te oportet, tàm qui de te noſtræ, paternæque in te benevolentiæ, demùm etiam Phani, quòd in toto Orbe Terrarum longè omnium maximum, atque ſanctiſſimum ſemper fuit, dignitatis, & celebritatis, & in ipſum Principem Apoſtolorum debitæ à nobis pietatis rationem habuiſſe videare. Dat. Kalen. Auguſti anno ſecundo.

Tribus

ICHNOGRAPHIA BASILICÆ SVB LEONE X. A BALTHASSARE PERVZIO EXCOGITATA



Auctor del. et sculp.

Tribus his Viris Templi cura demandata à Pontifice, omnes ejus partes, à Bramante conſtructas, perquàm diligenter examinatas, eas impares fore decreverunt, ad nova ſaxorum pondera ſine metu ruinæ ſuſtinenda, eamque ob cauſam novis, & profundioribus fundamentis illas indigere. Georgio Vaſaro (ut ipſemet ſcribit) retulerunt quamplurimi, qui novo operi adfuerunt, puteos æquè capaces, ac profundos inter Paraſtatas majores primùm ab illis apertos fuiſſe, quos deindè benè compactis cum calce lapidibus oppleverunt, ad multos arcus ſuſtinendos aptiſſimos, quorum niſu Paraſtatæ Bramantis ſuffulciebantur. Parte 3. pag. 252.

His peractis, Julianus ætate jàm gravis, lapidibus inſuper excruciatus, quos in inteſtinis gerebat, brevi tempore Romæ commoratus, poſt pedum Pontificiorum oſcula, Florentiam reverſus eſt, ubi anno 1517. ætatis 74. piè mortem occubuit. Anno deindè 1520. poſtquam Româ diſceſſerat etiam Frater Jucundus, extremum diem clauſit Raphael, non ſine Pontificis lachrymis, ob talis Viri apprimè ſibi chari jacturam, ejuſque tumulo Petrus Bembus, referente Vaſaro, hoc elogium inſculpſit: Vaſar. to.3. pag. 69. Vaſ. pag. 94

D. O. M.

Raphaeli Sanctio Joan. F. Urbinat. Pictori eminentiſs. veterumque æmulo, cujus ſpirantes propè imagines ſi contemplere, Naturæ, atque Artis fœdus inſpexeris. Julii II. & Leonis X. Pont. Max. Picturæ, & Architecturæ operibus gloriam auxit, Anno XXXVII. Integer integros, quo die natus eſt, eo eſſe deſiit VII. Id. April. M D XX.

Franciſcus verò Maria Turrigius in Cryptis Vaticanis pag. 278. hanc inſcriptionem compoſitam fuiſſe affirmat ab Epiſcopo Beneventano Joanne de Caſa Florentino, ſub qua, ait, Petrum Berabum duo carmina addidiſſe:

Hic ille eſt Raphael, metuit, quo ſoſpite vinci,
Rerum magna parens, & moriente mori.

His orbatam Tutoribus veluti puerili ætate inadultam Vaticani Baſilicam ad perfectam Bramantis molem perduci poſſe deſperavit Leo; quamobrem, eo jubente, Balthaſſar Peruzius (non Peruſinus, ut ſcripſit Fontanæ traductor) fuerat enim cognomine Peruzius, patria verò Senenſis; aliam Baſilicæ ideam excogitavit, quam in hac Tabula 13. exponimus à Serlio delineatam. In ea à Bramantis, & Raphaelis inventis multa detorſit, quòd putaret immenſo ædificio ſolidiorem compagem opus eſſe. Itaque longiorem formam in quadratam vertit, Sacellis & Apſidibus quatuor, totidemque portis, ſibi mutuo reſpondentibus. In quatuor angulis quatuor erant ſpatia, pro Sacrariis, ad turres campanarias ſubſtinendas diſpoſita, in quorum medio Tholus aſſurgebat, quem ſupra deſcripſimus, columnis exornatus. Menſuras ejus indicat Serlius, videlicet palmos 188. pro majoris tholi diametro, pro minoribus 65. centum pro areis ſubjectis, 104. pro linea paraſtatas Serlius lib. 3. & Vaſar. par. 3. pag. 143. *Fig.* 13.

ſtatas conjungente; arcus verò ipſis impoſiti ad altitudinem 220. elevabantur. Hoc exemplar Peruzius tamquam facem operi faciendo præmiſit, undè poſteri curatores lumen acciperent. Hoc idem in nummo Leonis exprimitur in Muſeo Illuſtriſs. Ciampini aſſervato, ſub eo jacet Lupa, & in girum diſpoſita ſunt hæc verba: *Leo X. Pont. Max.* In averſa verò parte ipſe Leo X. extat genuflexus antè Divi Petri imaginem, cui manu Templum offert, appoſito lemmate, *Petre ecce Templum tuum.*

Incongrua noſtræ ætatis Pictoribus videretur ſimilis exprimendi ratio, at Veteribus uſitata. In antiqua enim Divi Petri Baſilica propè Portam Guidoneam Sacellum extabat à Joanne VII. hujus nominis Pontifice anno 705. ædificatum, in quo muſivo opere ipſius Pontificis imago expreſſa fuerat, manu Sacellum geſtantis, ac Deiparæ offerentis, cum hac inſcriptione ab Alpharano relata in cap. 8. *Joannes indignus Epiſcopus fecit, B. Dei Genitricis Servus.*

Apud Se-veran. pag. 70.

Dùm igitur Baſilicam eo modo perficiendam magno animo curabat, ægrotare Leo Pontifex cæpit, qui priuſquàm cœnaret, obriguit, ſenſimque exorta eſt febris lenta, & lenis principiò, ſed quæ demùm ità vehementer incubuit, ut penè priuſquàm mori dignoſceretur, turbata ratione animam emiſerit, anno à Virginis partu 1521. & ætatis ſuæ 47. eodemque tempore Eccleſiæ Romanæ navis extitit viduata optimo Nauclero, & Petri Baſilica magnanimo Promotore.

Ciaccon. pag. 313.

CAPUT XIV.

Acta ſub Adriano VI. Clemente VII. & Paulo III.

QUAMOBREM duodecim annorum ſubſequentium ſpatio non ſolùm ab opere ceſſarunt Artifices; ſed detrimento illi fuere miſeræ temporum conditiones. Adrianus enim VI. qui Leone mortuo, Summus Pontifex creatus eſt, brevi novendecim menſium curriculo, quibus vixit, prodeſſe illi non potuit. Clemens verò VII. poſt Adrianum in Petri Solio collocatus, ingentes paſſus eſt calamitates integro ſui Pontificatus novennio, tunc præſertim, cum Urbem invaſerunt Germaniæ Legiones tres, Hiſpanorum ſex millia, aliquæ Italæ Cohortes, veterani Equites aliquot, & magna lævis armaturæ manus, ex diverſis coacta Nationibus, quæ ad 40. millia hominum aſcendebant; & adeò ſævitum eſt in turba inermi, ut nec in Templo, nec ipſis adytis latitantes, aut ad Sacroſanctam Aram confugientes vitam tuerentur; quare Vaticanis Aedibus, Templo, & Suburbio cruentatis, ſeptemque millibus hominum trucidatis, perterritus Clemens in Adriani Arcem ſe recepit, ex qua deindè, poſtquàm, ut militibus ſatisfaceret, omnia ſacra ornamenta, argenteaque vaſa in pecuniam verti imperaverit, mutato habitu, Ludovico Gonzaga comitante, Urbem veterem, Tuſciæ Oppidum, properavit. Ejus tamen tempore Balthaſſar Peruzius hemicyclum perfecit, in Baſilicæ capite (quam Tribunam vocarunt Antiqui) cui initium fecerat Bramans.

Oldoinus pag. 47.

Vaſar. par. 3 pag. 147.

Sedatis

Sedatis denique tumultibus, & Clementis cum Cæſare amicitiâ renovata, Pontifex Maſſilia, quò ſe contulerat, Romam adnavigans, non multò poſt longo, varioque morbo conflictatus, anno 1534. mortuus eſt, & in Baſilica Sancti Petri ſepultus. Oldoinus pag. 448.

Poſt ejus obitum tanta fuit in Alexandrum Farneſium, omnium ferè Patrum conſenſio, ut antequàm mortuo Pontifici juſta ſolverentur, nullo habitu Comitiorum cœtu, eum Summum Eccleſiæ Paſtorem ſalutare decreverint, ſed renitente tunc Alexandro, ne inſolita contra majorum conſuetudinem videretur electio, novendialibus perſolutis, Farneſii pedibus obvoluti eum Cardinales Pontificem adorant, qui ob gratam Pauli II. memoriam voluit Paulus III. appellari.

In Romanas Baſilicas, ac præſertim Vaticanam, Pauli munificentia maximè enituit. Eam ille quantociùs non ſolùm abſolvere decreverat, ſed ex lateritia marmoream reddere, ac Tyburtino lapide mirificè exornare, eò quòd Peperinum lapidem, quo parietes exteriùs compingere incæpit Bramans, temporis injuriis non obſtiturum judicarent Periti, quorum Anteſignanus erat Antonius à Sancto Gallo, quem Leo X. ſuffecerat in locum Juliani ejus patrui Româ diſcedentis, precibus ejuſdem Pauli III. eo tempore Cardinalis, qui Leonem Pontificem coronaverat.

Antequàm operi Artificum manus imponerentur; aliam Baſilicæ ideam, & quidem ideâ Peruzii longè ampliorem excogitavit Antonius. Narrat Vaſarus in ejus vita, eam ex ligno compactam fuiſſe ab Antonio Labacco ejus diſcipulo, & publicæ cenſuræ expoſitam, diù permanſiſſe ſub majori fornice Baſilicæ, habentem longitudinem palmorum 35. latitudinem 26. altitudinem verò dimidii ultra viginti. Ex appictis illi modulis deducebant novam Baſilicam in longitudinem protrahendam forè palmorum 1040. latitudinem verò habituram 360. additque Vaſarus hanc Ideam ſcut. 4084. expenſis fuiſſe ex ligno compactam, Labacco inſuper ejus artifici munus ſcut. 1500. addictum, poſtquàm ille æreis in laminis ab Antonio Salamanca expreſſam, & Pontificis nomine decoratam, eidem Pontifici obtulerat. Pag. 325. Turrig. MS. cap. 26. Pag. 3. Pag. 174.

Illam indicat Numiſma ſub Paulo III. cuſum cum appoſita epigraphe: *Anno Jubilæo M D L. Petro Apoſtolorum Principi*: non tamen eodem anno 1550. formatum. Paulus enim poſtquàm Conſtitutionem emiſerat de anno Jubilæo, & Numiſmata in eo diſtribuenda paraverat, è vivis ſublatus eſt die 10. Novembris anno 1549. prout in Vaticana Baſilica inſcriptio ſepulchralis affirmabat, antè primam tranſlationem, relata à Suvertio apud Ciacconium, non verò anno 1548. ut affirmant Bollandiani in Indice Pontificali ordine alphabetico digeſto ad totum conatum Chronicohiſtoricum. Pag. 553.

Verùm cum in anguſto Numiſmatis giro omnes ejus partes haud potuerit Sculptor exprimere, & Labaci laminas omninò conſumpſerit temporis edacitas, in triplici Tabula exactè delineari curavimus, his paginis adjuncta, appoſitaque palmorum ſcalâ, cujus ope omnes Templi menſuræ inquirentibus innoteſcerent. Tabula 14. oſtentat Baſilicæ ichnographiam. Tabula 15. frontem, in qua ſupra majorem portam patet Mœnianum, Fig. 14. 15

K

nianum, undè Pontifices ſacras benedictiones poterant Populo elargiri. Imminet Baſilicæ Tholus, & quidem excelſus, duplici arcuum, & columnarum ſerie ſuffultus, ſupra quem aliis exornata columnis, & pyramidibus aſſurgit laterna, ad globum æreum cum cruce ſuſtinendum accomodata. Hinc indè ad Tholum binæ elevantur pari altitudine Turres, pro campanis extructæ, columnis itidem, ac aliis Architecturæ ornamentis condecoratæ. In tertia Tabula, hoc eſt 16. ipſius Baſilicæ partes laterales tam interior, quàm exterior oſtenduntur, omnibus Architecturæ membris miro artificio abſolutæ. Eas faciliùs poterit oculus deprehendere, quàm calamus ſingillatim proponere.

Ut igitur adeò excelſam, gravemque molem, à Pontifice probatam, Antonius à Sancto Gallo poſſet ſine metu ruinæ in tutò ſtabilire, fundamenta primùm jacta novis ſaxorum molibus obfirmavit, & arcuatis circumquaque operibus admovit fulcimenta, quibus extruendis circa annum 1540. Laurentius Florentinus, vulgò *Lorenzetto* appellatus, præerat, Architectus eo tempore, ac Sculptor peritiſſimus, ut narrat Vaſarus. Parte 3. pag. 141.

Dùm hæc agerentur anno 1541. ultimum diem clauſit Laurentius, eique in eadem Baſilica Fabricæ Præfecti tumulum ſtatuerunt, hac inſcriptione inſignitum:

SCULPTORI LAURENTIO FLORENTINO.
ROMA MIHI TRIBUIT TUMULUM,
FLORENTIA VITAM.
NEMO ALIO VELLET NASCI, ET OBIRE LOCO.
M D XLI.
VIXIT AN. XLVII. MEN. II. D. XV.

Pie etiam obiit Antonius anno inſequente 1546. qui pariter in eadem Baſilica ſepultus, lapide condebatur his verbis ſignato:


Antonio Sancti Galli Florentino Urbe munienda, ac pub. operibus,
præcipuèque Divi Petri Templo ornan. Architectorum facilè Principi,
dùm Velini lacus emiſſionem parat, Paulo Pont. Max. Auctore,
Interamnæ intempeſtivè extincto,
Iſabella Deta uxor mœſtiſs. poſuit 1546.
III. Kal. Octobris.

Interim Paulus III. dùm novæ Baſilicæ perficiendæ quamplurimi lapides ponerentur, in veteri, quæ ſupererat parte, prout legebatur in ejuſdem monumentis: *A ſiniſtro latere ad Aquilonem transferri fecit Organum, ex priori loco ſex porphyreticis columnis ſuffultum, ſub quo transferri cæpit, & Corpora SS. Proceſſi, & Martiniani, ſimùl cum Altari, & ſtatua Beati Petri in throno ſedentis, ex priori Oratorio, ubi olim erant, necnon Imaginem Deiparæ Virginis, quæ erat in parietibus ſupra Oratorium S. Leonis Papæ. Ibidem Sanctiſſimi Sacramenti, ac SS. Simeonis, & Judæ Altare ornamentis plurimis auxit.* Ibi enim legebatur: *Altare Sanctiſs. Sacramenti,* Vaſar. pag. 327. Ciaccon. pag. 557.

&

TABVLA 14.

ICHNOGRAPHIA BASILICÆ AB ANTONIO SANGALLO EXCOGITATA



Auctor del. et sculp.


FRONS BASILICÆ VATICANÆ
AB ANTONIO SANGALLO DELINEATA



Alexander Specchi del. et sculp.

TABVLA 16.

LATVS BASILICÆ
PARTES EIVSDEM INTERIORES
ET EXTERIORES OSTENDENS



Alexander Specchi del. et sculp.

Scala palmorum

& SS. Simonis, & Judæ à Paulo III. ornatum. De hoc Altari fusè ſuo loco dicendum erit, cum de Altari Sanctiſs. Sacramenti agemus.

Et ne, Antonio, ac Laurentio deficientibus, novum etiam deficeret opus, Michaeli Angelo Bonarotæ Florentiâ accerſito, anno eodem ejus Templi cura fuit impoſita. Pontificis juſſa ægrè tulit Bonarota (ideam enim Antonii improbaverat) coactus tamen poſt repulſas oneri ſuccumbere; Baſilicam petiit, ideam Antonii accuratiùs inſpecturus. Quotquot ibi aderant, Michaeli gratulantes affirmabant, illam amplum campum eſſe, quo ingenioſi Artificis mens uberrimè paſceretur Annuit primò illis Bonarota; ſed ad pecudes alendas, Architectonicæ artis omninò imperitas, demiſſa voce amico ſibi adſtanti, ſubjunxit. Vaſ. par. 3. pag. 167.

Venuſtam quidem ideam illam judicavit, ſed optimis Architecturæ præceptis omninò adverſantem; ſupervacaneam ideò columnarum ſeriem exprobravit; tot pyramidarum improbavit ſegetem; Gotorum ingenio (hoc eſt nullo ſervato ſimetriæ decore) omnia dixit fuiſſe diſpoſita, & lumine præſertim, multiplicibus parietibus extructis, orbari Baſilicam, cujus beneficio ejus forma dubio procul redderetur auguſtior. Pulchriorem extrui poſſe addebat, & quidem longè minori annorum intervallo, lucro inſuper facto pluſquam trecentorum mille aureorum, ſine quorum ope Baſilicam ab Antonio conceptam nullatenùs fieri poſſe, nec ſpatio annorum 50. ad finem perducendam, ſeriò exiſtimabat.

Servant ejus Hæredes epiſtolam, amico inſcriptam, qua Bramantis delineationem commendat, & novam damnat à Sangallo excogitatam, quæ eſt hujuſmodi:

Meſſer Bartolomeo amico caro.

E non ſi può negare, che Bramante non foſſe valente nell'Architettura, quanto ogn'altro, che ſia ſtato degli Antichi in quà. Lui poſe la prima pietra di San Pietro, non piena di confuſione, ma chiara, e ſchietta, luminoſa, ed iſolata attorno, in modo che non noceva à coſa neſſuna del Palazzo, e fù tenuta coſa bella, come ancora è manifeſto, in modo che chiunque ſi è diſcoſtato da detto ordine di Bramante, come hà fatto il Sangallo, ſi è diſcoſtato dalla verità; e ſe così è, chi hà occhi non appaſſionati nel ſuo modello lo può vedere. Lui, con quel circolo, che fà di fuori, la prima coſa toglie tutti i lumi alla pianta di Bramante, e non ſolo queſto, ma per ſe non hà ancora lume neſſuno à tanti naſcondigli frà di ſopra, e di ſotto i cori, che fanno commodità grande ad infinite ribalderie, con tener ſegretamente Banditi, far monete falſe &c. in modo che la ſera, quando detta Chieſa ſi ſerraſſe, biſognerebbe venticinque à cercare chi vi reſtaſſe naſcoſi dentro, e con fatica ſi troverebbero. Ancora ci ſarebbe queſt'altro inconveniente, che nel circuire con l'aggiunta, che il modello fà di fuora detta compoſizione di Bramante, ſaria forza di mandare in terra la Cappella di Pavolo, le ſtanze del Piombo, la Ruota, e molte altre; nè la Cappella di Siſto credo, che riuſcirebbe netta. Circa la parte fatta del circolo di fuora, che dicono, che coſta cento mila ſcudi,

queſto non è vero, perche con ſedici mila ſi ſarebbe, e rovinandolo poca coſa ſi perderebbe, perche le pietre fattevi, e i fondamenti non potrebbero venire più à propoſito, e megliorerebbeſi la fabrica ducento mila ſcudi, e 300. anni di tempo; queſto è quanto à me pare, e ſenza paſſione, perche il vincere, mi ſarebbe grandiſſima perdita; e ſe potete fare intendere queſto al Papa, mi farete piacere, che non mi ſento bene.

Voſtro Michel Agniolo &c.


Ut opera verbis non diſſentirent, quindecim dierum ſpatio aliam ideam compoſuit viginti quinque nummis tantùm expenſis, qua novam Baſilicam repræſentabat, minorem quidem mole, ſed auguſtiorem formâ, & pulcherrimo ornatu ſplendidiorem. Quadrangulam ille figuram in Templo retinendam cenſuit, nonnulla tamen in extremis mutanda. Nàm ſuperiores Magiſtri, hoc eſt Bramans, & Peruzius, Templi apſidem, tranſverſamque ambulationem duplici flexerant hemicyclo, ut in Tabula noſtra 10. indicatur. Alterum quà columnis, quà muro interſtante diſtinguebant, alterum non intermiſſum extimi parietis flexu clauſere. Hos ille ſemicirculos duplices ad ſimplices redegit, ut omnia liberiore utroque viſu oculi metirentur, & immodicis ſumptibus parceretur. Hemiſpherium in medio latiſſimum, & alium tanquàm cæli fornicem triplici ordine columnarnm niti voluerant, quorum exterior perpetuis columnis circumibat, interiores duo parietum interſtitio octo per intervalla ſejungebant. Ille ſubjectos arcus, è quibus eminet immanis tholus, haud pati tàm vaſtum pondus (quod alii quoque viderant) animadvertit, utque minori mole incumberet, extenuavit; duplicem tamen fecit, ut tholus exterior alterum includeret ſpatio intercurrente diſcretum: Quippè majeſtati Baſilicæ conſulebat, quæ externi verticis ſublimitate fit auguſtior. Intùs autem propinquiora depreſſo ambitu ad oculos jucundiùs accidunt. Porticus Templi
Fig. 17. Panthei porticum, diſpoſitis columnis, referebat. Quæ omnia in ſubjectis
& 18. Tabulis Peritorum oculi deprehendent. Altera continet Ichnographiam Templi ab exemplari Bonarotæ acceptam, in Archivo ejuſdem Templi aſſervato, quàm etiam typis vulgavit anno 1559. accuratè excuſam Henricus Vanſchoel. Altera verò Scenographicam deſcriptionem repræſentat.

Mentem Pauli III. adeò pellexit oblata Michaelis delineatio, ut ſtatìm illum fabricæ præfecerit, ac centum nummos aureos ſingulis menſibus eidem erogandos ſanciverit. Illos tamen reſpuit Michael ſibi oblatos à Joanne Pontificis tunc familiari, deindè Epiſcopo Forolivienſi. Verùm Pontifex litteras exaravit in forma Brevis, quas motu proprio (ut dicitur)
Parte 3. pag. 168. emanatas fuiſſe Vaſarus affirmat, & Aſcanius Condivus in ejus vita.
Pag. 37. Illarum vi fabricæ præficitur Michael, eidemque facultas conceditur, ut pro ſuo arbitratu omnia poſſit quæcunque velit, vel extructa deſtruere, vel nova excitare, Operariorum numerum vel minuere, vel augere, iis omninò excluſis, vel admiſſis, quos ad opus perficiendum aptiores exiſtimaret. Ejus Brevis exemplar diù conquiſitum nullibi Romæ reperiri potui.

Repertus

TABVLA 17.

ICHNOGRAPHIA NOVÆ BASILICÆ A MICHAELE ANGELO BONAROTA DELINEATÆ



Auctor del. et sculp.

TABVLA 18.

DESCRIPTIO SCENOGRAPHICA BASILICÆ
A MICHAELE ANGELO BONAROTA
DELINEATÆ



Hieronymus Frezza incid.

pag. 76. 2

Repertus eſt tamen Florentiæ ejuſdem Pontificis Chyrographus Italico ſermone exaratus, quem ſervabant nobiles Michaelis Angeli Hæredes, quorum natu major Michaelis Angeli nomen ſortitus eſt, illumque mihi præclaro, & erudito ejus fratre Abbate Philippo Bonarota, Michaelis pronepote communicatum, & fideliter tranſcriptum hìc inſero:

PAULUS PAPA III.

Motu proprio &c.

Conciosia coſa che il diletto Filio noſtro Michel'Angelo Bonarotto Cittadino Fiorentino, familiare, e continuo commenſale noſtro habbia innovato il modello, e forma della Fabrica della Baſilica del Prencipe degli Apoſtoli di Roma, per altri Architetti, e Periti formato, la qual fabrica, ò forma, ſenza premio, ò mercede, da noi à lui ſpeſſe volte offerta, accettata, ma di ſua mera carità, e ſingolar divozione, che lui porta à detta Baſilica l'habbia a meglior forma ridotto; e per eſſer fatte le predette coſe con noſtra volontà, ed eſpreſſo mandato, come per la preſente lo atteſtamo, e ne facemo piena, ed indubitata fede, come coſe, che tendono al decoro, ed ornato di detta Baſilica. E volendo noi per tutti i tempi advenire, che ſi oſſervino, e ſeguitino, havendo dette coſe rate, e grate, della reduzione, ed innovazione, e tutte, e ciaſchedune ruine, e ſtrutture, ed ogni altra coſa per il detto Michel'Angelo, ò di ſuo mandato in detta fabrica come ſi voglia fatta, ancorche dette coſe ſieno fatte con gran ſpeſe, jattura, e danno di detta fabrica, ò circa dette fabrica fatta, e data, à tal che immutare, nè reformare, ò alterare non ſi poſſa per tempi à venire, ma ſeguire, ed oſſervare ſe habbia, il detto Michel'Angelo, ò li ſuoi deputati Artefici, ò Miniſtri, e li loro heredi, e ſucceſſori à danni, e ſpeſe per detto conto fatte, ò proveniente, nè da quelle, nè da altri per loro amminiſtrate circa dette coſe à renderne conto, nè ragione, ò prova alcuna, nè verificazione, non ſiano obligati, nè tenuti, nè à ciò ſi poſſino coſtringere; e così nelle predette, ed infraſcritte tutte, e ciaſchedune coſe per tutti, ed ogni Giudice ſi habbia à giudicare, togliendoli la facoltà di interpretare altramente. Diſcernendo, e dichiarando irrito, ed invalido tutto quello, che in contrario ſi faceſſe; nondimeno confidando noi nella fede, iſperienza, e ſollecitudine nel Senor Dio, di detto Michel'Angelo noſtro, e della Sedia Apoſtolica, nella coſtruzione, e fabrica di detta Baſilica, Commiſſario, Prefetto, Operario, ed Architettore in vita ſua, lo coſtituimo, e deputamo, con facoltà di mutare il modello, forma, e ſtruttura di detta Baſilica, come li piacerà, ampliando, reformando, e reſtringendo tutti gli Operarii, Miniſtri, e Prefetti, ed altre perſone per detta fabrica, con ſalarii, ed emolumenti debiti, e conſueti, eleggere, e deputare, e li detti, ed altri per prima eletti, e deputati à ſuo beneplacito laſciare, licenziare, ed amovere, e di altri, come meglio li parerà, provedere, ed ogni altra coſa per le ſopradette coſe neceſſarie fare, dire, e moderare, ſenza licenza delli medemi, ò advenire deputati della Fabrica, ò di qual ſi voglia altro piena, libera, ed ognimoda facoltà, e poteſtà concedendoli. Et acciòche detto Michel'Angelo più liberamente poſſa attendere

dero

dere à detta Fabrica, lui, e li ſuoi Miniſtri, e deputati de la ſuperiorità, giuriſdizione, ed autorità delli Deputati in tutti, e per tutto liberamo, & affrancamo. Non obſtante premiſſe, e qual ſi voglia coſtituzioni, e ordinazioni Apoſtoliche, ſtatuti &c. co'l giuramento confirmati, privilegii, indulti, e lettere Apoſtoliche conceſſe alli Deputati di detta Baſilica, al Capitolo, ed ad ogni altra coſa di qual ſi voglia tenore, ancorche motu proprio ſiano conceſſe, e da concederſi, ancorche ſia neceſſario di farne menzione, al tenore della quale, e ad ogni altra derogamo con le clauſule neceſſarie.

E con aſſoluzione da cenſure à queſto effetto, ancora nelli caſi della regola, con la derogazione di eſſa; e che il modo, e forma delli modelli, fabrica, e della immutazione, e quantità delle ſpeſe per detta cauſa fatte, e danni ſeguiti, ſiano per eſpreſſi, & latiſſimè de parola in parola ſe poſſino eſprimere; e dell'atteſtazione, confirmazione, approvazione, licenza, conceſſione, facoltà, decreto, derogazione, ed altre coſe premiſſe, che per ciaſcheduna ſia per repetita, & eſpreſſa à parte latiſſimè exteſa. E che la ſola ſignatura di queſte lettere baſti, & in ogni luogo faccia fede. Non oſtante la regola in contrario, overo ſe parerà per noſtro Breve di ſopra, con deputazione de Eſſecutori, che facciano aſſiſten. &c. E con poteſtà di citare, ed inhibire, ancora ſotto cenſure, e pene Eccleſiaſtiche, ancora pecuniarie, con derogazione della coſtituzione di una, e due giornate, purche non ſia oltre trè, amplamente eſtendendo nomi, cognomi, qualità, ed altre coſe, circa le premiſſe coſe da eſprimere con maggiore, e più vera eſpreſſione per Breve noſtro inſieme, ò da parte ſi poſſono expedire.

His tandem munitus præſidiis præclarum opus aggreſſus Michael, ab eo properata ædificatio eſt. Exteriora Templi circumtecta ſunt magnis Tyburtini lapidis glebis, affabrè in Antas, Capitula, Epyſtilia, Coronas, Loculamenta, aliaſque formas elaboratis. Nova cæmentitia jecit fundamenta, binas ſcalas cochlydes in utroque latere extimorum parietum extruxit, quarum aſcenſu ad altiora Templi tecta perferri poſſent cæmenta. Supra quatuor majores arcus à Bramante extructos, Tyburtinos lapides in formam pulcherrimæ coronidis collocavit. Duo Baſilicæ bracchia, veluti in crucem extenſa, hinc indè excitavit, quarum extrema hemicyclo claudebantur, apſidibus ſuperimpoſitis, ſub quibus, rejectis octo loculamentis, quæ typi Bramantis, Peruzii, ac Antonii Sancti Galli præferebant, tria tantùm conſtruxit ad Altaria excipienda capaciſſima, quarum ſingulis binæ feneſtræ imminebant; omnique conatu omnia ſtuduit ſtabilire, quibus poſitis Vaticanum Templum brevi annorum curriculo, juxtà ſapientiſſimi Pontificis mentem perfici omninò deberet, invariata prorsùs ejuſdem Templi ſcenographica delineatione. *Vaſar. pag. 168.*

Hæc omnia triennio non adhùc integro perfecerat Michael, cum Pontifex Paulus gravi animi ægritudine conſternatus ob Placentiam à Cæſarianis occupatam, febris violentiâ poſt 5. diem anno 1549. Eccleſiæ Sacramentis integris adhùc ſenſibus piè ſuſceptis ex hominum Cœtu demigravit. *Ciaccon. pag. 514.*

CAPUT

CAPUT XV.

Acta ſub Julio III.

SED deficiente Paulo, Michaelis operibus adverſantes non defuere: Quamplurimi enim, aut nimis Antonio à Sancto Gallo addicti, aut à fabricæ opere excluſi à Bonarota, maligno dente frequenter illum carpebant, livido oculo ejus opera deſpicientes. Porrò (ajebant) auguſtiſſimam à Bramante excogitatam Baſilicam, venuſtiſſimam ab Antonio exornatam, probatamque à Viris, quos omnium conſenſus peritiſſimos judicaverat, à Michaele penitùs deletam, eorumque Virorum præclara nomina cum exciſis lapidibus obliterata; ingentes auri expenſas inutiliter diſſipatas, deperditos tot annorum labores, tot Pontificum ſapientiſſimorum mentes fruſtratas, Apoſtolorum Principi honorem minoris Baſilicæ fabricâ fuiſſe imminutum; omnia denique unius Viri arbitratu contra communem Urbis ſententiam penitùs perturbata. Hæc omnia & his majora invidi æmulatores anno 1551. expoſuerunt Joanni Mariæ de Monte, qui paulò antè communibus Cardinalium ſuffragiis Paulo III. ſubrogatus, ob gratam maximi Pontificis Julii II. memoriam Julii III. nomen aſſumpſerat. Vaſar. pag. 174. Ciaccon. pag. 741.

Importunis adeò precibus mentem Pontificis adeò divexarunt, ut tædio affectum illum induxerint ad trutinam revocanda, quæcunque Michael in fabrica peragebat. Eodem igitur evocato coram ipſius Fabricæ Præſidibus (quorum præcipui Joannes Cardinalis Salviatus, & Marcellus Cervinus, qui poſteà ad Beati Petri ſedem evectus fuit) illud in primis objectum eſt, quod Templum conſtrueret parum Solis irradiatione conſpicuum, indicabantque tres feneſtras, quas in hemicyclo partis dexteræ tantummodò aperuerat. At objecta facilè diluit Bonarota; ſubjunxit enim, alias tres & quidem ampliſſimas, futuras eſſe in fornice, quem è Tyburtino lapide arcuato parieti mox erat impoſiturus; deindè Pontificis æquitatem exoravit, ut detrahentium Inquiſitorum dicta reprimere, ſeque ſimùl labore conſumptum fabricæ curâ dignaretur exonerare. Quippè, ajebat, ſe oleum, & operam perdere; cum enim ſine ſpe lucri, gratiſque in fabricæ præfectura omni ſtudio ſe totum exerceret, contrariorum invidiâ ad iram ſæpè excitatus animæ jacturam periclitari formidabat. Vaſar. pag. 168.

His vocibus ad miſerationem jure meritò commotus juſtiſſimus Pontifex, manibus humero illius admotis, animum addidit Michaeli, invidamque concionem avocavit; & ne in poſterum novis calumniis concitatus, Fabricæ curam Artifex adeò peritus abjiceret, immò ejus animi integritas eximia, nec in Urbe tantùm, ſed Orbe toto pateret, Pauli III. diploma renovavit, atque in Præfectura Fabricæ novo Pontificio diplomate ſtabilivit. Illud hiſce paginis inſerere volui, mihi communicatum à ſupradicto D. Abbate Philippo Bonarota, & ab Auctographo reſcriptum, quod Florentiæ in Domo Hæredum ejuſdem Michaelis ſervatur, eſtque ut ſequitur: Vaſar. pag. 174.

Foris:

Foris: Dilecto Filio Michaeli Angelo Bonaroto Civi Florentino.

Intus: JULIUS PAPA III.

Dilecte Fili ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem.

Accepimus nuper, quod dudum poſtquàm Tu modellum, ſive formam Fabricæ Baſilicæ Principis Apoſtolorum de Urbe per alios Architectos, & Peritos formatum, nulla parte acceptata, licèt Tibi ſæpiùs à fel. rec. Paulo Papa III. Prædeceſſore noſtro oblata mercede, ſed ex mera tua charitate, & ſingulari, quàm erga dictam Baſilicam gerebas devotionem, de ipſius Prædeceſſoris voluntate, & expreſſo mandato innovaveras, & ad meliorem formam reduxeras; idem Prædeceſſor præmiſſa rata, & grata habens, innovationem, & reductionem hujuſmodi, ac omnes, & ſingulas ruinas, & ſtructuras, & alia quæcunque, per Te, vel de Tuo mandato, in dicta Fabrica quomodocunque facta, etiamſi cum magnis expenſis, & jactura, & damno dictæ Fabricæ facta fuiſſent, & certa ſua ſcientia, ac de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine approbavit, & confirmavit, ac modellum, ſive formam per Te factam hujuſmodi immutari, reformari, vel alterari nullo unquam tempore poſſe, ſed proſequi, & obſervari debere, Teque, vel à Te deputatos Artifices, & Miniſtros, eorumque hæredes, & ſucceſſores ad damna, & expenſas ea occaſione factas, & provenientes, ſive de illis, aut etiam de aliis, per eos circa præmiſſa adminiſtratis, computum, vel rationem, ac probationem, ſeu verificationem aliquam faciendam non teneri, nec ad id cogi poſſe, & ſic per quoſcunque tam ordinaria, quàm delegata, & in iſta auctoritate fungentes, Judices, & perſonas etiam Cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores, & Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinales, judicari, & decidi debere. Irritum quoque, & inane quidquid ſecùs ſuper iis à quoque quavis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contingeret, attemptari, decrevit, & deindè de tuis fide, experientia, & ſollicitudine plurimum in Domino confidens, Te, Tua vita durante, ſuum, & Apoſtolicæ Sedis in conſtructione, & fabrica dictæ Baſilicæ Commiſſarium Præfectum Operarum, & Architectorum conſtituit, & deputavit, & Tibi modellum, & formam, ac ſtructuram dictæ Baſilicæ mutandi, ac ad Tui libitum ampliandi, reformandi, vel reſtringendi, ac omnes Operarios, Miniſtros, & Præfectos, ac alias perſonas pro dicta Fabrica, cum ſalariis, & emolumentis debitis, & conſuetis eligendi, & deputandi, illoſque, & alios anteà electos, & deputatos ad Tui beneplacitum caſſandi, licentiandi, & amovendi, & de aliis, prout Tibi meliùs videretur, providendi, aliaque circa præmiſſa neceſſaria faciendi, dicendi, & moderandi, tunc, & pro tempore deputatorum ejuſdem Fabricæ, aut cujuſvis alterius licentiâ, minimè requiſita plenam, liberam, & omnimodam facultatem, & poteſtatem conceſſit, & ad id, ut liberiùs dictæ Fabricæ attendere poſſes, Te, ac Tuos Miniſtros, & Deputatos à ſuperioritate, juriſdictione, & auctoritate eorundem Deputatorum penitùs, & omninò exemit, prout in ſupplicatione manu ipſius Prædeceſſoris ſignata, cujus ſolam ſignaturam ad id ſufficere voluit, ſeu

litteris

litteris in forma Brevis deſuper forſan confectis pleniùs continetur. Nos autem, qui fidem, legalitatem, ſolicitudinem, ac in rebus agendis induſtriam, Tuas non minùs, quàm idem Prædeceſſor, perſpectas habemus, volentes animi Tui tranquillitati, ut liberiùs circa dictam Fabricam ingenii Tui vires dirigere poſſis, conſulere, ac diſpendiis, & moleſtiis obviare; ſupplicationis, ſeu litterarum deſuper confectarum prædictarum veriores tenores præſentibus pro ſufficienter expreſſis, & inſertis habentes, motu proprio, non ad Tuam, vel alteriùs pro Te Nobis ſuper hoc oblatæ petitionis inſtantiam, ſed de Noſtra mera liberalitate, ac de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine approbationem, confirmationem, decretum, conſtitutionem, deputationem, licentiam, facultatem, liberationem, & exemptionem Prædeceſſoris hujuſmodi, & prout illa concernunt omnia, & ſingula in ſupplicatione, & litteris hujuſmodi quomodolibet contenta, approbamus, confirmamus, & innovamus, & perpetua roboris firmitate ſubſiſtere, Tuoſque plenarios effectus ſortiri, & per quoſcunque, quos quomodolibet concernunt, & concernent in futurum, inviolabiliter obſervari debere decernimus, omneſque, & ſingulos tam juris, quàm facti defectus, ſi qui forſan in illis intervenerint, ſupplemus. Et nihilominùs pro potiori cautela omnes, & ſingulas ruinas, & ſtructuras, & alia quæcunque, per Te, vel de Tuo mandato, circa dictam Fabricam quovis modo hactenùs facta, & in poſterùm facienda, etiamſi cum quantumvis exceſſivis expenſis, & quantumvis notabiliùs jacturâ, & damno dictæ Fabricæ facta fuerint, & fiat in poſterum, approbamus, & confirmamus, ac rata, & grata habemus; necnon Modellum, & Formam per Te factam hujuſmodi immutari, reformari, vel alterari per alium, quam Te, nullo unquam tempore poſſe, ſed perſiſtere, & obſervari debere, ſublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, cognoſcendi, decidendi, & interpretandi facultate, & auctoritate, necnon irritum, & inane quidquid ſecùs ſuper iis à quoquam quavis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit, decernimus. Teque vita Tua durante in Noſtrum, & dictæ Sedis in conſtructione, & fabrica Baſilicæ hujuſmodi Commiſſarium, Præfectum Operarum, & Architectuum, cum licentia, facultate, & poteſtate, ac conceſſione ſupradictis, ac aliàs quomodolibet neceſſariis, & opportunis, & prout per dictum Prædeceſſorem conſtitutus, deputatus, & exemptus fuiſti, de novo conſtituimus, deputamus, & eximimus. Qua circa Venerabilibus Fratribus Patriarchæ Hieroſolymitano, & Epiſcopo Liparen. ac Dilecto Filio Curiæ Cauſarum Cameræ Apoſtolicæ Auditori per præſentes, motu, & ſcientia ſimilibus, committimus, & mandamus, quatenùs ipſi, vel duo, aut unus eorum per ſe, vel alium, ſeu alios Tibi in præmiſſis efficacis defenſionis præſidio aſſiſtentes faciant, præſentes litteras, & in eis contenta quæcumque plenum effectum ſortiri, Teque illis, ac omnibus, & ſingulis in eis quomodolibet contentis, pacificè frui, & gaudere. Non permittentes Te contra præſentium tenorem modo aliquo moleſtari, impediri, aut inquietari. Contradictores quoſlibet, & rebelles etiam per quaſcumque, de quibus eis placuerit cenſuras, & pœnas, etiam pecuniarias, eorum arbitrio ponendas, & moderandas, ac alia opportuna juris remedia appellatione poſtpoſita compeſcendo. Invocato etiam ad hoc, ſi

opus fuerit, auxilio bracchii ſæcularis, non obſtantibus præmiſſis, ac quibuſvis Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, ac dictæ Baſilicæ ſtatutis, & conſuetudinibus, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis, privilegiis quoque, indultis, & litteris Apoſtolicis eidem Baſilicæ, & illius Capitulo, ac ab eis pro tempore deputatis per quoſcunque Romanos Pontifices Prædeceſſores Noſtros, & Nos, ac Sedem Apoſtolicam etiam motu proprio, & de certa ſcientia, ac de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, ac cum quibuſvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliiſque fortioribus, & inſolitis clauſulis, irritantibuſque, & aliis decretis quomodolibet etiam pluries conceſſis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, etiamſi pro illorum ſufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus ſpecialis individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clauſulas generales, iidem Importatores mentio, ſeu quævis alia expreſſio habenda, aut exquiſita forma ſervanda foret, & in eis caveatur expreſsè, quod illis nullatenùs derogari poſſit, illorum omnium tenores præſentibus pro ſufficienter expreſſis, ac de verbo ad verbum inſertis, necnon modus, & forma ad id ſervandas, pro individuo ſervatis habentes, hac vice dumtaxat illis aliàs in ſuo robore permanſuris, harum ſerie ſpecialiter, & expreſsè derogamus. Cæteriſque contrariis quibuſcunque, aut ſi aliquibus communiter, vel diviſim ab Apoſtolica ſit Sede indultum, qui interdici, ſuſpendi, vel excommunicari non poſſint, per litteras Apoſtolicas non facientes plenam, & expreſſam, ac de verbo ad verbum de indulto hujuſmodi mentionem. Dat. Romæ apud Sanctum Petrum ſub Annulo Piſcatoris die vigeſima tertia Januarii MDLII. Pontificatus Noſtri Anno II.

S. Cervien.

Foris: V. Macharanus.

Ampliſſimo hoc diplomate ab invidorum detractionibus Julius III. munierat Bonarotam, qui tamen novis eorum moleſtiis affectus, novos animi angores experiebatur. Mortuo enim Julio III. pauciſque elapſis diebus, quos vixit Marcellus II. Julio ſuffectus, ad Petri Solium aſcendit Paulus IV. quo vivente, quoſdam annuos proventus ex Urbe Ariminenſi Michaeli Angelo addictos Pontificius Poccillator (inſcio Pontifice) ſibi uſurpavit, decernens, centum nummos ſingulis menſibus eidem erogandos. Eos tamen Vir magnanimus recuſavit, deſpexitque dicteria Pirri Ligorii Architecti, qui eum repueraſcentem ſenem vocitabat. Florentiam idcircò, redire meditabatur, ut ibi ſupremum clauderet diem; verùm ſenectâ, quotidiè magis ingraveſcente, itineri ſe committere timuit (erat enim octogenario major) ingenio tamen vegeto, & integris ſenſibus vireſcens. Timebat inſuper (ut ipſemet in ſua epiſtola Georgio Vaſaro inſcripta expoſuit) ſe reum magni criminis apud Divinum Judicem fore, ſi Vaticani Templi curâ ſe penitùs abdicaret, addito inſuper apud homines infamiæ dedecore.
Pag. 179. Extat epiſtola in ejus vita à Vaſaro conſcripta his verbis die 19. Septembris 1554.

Sappiate

Sappiate per coſa certa, che io harei caro di riporre queſte mie debole oſſa acanto à quelle di mio padre, come mi pregate; ma partendo di quà ſarei cauſa di una gran ruina della Fabrica di San Pietro, di una gran vergogna, e di un grandiſſimo peccato: ma come ſia ſtabilita, che non poſſa eſſer mutata, ſpero far quanto mi ſcrivete, ſe già non è peccato à tenere à diſaggio parecchi ghiotti, che aſpettano mi parta preſto.

Neque verò illum voces vulgi, Artificum æmulatio, calumniæ obtrectantium, vel Principum contumeliæ adeò perculere, ut de firma ſtatione mentis, conſiliive ſui depelleretur unquam, quin magis in dies ille animo æſtuare, & eniti monitis, ſcriptiſque, & perpetuo labore, vigiliiſque præſtare, ne in cujuſquam poteſtate foret ampliùs rectè facta, aut conſulta perfringere, idque unum præcipuè conari, ut moles, æternitati parum conceſſura, optatum aliquando finem attingeret. Cujus quidem Viri ea fuit auctoritas apud illos claros Artifices, qui eodem in munere deinceps illi ſucceſſere, ut ejuſdem ſapienter excogitatis, atque decretis mordicus, plerique omnes hæſerint, neque terminos ædificationis, ſemèl ab illo fixos, temerè tranſire fas eſſe duxerint. Generoſo igitur amore erga Divum Apoſtolorum Principem, cui ſine ullo pecuniæ lucro ſerviebat, omnia deſpiciens, fabricam promovere conabatur. Ejus animi pietatem Poſteritati tradiderunt ipſius epiſtolæ diverſis amicis ſcriptæ, quarum aliquas recenſere exiſtimavi eodem patrio ſermone, quo Auctor exaravit, apud hæredes ſervatas. Illarum prima Georgio Vaſaro miſſa die 11. Maii 1555. ità ſe habet:

Ferdinand. Carolus ſectiōn.I. c.2.

Io fui meſſo à forza nella Fabrica di San Pietro, & hò ſervito circa otto anni, non ſolamente in dono, ma con grandiſſimo mio danno, e diſpiacere, e hora che l'è avviata, e che ci è denari da ſpendere, e che io ſono per voltare preſto la cuppola, ſe io mi partiſſi, ſarebbe la rovina di detta Fabrica, ſarebbemi grandiſſima vergogna in tutta la Chriſtianità, e nell'anima grandiſſimo peccato: però Meſſer Giorgio mio caro io vi prego, che da mia parte voi ringraziate il Duca delle ſue grandiſſime offerte, che voi mi ſcrivete; e che voi preghiate Sua Signoria, che con ſua licenza, e grazia io poſſa ſeguitare quà, tanro che io me ne poſſa partire con buona fama, con honore, e ſenza peccato.

In alia ad eundem epiſtola die 22. Junii ejuſdem anni hæc itidem habet:

Pregate Sua Signoria, che con ſua licenza io ſeguitaſſi quà la fabrica di San Pietro, finche foſſi à termine, che la non poteſſe eſſer mutata, per dargli altra forma; perche, partendomi prima, ſarei cauſa di una gran rovina, di una gran vergogna, e di un gran peccato: e di queſto vi prego per l'amor di Dio, e di San Pietro.

Die poſteà 1. Julii anni 1557. ſcribens Leonardo Bonarotæ nepoti, ſic ait:

Io vorrei più preſto la morte, che eſſere in diſgrazia del Duca; io in tutte le mie coſe m'ingegno di andare in verità; e ſe io hò tardato di venir coſtà, come hò promeſſo, io hò ſempre inteſo con queſta condizione, di non partir di quà, ſe prima non conduco la fabrica di San Pietro à termine, che la non poſſa eſſer guaſta, nè mutata dalla mia compoſizione; e di non dare occaſione di ritornarvi à rubbare, come ſolevano, e come ancora aſpettano i ladri; e queſta diligenza hò ſempre uſata, e uſo, perche come molti credono, e io ancora, eſſervi ſtato meſſo da Dio; ma il venire à detto termine di detta fabrica non mi è ancora, per eſſer mancati i denari, e gli huomini, riuſcito; & io, perche ſon vecchio, e non havendo à laſciar altro di me, non l'hò voluta abbandonare; e perche ſervo per l'amore di Dio, e in lui hò tutta la mia ſperanza.

Rursùs in alia epiſtola ad Georgium Vaſarum ſic loquitur:

Meſſer Giorgio amico caro.

Io chiamo Iddio in teſtimonio, come io fui contro à mia voglia con grandiſſima forza meſſo da Papa Pavolo nella fabrica di San Pietro di Roma dieci anni ſono, e ſe ſi fuſſi inſino à hoggi ſeguitato di lavorare in detta fabrica, come ſi faceva allora, io ſarei hora à quello di detta fabrica, che io hò deſiderato per tornarmi coſtà, ma per mancamento di denari la ſi è molto allentata, e allentaſi, quando ella è giunta in più faticoſe, e difficili parti, in modo che abbandonandola hora non ſarebbe altro, che con grandiſſima vergogna perder tutto il premio delle fatiche, che io ci hò durate in detti dieci anni per l'amore di Dio &c.

Ultima demùm 13. Septembris 1560. fuit miſſa ad Cardinalem Carpenſem his verbis:

Meſſer Franceſco Dandini mi hà detto hieri, che V. S. Illuſtriſſima, e Reverendiſſima gli diſſe, che la fabrica di San Pietro non poteva andar peggio di quello, che andava, coſa che veramente mi è molto doluta, sì perche ella non è ſtata informata del vero, come ancora che io (come debbo) deſidero più di tutti gli altri huomini, che ella vadi bene. E credo (ſe io non mi gabbo) poterla con verità aſſicurare, che per quanto in eſſa hora ſi lavora la non potrebbe meglio paſſare. Ma perciòche forſe il proprio intereſſe, e la mia grave vecchiezza, mi poſſono facilmente ingannare; e così contro l'intenzione mia far danno, ò pregiudizio alla prefata fabrica io intendo (come prima potrò) dimandar licenza alla Santità di Noſtro Signore; anzi per avanzar tempo, voglio ſupplicare, come fò, V. S. Illuſtriſſima, e Reverendiſſima, che ſia contenta liberarmi da queſta moleſtia, nella quale per li commandamenti de' Papi, come Ella sà, volontieri ſono

ſtato

ſtato gratis già 17. anni, nel qual tempo ſi può manifeſtamente vedere quanto per opera mia ſia ſtato fatto nella ſudetta fabrica; tornandola efficacemente à pregare di darmi licenza, che per una volta non mi potrebbe fare la più ſingolare grazia; e con ogni riverenza humilmente bacio le mani di V.S. Illuſtriſſima, e Reverendiſſima.

Sed ut ad ſeriem fabricæ redeamus, expertus erat Michael, quàm noxia futura ei fuiſſet ipſius abſentia, cum non ſemèl error irrepſerit in conſtructione fornicis in bracchio dextero, quod Regium appellabant, ob imperitiam cœmentarii, à quo in ejus molitione cæteri dirigebantur Artifices. Adeout non modica ejuſdem pars omninò everti neceſsè fuerit, iterumque ædificari, quamvis omnes ejus menſuræ exactiſſimè deprehendi poſſent in lignea forma à Bonarota propoſita.

Talem fornicem haud cœmentis compegit Michael, ut mos fuerat apud antiquos communis, ſed tantùm Tyburtino lapide affabrè exciſo, & ſcalpris adeò egregiè aptato, ut omnibus lapideis fragmentis, ſingulis in partibus adamuſſim invicem conſentientibus, fornix eſſet immutabilis, ac veluti unico in lapide excavatus videretur.

Annus interim quinquageſimus ſeptimus ultrà milleſimum quingenteſimum vertebatur, quo adhùc in Petri Solio ſedebat Paulus IV. Jamque ſupra quatuor majores arcus coronam impoſuerat Michael ad tholum ſubſtinendum aptiſſimam, eamque duplicato columnarum additamento exornaverat. Verùm cum ejus Tholi conſtructio ſemper in dies magis, ac magis Vaſar.pag.
protraheretur, ejuſdemque idea eſſet in ſola Michaelis Angeli mente; Car- 181.
dinalis Carpenſis, & præclari viri Donatus Jannozzius, Franciſcus Bandinus, ac Thomas de Cavaleriis plurimùm fabricæ addicti, verentes, ne, deficiente Bonarota, etiam illa omninò deficeret, eum induxerunt ad ideam ex aliqua materia compingendam, ex qua omnes Tholi partes, ac menſuræ à quovis facilè deprehenderentur. Annuit Bonarota, & opus commiſit cuidam Gallo nomine Joanni, qui illud primùm ex argilla, deindè ex ligno juxtà mentem Michaelis exactiſſimè unius anni ſpatio perfecit.

CAPUT XVI.

De Tholi Idea à Bonarota delineata.


Fig. 19. & 20. ANTEQUAM ad ulteriora progrediamur ſatis erit talem prototypum contemplari in duplici Tabula, quarum prima exhibet exteriorem partem tùm Baſilicæ, tùm Tholi, quàm curavimus delineari, prout extat in Bibliotheca Vaticana coloribus expreſſa, de qua mentionem fecit Mutius Panſa in deſcript. Vatic. Biblioth. pag. 116. Deſunt tamen in ejus loculamentis ſigna marmorea; quibus exornari illa juſſerat Bonarota; ſecunda exhibet diverſam ejuſdem Tholi formam cum porticu ibidem aperta, quàm excogitavit Eques Dominicus Fontana ſub Sixto V. Ejuſdem declarationem addo latino idiomate redditam, quam italico exara-
To.3.par.2. pag.181. vit Vaſarus. Utque Vaſari deſcriptio clariùs innoteſcat, aliam Tabulam addere viſum eſt, in qua partes ichnographicæ ejuſdem Tholi demonſtrantur
Fig. 21. additis caracteribus, quorum beneficio ſingulæ à Vaſaro deſcriptæ clara methodo deprehendi poſſunt.

Animadverti (ait Vaſarus) diametrum circuli, quo timpanum tholi ſubjectum perficitur, palmos centum & octoginta ſex continere. Ejus baſim quatuor majoribus arcubus E, & pilis, nempè A B C D impoſitam è lapidibus Tyburtinis in gyrum efformari, cujus craſſities palmis triginta tribus $\frac{11}{12}$ expletur, altitudo verò palmis undecim & $\frac{10}{12}$ illique inſuper ineſſe coronam palmis octo altam, ſex verò cum dimidio antè muri libellam prominentem. Hæc baſis triplices dividitur in partes, quarum interior 15. palmis expletur, undecim exterior, media verò ſeptem & $\frac{11}{12}$ vacua ſpatium habet fornicatum, in gyrum palmorum 806. circumductum, altumque palmis 16. In illud patet ingreſſus per quatuor januas, inter ſe palmis 201. diſtantes, totidemque inſunt in ſpatiis ambulacri intermediis, in quarum ſingulis gradus collocati, aſcenſum offerunt hinc ad exterioris coronæ ambulacrum I latum palmis ſex cum dimidio, indè verò ad interiorem coronidem K, cujus latitudo palmos octo & $\frac{3}{4}$ circumeuntibus præbet. Ex his aditibus per ſcalas, in tertia, quam diximus, baſis parte ſolida collocatas, quatuorque palmis & $\frac{4}{12}$ amplas, aſcenſus hinc indè datur palmorum quatuordecim & $\frac{1}{12}$ ad aliam coronidis, ſeu baſis contignationem, quæ decem unciis unius palmi prominet in vertice.


Supra eam collocantur ſexdecim validiſſimæ pilæ M binis ſingulæ exornatæ in parte interiori paraſtatis N, in exteriori verò binis columnis O munitæ. Harum pilarum lineæ centrales longæ palmis triginta ſex in magni circuli centro concurrunt. Hæ binæ columnæ baſim præmunt latam quinque, & unciis octo, altam undecim, ſub qua plinthus jacet palmo cum dimidio altus, latus verò octo & $\frac{3}{4}$. Earum columnarum ſcapus altitudinem explet palmorum 43. cum dimidio. Ejus verticis diameter palmos 4. implet & uncias novem, pedis verò quinque cum dimidio. Capitulus, quem habent corinthium, palmos ſex cum dimidio in altitudine oſtentat, in cimaſio autem

novem.

FORMA EIVSDEM NOVÆ BASILICÆ A MICHAELE ANGELO BONAROTA DELINEATA



Hieronymus Frezza incidit




FORMA BASILICÆ QVAM CVM PORTICV ITIDEM APERTA
EXCOGITAVIT EQVES DOMINICVS FONTANA SVB SIXTO V.

Hieronymus Frezza incidit

TABVLA 21.

ICHNOGRAPHIA MAGNI THOLI BASILICÆ VATICANÆ A SIXTO V. ÆDIFICATI



Auctor del et sculp.

novem. Earundem columnarum tres tantùm partes oſtenduntur. Quartâ enim pilis conjunguntur, ut apparet in P, in quibus ſingulis janua Q patet arcuata, lata palmis quinque, alta tredecim & $\frac{1}{12}$.

Inter ſupradictas pilas columnis exornatas totidem feneſtræ V patent, latæ palmis 12. $\frac{1}{2}$. altæ circiter 22. cornicibus in utraque parte palmorum 2. & $\frac{3}{4}$. exornatæ, & quidem ampliores in parte interiori, quàm exteriori, ad lucem majorem Baſilicæ communicandam. Columnis ſimùl & Paraſtatis ad eamdem prorsùs altitudinem evectis epiſtylium imminet altum palmis quatuor & $\frac{5}{12}$. Epiſtylio Zophorus conjungitur palmorum quatuor cum dimidio. Zophoro verò corona palmorum quatuor & unciarum octo, quinque verò in latum protenſa cum marmoreis repagulis circumeuntibus opportuna.

Quatuor oppoſitis ſibi invicem pilis quatuor ſcalæ inſunt cochlites, quarum beneficio ad eam partem aſcenditur, cui opus tholi fornicatum imponitur.

Huc uſque Baſilicæ fabricam produxerat, tholique extruendi menſuras ſequentes in prototypo præſcripſerat Bonarota. Quas ad clariorem explicationem in ſubjecta ejuſdem tholi delineatione in Tabula 18. poſita inſpiciemus. Tria primum aſſignavit puncta in triangulum diſpoſita A B C. In puncto C inferiori centrum habet circumferentia parietis tholi interior, cui parieti craſſitiem aſſignavit palmorum quatuor cum dimidio. Poſt illum reliquit ſpatium quatuor palmorum pro ſcalis, quæ iter præbent ad laternam. Facto deindè centro in puncto B, circulum duxit pro ſecundo pariete arcuato, cujus initio aſſignavit palmos quatuor cum dimidio. Extremitati verò ſuperiori tres cum dimidio, ad quas menſuras facilè obtinendas lineam duxit è centro A circularem, ſicque ſpatium inter duos parietes aperuit octo palmis altum, ut per gradus fornici additos, quilibet poſſet rectus aſcendere.

Ad hos binos parietes perfectè ſtabiliendos, quibus tholus componitur, ſexdecim anteridibus illos conjunxit, veluti coſtis, quibus ſimùl firmiter colligantur, totidemque ſunt inter eos ſpatia, ad ſcalas ſupradictas complectendas, quæ ſcalæ in octo tantùm ſibi oppoſitis ſpatiis collocatæ, binis illis parietibus primùm comprehenduntur, deindè fornici interiori tantùm adhærent, cætera autem octo ſpatia ſunt vacua. Hæ autem coſtæ, pyramidum inſtar duodecim palmis primum latæ, gradatim acuminantur, & in parte cùm interiori, tùm exteriori prominentes robur augent & decorem.

Superficies tholi exterior in arcuatum parietem flectitur, ſupra baſim 25. palmis cum dimidio altam, ſoleâ duorum palmorum, & ſimili coronide exornatam. Dividitur inſuper à ſexdecim ſupradictis anteridibus in totidem æqualia ſpatia. In ſingulis eorum binas feneſtras aperuit ſagaciſſimus Artifex, ut eorum beneficio ſpatia à duobus fornicibus comprehenſa illuminarentur. Eas mutilis encarpis, denticuliſque prominentibus ità exornavit, ut imbrem arcerent. Anteridibus verò, palmis quinque latis, ſtriges inerant, quæ in ſpatio unius palmi cum dimidio gradus continebant, ad aſcenſum accomodatos.

Tholo

Tholo laternam impoſuit exornatam columnis ſimilibus aliis, quæ ipſi tholo fulcimento erant & ornatui. Laternam demùm abſolvit pyramide, ad æreum globum cum cruce ſubſtinendum aptiſſima. In parte vero interiori ſpatia intermedia ſexdecim habent areas in elypſim efformatas, quorum altitudo ad palmos extenditur 29. His imminent totidem quadrata 24. palmis oblonga, & fornicis acumini obſecundantia, demùm in ſpatiis ſuper extantibus ſexdecim alii circuli, totum arcuatum parietem mirùm in modum exornant. Hæc omnia in ſuo prototypo præſcripſerat Bonarota. Quomodò autem tria illa puncta A B C inveniri poſſent ex documento ipſius, Vaſarus non retulit.

Probata maximè fuit apud omnes futuri tholi delineatio; verùm ejus conſtructionem diſtulit Summi Pontificis mors, ob quam anno 1559. è vivis erepto, Templi fabrica caruit Promotore.

CAPUT XVII.

Acta ſub Pio IV. & Gregorio XIII.

PIUS deindè hujus nominis IV. anno eodem ad Vaticanam Sedem evectus, cum ſatis perſpectas haberet egregias Bonarotæ virtutes, illi mirificè blanditus eſt, & diplomata Pontificum Pauli III. Julii III. & Pauli IV. renovavit; quibus in fabricæ Præfectura idem confirmaretur. Septemdecim jàm annos in eâdem inſumptos Michael numerabat, cum novis iterùm moleſtiis affectus eſt ab invidis æmulatoribus, quorum cupiditas illum exauctorare ſtudebat. Cùm enim Fabricæ Præſidem Aloyſium Cajetam cuidam Cœſari è Caſtrodurante defuncto ſubſtituiſſet Bonarota, eum excludi conati ſunt, ejuſque loco Virum ſibi acceptum, ſed imperitum præfecere, cui nomen erat Nannus, vulgò dictus *di Baccio Bigio*, affirmantes inſuper fabricæ curam à Michaele fuiſſe ob gravem ſenectutem penitùs abdicatam, immò ejus ruinæ periculum imminere, quod certè ab alio peritiſſimo Architecto remedium expectabat. Harum vocum famâ percrebeſcente æquiſſimus Pontifex nobilem Virum Gabrium Sorbellonum (Vaſar. pag. 188.) juſſit inquirere, an vera eſſent, quæ dicebantur, ſtatimque ſibi referre, quæ diligenti præmiſſo examine deprehendiſſet. Detecta ſtatim fuere mendacia, & obliterantium hominum calumniæ, quarum cauſa Nannus probroſis verbis à Vaticano exulare juſſus ob Pontificium decretum, gloriæ loco retulit ignominiam.

Hæc inter Bonarotæ laboribus mors finem impoſuit die 17. Februarii anni 1564. qua Divino Conditori animam ſuam commendans piiſſimè illam efflavit. Poſt funebrem pompam, qua primùm in Templo Sanctorum Apoſtolorum Romæ, deindè Florentiam tranſlatus, in Templo Sanctæ Crucis ſepultus requievit, appoſita hac ſequenti inſcriptione in honorario tumulo, quem ingenioſa pietas Pictorum, & Sculptorum erexerat, videlicet:

Collegium

Collegium Pictorum, Statuariorum, Architectorum auſpicio, opeque ſibi prompta Coſmi Ducis, auctoris ſuorum commodorum ſuſpiciens ſingularem virtutem Michaelis Angeli Bonarotæ, intelligenſque, quanto ſibi auxilio ſemper fuerint præclara ipſius opera, ſtuduit ſe gratum ergà illum oſtendere, ſummum omnium, qui unquam fuerint P. S. A. ideòque monumentum hoc ſuis manibus extructum magno animi ardore ipſius memoriæ dedicavit.

Bonarota defuncto, fabricam perficiendam curavit Pius IV. cui jàm Paulus IV. Pirrum Ligorium præpoſuerat, eique Pius ſocium addidit Jacobum Barozzium: dumque inchoatam ſubſtructionem quantociùs abſolvendam hìc urgeret Pontifex plurimam pecuniam ſuppeditavit; ſcribente Panvinio: *Templum Sancti Petri Vaticanum totum Terrarum Orbe celebre, additis menſtruis ſalariis perficiendum curavit*. Illis diſtrictè præcipiens, ne quidem unguem diſcederent ab exemplari, quod Bonarota è ligno compactum reliquerat; interdictumque fuit quidquam addere, vel adimere: Quam quidem legem acriùs, ſeveriuſque firmavit anno 1566. Summus Pontifex Pius V. inſtante apud ipſum Vaſaro, qui ejuſdem Pontificis mandata cum Guilielmo Sangalletto Romanæ Eccleſiæ Theſaurario indixit Epiſcopo Ferrantino Vaticanæ Fabricæ Præſidi; Immò advertens Pius, Pirrum Ligorium à Bonarotæ veſtigiis diſcedere, illum coegit ab incæpto deſiſtere, & ſolo Jacobo Barozzio opus Bonarotæ commiſit abſolvendum.

Apud Palatium pag. 283.

Vaſar. pag. 189.

Fuerat Jacobus Barozzius, Vignola vulgò dictus, ab Oppido Bononienſis Territorii, ubi patre Clemente Mediolanenſi, matre verò Germana anno 1507. natus fuit. In primis juventutis annis Bononiæ arti pingendi addiſcendæ navavit operam; in qua cum, Magiſtro ſatis perito deſtitutus, parum proficeret, & ad Architecturam addiſcendam toto ſe ferri animo perſentiret, omnes curas, cogitationeſque ſuas ad illam convertit, augurio quaſi facto ex efformationibus ædificiorum, quas multorum cum plauſu perfecerat. Quoniam verò intelligebat optimè ſola delineandi arte, aut lectione Vitruvii non poſſe perveniri ad illud faſtigium, quo enitebatur, Romam conceſſit, ut antiqua ejus inſpiceret monumenta, ex iiſque regulis optimas depromeret. Ubi quidem illi in primis hoc commodum evenit, quòd ab Academia Architectonica, cujus tùm Principes erant Marcellus Cervinus, Maffæus, & Mazzolus, adſcitus fuit eum in finem, ut quæ mente illa conceperat, pennicillo deſignaret, & ædificia antiqua metiretur, & efformaret. Qui labor illi tantùm profuit, ut genuinam ædificandi rationem, familiariſſimam ſibi redderet, ac plurima deindè ædificia Romæ, Bononiæ &c. arte peritiſſima extrueret, tantùmque ſibi compararet nominis famam, ut ab Hiſpaniarum Rege ad Excuriale ædificandum evocaretur, quam tamen Provinciam, ſibi delatam, ætate jàm provectus ſuſcipere noluit, præcipuè cum poſt Michaelis Angeli Bonarotæ obitum, Baſilicæ Sancti Petri Architectus à Pontifice Maximo fuiſſet conſtitutus. Jacobum igitur ſuos labores omni ſtudio impendiſſe circa fabricam novennio integro, quo vitam traduxit, Dantes affirmat in ejus vitâ, verùm opera ab ipſo patrata non enumerat, nec ab aliis Auctoribus indicata reperio, niſi ab unico Balleono, qui pag. 8. affir-

Ex actis Erudítor. Januarii 1694. pag. 25.

mat, exteriores Templi parietes Tyburtino lapide exornatos ab ipſo fuiſſe, juxtà delineationem à Bonarota decretam. Certum autem eſt Pium V minori ſtudio, quàm Pius IV. fabricam promoviſſe; ſexennio enim, quo Sanctiſſimus ille Pontifex Romanam Eccleſiam gubernavit, ingentem pecuniæ vim erogare ſtuduit, ut ipſam ab infenſis hoſtibus defenderet, & Selinum Turcarum Tyrannum, multis inſolentem victoriis, ingenti parata claſſe extrema Romæ minitantem, precibus, & armis devinceret.

Barozzio demùm defuncto ſub Gregorio XIII. qui poſt Pium V. magna omnium lætitia, & ingenti ſuarum virtutum expectatione Pontif. Max. renunciatus fuit, ejus diſcipulus Jacobus patria Romanus, à Porta dictus, fabricæ præficitur, ut iiſdem veſtigiis inſiſtens, eam omni ſtudio proſequeretur. Hujus directione, & Thomæ de Cavaleriis conſilio, multa mirificè molitus Gregorius tectum impoſuit Aræ Divo Petro ſacræ, magnis binis columnis ſuffultum, contra imbrium eluviones, Cellam poſteà magnificentiſſimam, quàm Gregorianam vocant, maculoſis marmorum incruſtationibus camerato, inauratoque ambitu, ac tholo, columnis, picturis ſpecioſis, organi tubis, muſivis, aliiſque clariſſimis operibus vix imitabilem fecit. In ejus Sacelli exſtructione, ultrà centum millia ducatorum impendit, & annuis proventibus ad Sacerdotum alimoniam dotavit. Picturas in eo ſuo pennicillo expreſſit Hieronymus Mutianus anno 1580. cujus elogium è tumulo acceptum, in Baſilica Liberiana locato, ſic legitur:

Donatus de Roma lib. 4

Balleonus pag. 5.

Hieronymo Mutiano Brixienſi Rom. non pingendi magis arte, quàm vitæ probitate clariſſimo. Idem enim Gregorio XIII. Pontif. Max. cujus Sacellum in Vaticana Baſilica muſivo princeps opere exornarat chariſſimus fuit, & S. P. Q. R. ob inſignem morum integritatem Romana Civitate donatus eſt. Obiit Rom. 27. men. Apr. an. 1593. & Ortenſiæ Urſæ ejus uxori, & Victoriæ filiæ, ſocro ſocrui, & uxori chariſs. Thomas Tertius mœrens poſuit anno MDC.

Turrigius de Crypt. Vatic.

Altare ejus Sacelli ornant columnæ, quæ in Templo Romolo dicato in Foro Boario extabant. Quamplurimæ etiam Angelorum imagines, quas ex ære formavit Sebaſtianus Torriſanus. In eo Gregorius antiquiſſimam Deiparæ imaginem, de Auxilio appellatam, die 12. Februarii anno 1578. ſolemni pompa collocavit, quàm anteà Julius II. è veteri Sacello S. Leonis I. ad aliud tranſtulerat. Refert Turrigius in Cryptis Vaticanis, illam præceſſiſſe cum facibus ardentibus Baſilicæ Vaticanæ Clerum, Sodalitates S. Jacobi, vulgò dicti *Scoſſa Cavalli*, & Sanctiſſimi Sacramenti, Religioſos etiam Carmelitas Sanctæ Mariæ, quam vocant *Tranſpontinam*, quibus acceſſerunt ſex Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Purpurati, Alexander Farneſius Archipresbyter Baſilicæ, Varmienſis Summus Pœnitentiarius, Sirletus, Albanus, à S. Sixto, & Auſtriacus.

Balleonus pag. 323.

Pag. 167.

Decreverat Gregorius ſub Ara hujus Sacelli Divi Gregorii Oſſa collocare, quæ in Aede Sanctæ Mariæ Campi Martii jacebant. Quamobrem ſolemnem pompam indixit, ut refert Mucantius in Diariis his verbis.

Die 16.

,, Die 16. Martii anno 1578. fuit ordinata Proceſſio pro Corpore
,, Beati Gregorii Nazianzeni tranſportando ad Baſilicam Sancti Petri, ta-
,, men ob Cæli intemperiem fuit ad aliud tempus tranſlata]. Et alio in loco
,, [Die 20. Aprilis 1580. fuit decreta pompa pro tranſlatione Divi Gregorii
,, in Congregatione Cardinalium num. 8. deputata pro reformatione cære-
,, moniarum &c.] Indicta igitur ſacra pompa die 11. Junii ejuſdem anni in Vaticanum Sacellum Sanctiſſimi Viri Oſſa tranſtulit. Eam Joannes Paulus Mucantius tom. 2. Diariorum Franciſci fratris fusè, & diligenter expreſſit. Proceſſionem ſex horis abſolutam fuiſſe affirmat, in qua, refert Turrigius, adfuiſſe ex piis Sodalitatibus Socios 3768. Religioſos 905. ex Curia Romana Adminiſtros 576. & Parochos 69. Totum agmen claudebat Jacobus Boncompagnus, qui Sanctæ Romanæ Eccleſiæ armis præerat; umbellam, ſub qua ſacra Oſſa deferebantur in theca argentea, viciſſim gærebant Populi Romani Senator, Conſervatores, Regionum Urbis Duces, ac SS. Petri, & Pauli Equites aurati. Via tota à Sanctæ Mariæ Campi Martii Templo ad Vaticanum variis ornamentis (apud Collegium Germanicum etiam carminibus) culta erat. Gregorius adventanti ſacro Corpori Pontificia ſupplicatione cum Cardinalibus obviam proceſſit in ſede delatus ad ſcalas uſque Baſilicæ, deindè pedes occurrit, & in media platea ſacrum Theſaurum adoravit. Iterumque poſteà in Baſilica incenſo thure veneratus, illud in loco ad id parato ſuis manibus collocavit. Sacram Aram Cardinalis Sanctæ Severinæ in Dei Matris Virginis, & Sancti Gregorii Nazianzeni honorem, jubente Pontifice, eadem die conſecravit. Cum capſa Nazianzeni Lipſana continente collocata fuit argentea lamina, in qua hæc legebantur:

Pag. 168.

Ciaccon. pag. 10.

,, Anno Sal. MDXXX. III. Idus Junii.

,, Sanctiſſimus Dominus Noſter Gregorius XIII. Pont. Max. anno ſui
,, Pontificatus IX. Beati Gregorii Nazianzeni Epiſcopi, & Confeſſori,
,, cognomento Theologi Corpus, ab Eccleſia Monaſterii Monialium San-
,, ctæ Mariæ Campi Martii de Urbe, ubi poſitum erat antiquitùs, comi-
,, tante proceſſionaliter totius Urbis Clero, cum S. P. Q. R. cæteriſque Ro-
,, manæ Curiæ Ordinibus, incredibili aliundè hominum concurſu, ac fre-
,, quentia, in hunc locum tranſtulit. Ibi etiam appoſitum fuit de reli-
,, quiis Veli Beatæ Mariæ Virginis, de Capite Sancti Joannis Papæ,
,, & Martyris, de Humero ipſius Sancti Gregorii Nazianzeni, de Mento
,, Sancti Hieronymi Presbyteri, & Confeſs. de Capite S. Hippolyti Mart.
,, de Bracchio S. Gregorii PP. I. de Bracchio S. Baſilii Epiſcopi, & Confeſs.
,, Item de ligno Sanctiſſimæ Crucis Domini Noſtri Jeſu Chriſti, de reli-
,, quiis Sancti Bartholomæi Apoſtoli, de Oſſibus Sancti Juſtini Martyris,
,, & Sancti Chriſtophori Martyris, de Reliquiis Sanctæ Luciæ Virg. & Mart.
,, S. Sabinæ Mart. de Capite S. Sebaſtiani Mart. & S. Martinæ Mart.

Turrigius pag. 168.

Circumferebatur etiam tùm ejuſdem Sancti Gregorii epitaphium.

„ D. O. M.

„ Divo Gregorio Cappadoci Rhetorum Philoſophorumque Studiis
„ eruditiſſimo, cognomento Theologo, primo Saſimorum, deindè Na-
„ zianzeno Epiſcopo, Hæreſum expugnatori, Conſtantinopolis Præſidi:
„ qua dignitate depoſita, priſtinaque Sede tandem relicta, ruri Monachi
„ vitam religione, & ſtudio coluit: compluribus ſapientiæ, & eloquentiæ
„ editis monumentis, ſub Theodoſio Principe deceſſit, cujus Corpore hu-
„ mili loco jacente, Romam delato in Campo Martio ſub ſacrarum Virgi-
„ num Græcarum cuſtodia condito, Gregorius XIII. Pont. Max. in ope-
„ roſum Vaticani Templi Sacellum Gregorianum, à ſe ditiſſimè extructum
„ ampliſſima Pop. Rom. omniumque Sacrorum Ordinum ſupplicatione,
„ venerationeque tranſlato, honoris, nominis, & pietatis cauſa, ipſe ho-
„ norificentiſſimè poſuit, dedicavitque Anno Salutis MDLXXX. III. Idus
„ Junii.

Sacellum hoc, quo Gregorius Pontifex ſplendidiſſimè Vaticanum Templum nobilitavit, indicatur in Numiſmate ejuſdem Gregorii, in quo Templi facies apparet cum majori tholo, aliiſque minoribus hinc indè collocatis, adjecta epigraphe SUPRA HANC PETRAM. Circa quod obſervandum eſt, omnes tholos expreſſos fuiſſe non ut ædificatos, ſed ut ædificandos (non enim adhùc erant ſub Gregorio) ſed tantùm ille, quem Sacello, ab eodem Gregorio exornato, Jacobus à Porta impoſuerat, antequam maximus tholus extrueretur. Ejus menſuras, & ichnographiam apponemus, cum de minoribus tholis Baſilicæ agendum erit. Nunc ad Sixti V. geſta perluſtranda ejus invitant Numiſmata.

CAPUT

CAPUT XVIII.

Acta ſub Sixto V. & præſertim de maximi Tholi conſtructione.

PRIMO loco ſeſe illud offert, quod ſimilem faciem præfert, ac aliud Gregorii XIII. à nobis nuper deſcriptum, cum ſimili inſcriptione, SUPRA HANC PETRAM. Quibus adde, *excelſam Sixtum V. Vaticanæ Baſilicæ molem, magnitudinis ſtructuræ admirandæ, nobili faſtigio abſolvi*; ſive mavis dicere: ſupra Divi Petri Oſſa, quem firmiſſimum Eccleſiæ fundamentum Cæleſtis Opifex fecit, Tholum impoſuiſſe, quem, ſi inſpicies, dices cum Bargeo Old. pag. 121.

Ingentes ſi facta decent, ingentia Reges
Te Regum Regem Xiſte quis eſſe neget?

Romanorum enim Pontificum, necnon Cæſarum magnificentiam ſolo quinque ann. ſpatio Sixtus ſuperavit. Vix ille die 12. Aprilis anni 1583. Old. pag. 126.
Cardinalibus 41. ſuffragantibus, Pontifex Maximus renunciatus fuerat, cum ad excelſa quæque animum intendens, animadvertit Baſilicæ Vaticanæ Timpanum à Bonarota abſolutum inſigniorem Tholi ornatum expectare, viſumque illi (inquit Pater Foreſtus noſtræ Societatis eruditus Scriptor) Nel Mappamondo Iſtorico.
pulchrum quidem Corpus, ſed Capite truncatum apparere. Quod opus tanquàm moles operoſior, tùm ob ingentes expenſas, ſummoſque labores perneceſſarios ab aliis Pontificibus fuerat deſperatum. At Sixtus ad res ſanè arduas, ac præclaras producendas natus, illud molitus eſt, Urbe tota admirante, quod tempore anteacto non niſi quinque decies centenis nummorum aureorum millibus, decemque annorum ſpatio erigi poſſe omninò affirmabant.

Aliquot igitur magnæ exiſtimationis Architectos accerſivit, & Provinciam, illo jubente, ſuſcepit Jacobus à Porta, ingenii excellentia præditus, cum quo, ingruente moleſta ſenectute, Eques Dominicus Fontana utilem navavit operam, ejus conſilia nunquàm Jacobo reſpuente, utroque tamen Michaelis Bonarotæ legente veſtigia.

Moles extrui cæpit anno 1588. die 15. Julii hora decima ſexta. Grimaldus in MS.
Sexcenti noctu diuque, Pontifice extimulante, collaborabant Operarii, qui illud intrà duorum ac viginti menſium ſpatium centum millibus aureorum ſingulo quoque anno conſumptis. Anno 1590. die 14. Maii perfecerunt, Mabilon. tom. I. pag. 52.
exceptis laminis plumbeis, quibus Tholus contegitur, & bracteis aureis, quibus coſtæ mirificè ornantur, necnon laterna columnis extructa, pilâ, & Rocca in Append. Biblioth. Vat. pag. 418.
cruce inauratis ſupra Tholum collocatis, quæ omnia ſeptem deindè menſibus confecta ſunt; menſibus autem triginta omnibus numeris cuncta fuerunt abſoluta, non quidem ſub Sixto, ut inferiùs patebit.

Ut autem adeò ſtupendam molem peritus Artifex tutò excitaret, ligneam contignationem, qua ſuſtineretur admirabilem excogitavit. Ejus ichno-

Fig. 22. ichnographiam expoſuit Eques Carolus Fontana pag. 321. ut hic etiam exprimitur, & ut firmiſſima partium compages redderetur, onerique ſufficiens ſubvehendo, ferreis cingulis interiorem Tholum communivit menſe Aprili anno 1591. De his, quæ ad tantam molem fuerunt neceſſaria longum eſt recenſere. Dicam tamen cum eruditiſſimo Præſule Angelo Rocca ex rudentibus 500. librarum millia fuiſſe conſumpta, ad cæmenta, aquam, tigna, & alia id genus ſurſum trahenda, & in duobus Tholi fornicibus connectendis 30. librarum millia ferri inſumpta. Armatura, ut ajunt, interior, quæ in ultima ex tribus Tholi partibus fuit adhibita, conſtabat centum ſupra mille trabibus, inter ſe connexis, quorum centum ità erant craſſæ, ut duo homines amplecti eas non poſſent. Armaturæ verò forinſecæ, ſive fercula, ut ajunt, ſupra quæ operam ſuam exercebant Operarii, fuerunt innumera. Compactio autem armaturæ interioris erat ità ingenioſè facta ut ſupra ſe fundata in aere pendens videretur. Hactenùs Rocca.

Baldinuccius in vita Bernini pag. 94.


Ibidem.

Ut autem ejus ambitus flexuras meliùs ſtabilirent ortographiam inſculpſere in pavimento Baſilicæ Sancti Pauli in via Oſtienſi, eo quod nullus ad opus adeò vaſtum opportunior locus inveniretur. Eam Eques Fontana affirmat magna ſedulitate exploratam, & cum ipſa mole ſubſtructa collatam, *ab ipſa nullatenùs evagari ſe comperiſſe*. Ejuſdem ichnographiam nos expreſſimus in duplici Tabula, & primò, ut vidimus in Tabula 21. litteris A B C D indicanrur magnæ paraſtatæ. Littera E ſpatia, quæ magni arcus paraſtatis impoſiti occupant, ad totam molem ſubſtinendam ſubſtructi. Corona deindè ſuperimpoſita veluti fundamentum timpani adumbrat, in quo ſexdecim patent feneſtræ, totidemque interjacent muri, intus paraſtatis ornati, extrà verò columnis. In Tabula autem 23. ejuſdem ichnographia diſtinctiùs exprimitur; ejus enim quatuor veluti contignationes inſpiciuntur, in quibus partes ſingulas paulatim aſcendendo, poteſt oculus deprehendere. C indicat paraſtatas. D arcus maximos, ſupra quos timpani moles aſſurgit. E ſcalas è diametro ſibi reſpondentes, ſupra paraſtatas collocatas, per quas ad primam baſim datur aſcenſus. Illa eſt in octo latera, totidemque angulos diviſa, præbetque veluti plateam, in qua Tholi timpanum collocatur. FF ſunt aditus ad aliam baſim, ſeu ſoleam eidem timpano ſuppoſitam, & duplici pariete conflatam, inter quos ambulacrum G. K verò demonſtrat tranſitum interiorem, & exteriorem ad planitiem ejuſdem ſoleæ. I ſcalas, quæ ad ſtylobatæ planitiem exteriorem L progrediuntur. MM alæ ſunt, ſeu eriſmæ columnarum cum columnis duplicatis, ſub quibus patet tranſitus N. O indicat ſcalam choclydem, per quam aſcenſus datur ad coronam columnis impoſitam. P feneſtras inter columnas, per quas lumen magnum timpanum irradiat. QQ demonſtrat eriſmatum, ſive columnarum apicem, quibus capitula, & corona ſunt impoſita. R ſcalam circularem, quæ inter binos fornices, quibus Tholus componitur, progreditur uſque ad alias ſcalas rectas S inter parietes T, arcuatos fornices colligantes. V ſulcos effingit, qui partem Tholi exteriorem protuberantes ſimùl ornant, & muniunt. Inter eos feneſtræ patent, per quas ſpatium fornicibus interjacens illuminatur, ità bellè extructæ, ut imbres ſimul reſpuant parietibus noxios. X hypetrum manifeſtat cum ferreis cancellis, ſupra quod laterna Tholi conſurgit, de-

Libr. 5. cap. 16.

Fig. 23.


qua



Auctor del. et sculp.

TABVLA 23.

EIVSDEM THOLI CONTIGNATIONES DIVERSA ICHNOGRAPHIA INDICATÆ



Auctor del. et sculp.

qua inferiùs agendum eſt. Ad hiſtoriam redeamus.

Jàm dies advenerat, quo ultimus Tholo lapis imponendus erat: hunc Sixtus ſacris benedictionibus, ac precibus juſſit primùm expiari, qua de cauſa in Altare antè ſepulchrum Principis Apoſtolorum erecto, Epiſcopale ſacrum coram univerſo Clero celebratum eſt, deindè lapis in ſuo loculamento collocatus, bellico interim ære lætitiæ ſigna ignitis vocibus efformante. *Itaque Sixtus hujus Tholi ſtructurâ* (ait Laurentius Scharderus) Lib.11. *vicit Epheſinum illud Templum, unum in ſeptem Orbis miraculis ab Heroſtrato incenſum, ut hoc flagitio nomen ad Poſteros, obſcurum alioqui tranſmitteret.*

Placet hìc addere encomium, quo Sixtum celebravit inſignis ejus ætatis Scriptor, qui carmina appoſuit ſub eodem Tholo, in Bibliotheca Vaticana coloribus expreſſo, videlicet:

Pontifices olim quem fundavere priores,
Præcipuè Sixtus perficit arte Tholum,
Et tantùm Sixti ſe gloria tollit in altum,
Quantum ſe Sixti nobile tollit opus.
Magnus honos magni fundamina ponere Templi,
Sed finem cæptis addere, major honos.

Deerat tamen faſtigium (Laternam illud vocant) quod certè Sixtus addidiſſet, niſi morte peremptus menſe Auguſti ejuſdem anni 1590. non tantùm Urbi, ſed Orbi, quem vaſta mente, & cogitationibus excelſis fovebat, cum ingenti omnium mærore non defuiſſet.

CAPUT XIX.

Acta ſub Urbano VII. Gregorio XIV. Innocentio IX. & Clemente VIII.

SPATIO deindè biennii tres Pontifices, nempè Urbanus VII. Gregorius XIV. & Innocentius IX. Petri Sedem occuparunt, ſed temporis anguſtiis, & curarum ſegete, quibus fuerunt diſtracti Sixti opus abſolvere non potuerunt. Juſſerat tamen Urbanus illud perfici, & plumbeis laminis circumveſtiri, cum inchoato vix Pontificatu Donat. in deceſſit Vir Summus, antequàm Maximus diceretur. Gregorii XIV. tem- Rom. vet. pora fabricis caruerunt, quippè morboſa fames ademit poteſtatem fabricandi. At Clemens deindè VIII. Innocentio IX. ad Superos evocato eas laminas impoſuit, ſeptemque eriſmata ad orientem collocata æneis bracteis inauratis circumtexit, labore Horatii Cenſoris Romani Artis fuſoriæ periti, quibus poſtmodum ad alios Templi uſus adhibitis, conſimilia plumbea ſuffecere. Idem Pontifex, poſtquàm adeò mirificam molem ab imbribus, glaciæque plumbo, & metallo tutavit, laternam eidem impoſuit, quàm (inquit

Eques

Lib. 5. c. 17. Eques Fontana) *Jacobus Barocius Opifex peritiſſimus affabre omninò excitavit, uti ab eodem elaboratæ, & coronicem ambientes apertiùs manifeſtant celaturæ*. Sed bona tanti Auctoris veniâ hoc mihi ſuadere non poſſum: Pag. 8. Jacobus enim Barocius, referente Baleono in ejus vita, ut ſupra adnotavimus, ſub Gregorio XIII. die 7. Julii anno 1573. animam efflavit, annum agens 66. fuitque ſepultus in magnifico Divæ Mariæ Templo, quod à rotunditate nomen habet, Tholum autem impoſuit Baſilicæ ſub Sixto V. annis videlicet 18. elapſis, ut vidimus Jacobus à Porta Barozzii diſcipulus, & ſub Clemente VIII. laternam à Bonarota delineatam, aliquibus tamen partibus variatis, extruxit. Eam in Tabula ſequenti 24. expreſſimus, qualem Fig. 24. Martinus Ferraboſco delineavit.

In vertice igitur Tholi, ubi bini fornices laxamentum præbent duplicis parietis, extat corona in plano orizontali circumducta, qua ipſi Tholi parietes arcuati terminantur. Hæ duæ lapideæ coronæ muro conjunguntur ad libellam extructo, in quo ſexdecim patent feneſtræ. In circulo ſuperiori amplum ſpatium dilatatur, in quo laterna exurgit, ſexdecim alias feneſtras in gyrum diſpoſitas oſtentans, ad fanum illuminandum, & ad ambulationem commodum jacet ſubdiale, ferreis cancellis munitum. Pteromata ſexdecim alarum ſpecie aſſurgunt jonicis inſignita columnis, totidem ſubjectis aliis minoribus fulcimentis, mutilorum inſtar inflexis. Singulis intercolumniis inſunt januæ, quæ præter hypetram, ambulationem præbent commodiorem. Columnis imponitur Epiſtylium, Zophorus, & Coronix, ubi naſcitur laternæ teſtudo, quæ in perfectum circulum incurvatur. Illam Anteridum inſtar Mutili ſexdecim fulciunt inflexi, & ſingulis candelabra impoſita pulchram coronam efformant. Inter hæc pyramis attollitur rotunda, & vacua cum coſtis extrinſecus eminentibus, & obliquatis. In vertice foramen, per quod in pilam æneam auro oblitam patet ingreſſus. Huic imponitur Crux deaurata, cujus altitudo 25. palmis comprehenditur; utramque ex ære conflavit Sebaſtianus Torriſanus patria Bononienſis in Arte fuſoria Balleon. pag. 324. peritiſſimus.

Adeamus jàm Tabulam 24. quæ partem exhibet exteriorem Tholi à Fig. 24. Jacobo à Porta ædificati, prototypo quidem, ut diximus, ſimilis, quem Bonarota delineavit, at aliquibus partibus parum variatis ad venuſtiorem apparentiam, & teſtudinis flexura aliquantulum altiùs elevata, ut elegantior ejus facies redderetur.


Omnes univerſæ ſtructuræ menſuras, tùm ornatus ſingula membra deſcribam ex relationibus Auctorum, & primo ex Vaſaro, qui tom. 3. pag. 181. affirmat diametrum tympani, cui Tholus imponitur, palmos explere 186. Tympani verò craſſitiem palmos 34. Circulum exteriorem palmos 806.

Secundo loco affero relationem, quam Angelus Rocca in ſua Appendice ad Biblioth. Vatic. poſuit, ubi ſic loquitur [Tholus à ſuo pavimento
„ ad faſtigium uſque laternæ initium 500. palmis Romanis conſtat, lati-
„ tudine verò diametrali 200. ſubſtentatur quatuor paraſtatis, quæ pilæ
„ vocantur, quarum ſingulæ facies latæ ſunt 80. palmorum in ſingulis fa-
„ ciebus, ſupra pilas quatuor fornices ſunt, quorum quilibet centum pal-

mos

TABVLA 24.


LATERNA MAGNO THOLO
TEMPLI VATICANI
IMPOSITA



Hieronymus Frezza incidit

TABVLA 25.

SCENOGRAPHIA THOLI VATICANI TVM INTERIORIS TVM EXTERIORIS



Hieronymus Frezza incidit

„ mos habet vacuitatis. Supra Tholi faſtigium, quod oculus dicitur,
„ 32. columnæ ſupra baſes locatæ ſunt, quarum ſingulæ 20. palmis con-
„ ſtant, ſupra illas alterius Tholi forma erigitur, quam Laternam vulgò
„ vocant. Supra Laternam locatur pila inaurata, cujus diameter eſt 12.
„ palmorum. A pavimento autem Laternæ ad cacumen uſque pilæ eſt
„ altitudo palmorum 100., ſupra pilam eſt Crux altitudinis palmo-
„ rum 25.

A quatuor feneſtrarum ordinibus Tholus excipit lumen, quarum quiſque ſexdecim feneſtris conſtat, præbetque lucem ambulacris, quæ totum Tholum circumeunt intrà duos fornices, ubi ſcalæ, per quas inter unam, atque alteram Tholi coſtam ad ejus culmen aſcenditur. Supra primum feneſtrarum ordinem ſaxis Tyburtinis conſtructum, incumbit moles arcuata, quæ in parte exteriori laminis plumbeis contegitur, in interiori verò opere muſivo exornatur &c. Huc uſque Angelus Rocca.

Similem relationem fecit eruditiſſimus Abbas Mabillon ſcribens: Tota moles quatuor Paraſtatis fulcita à pavimento ad laternam quingentis palmis Romanis conſtat, latitudine verò diametrali 200. à laterna ad cacumen uſque pilæ, ſeu globi, cui Crux infixa eſt, palmis centum. Pila ipſa ex ære inaurato in diametro habet duodecim palmos, denique Crux ſupereminens ænea item, & aurata, palmos quinque ac viginti. Tota quanta quanta eſt fabricæ ad globum uſque altitudo pedum 372. Tom. 1. pag. 52.

Ex Tabulis verò Martini Ferraboſchi eas menſuras deprehendimus eſſe, quas in Tabula appoſiti numeri indicant.

Eques autem Fontana has recenſet, videlicet: Maximum Hemiſpherii laxamentum eſſe palm. 190. $\frac{3}{4}$. Lib. 5. c. 20. & 26.

Timpani murum, in quo ambulacrum pro ſcalis, amplitudinem ſibi vindicare palm. 38. $\frac{1}{4}$. Ejuſdem ambitum exteriorem pal. 836. Planitiem Laternæ à Coronide, ubi Timpanum Tholi naſcitur, diſtare pal. 215. $\frac{1}{2}$.

Ab eâdem Coronidis planitie ad Crucis uſque cacumen palm. 140. Hoc demùm diſtare ab ima Templi planitie palm. 593.

Verùm, quia hæc ratio menſuras omnes recenſendi tædio eſt, & labori, ſatiùs erit Tabulas contemplari, in quibus Tholo, & Laternæ appoſiti numeri clariſſimè illas indigitant, prout recenſuit ſupradictus Eques Fontana Templi Vaticani Miniſter, atque Architectus, affirmans omnia ſe ſuiſmet manibus fuiſſe dimenſum.


Menſuris Tholi perluſtratis numerorum beneficio, non inutile erit aliquarum partium menſuras ab aliis Auctoribus relatas in ſequenti Tabula recenſere, ut diſcrepantia inter eos conferatur, de cujus cauſa nihil certi poſſum affirmare.

	Ex Vaſaro.	Rocca.	Ferraboſco.	Fontana.
Timpani diameter pal.	186.	200.	—	190. $\frac{2}{3}$.
Laternæ	—	—	—	32.
Magnæ Coronæ latitudo	34.	—	—	38. $\frac{1}{4}$.
Altitudo à pavimento Baſilicæ uſque ad Crucis apicem	—	625.	—	593.
A Pavimento ad Laternam	—	500.	—	453.
A Coronide, cui Timpanum incumbit ad Laternam	—	—	—	215. $\frac{1}{2}$.
Globi ærei diameter	—	12.	11.	12.
A Laterna ad Pilæ verticem		100.	—	140.
Crucis altitudo	—	25.	15.	15.
Exterior Timpani peripheria	806.	—	—	

Scenographicæ deſcriptioni in Tabula ſuperiori expoſitæ, placet Ichnographicam adnectere ejuſdem Laternæ, quam Martinus Ferraboſcus in ſuis Tabulis noſtræ narrationi ſuppeditavit. *Fig. 26.*

Laternâ ſic abſoluta, & Tholo circumtecto, facies ejus interior ſexdecim, ut diximus, coſtis erat interdiſtincta; ſed lateritia, rudiſque aſperitas omnibus in partibus apparebat. Quamobrem muſivo opere totam exornari juſſit magnanimus Pontifex Clemens VIII. atque in primis in laternæ fornice Patris Aeterni effigiem exprimi ab Equite Joſepho Arpinate: In laternæ Zophoro characteres in gyrum diſpoſitos efformari, quibus Sixtus V. deceſſor ſuus ejus operis Auctor diceretur, videlicet: S. PETRI GLORIAE SIXTUS PP. V. A. M DX C. PONTIF. V. Sub ejuſdem Epiſtylio, ubi arcuatus Tholi paries deſinit, Cherubim facies inter binas alas plaſtico opere fuerunt compactæ: picturis deindè muſivo opere expreſſis, & inter coſtas collocatis totum Tholi fornicem tali ordine exornavit. Primò Angeli repræſentantur verſicolori habitu induti. Secundò aliorum Cherubinorum capita ſenis alis circumdata. Tertiò Angeli varia inſtrumenta in manibus habentes, quæ in patibulati Numinis paſſione Hæbræorum adhibuit inſania. Quartò Redemptor ipſe, Deipara, S. Joannes Baptiſta, & Apoſtolorum Chorus. Quintò Pontifices varii, ac Sanctiſſimi Eccleſiæ Antiſtites, quorum ſacra Corpora in Baſilica Vaticana requieſcunt. In coſtis aurea ſydera in campo cyaneo micant, ſub quibus Leonum capita gentilitium Sixti ſtemma indicantia. In ampla Zona Tholo ſubjecta nigerrimis, maximiſque characteribus compoſita in campo aureo hæc verba leguntur: TU ES PETRUS, ET SUPER HANC PETRAM AEDIFICABO ECCLESIAM MEAM, ET TIBI DABO CLAVES REGNI CAELORUM; quos characteres efformavit ſub Clemente VIII. Bonaventura Saraſellinus. Triangularibus demùm ſpatiis, quæ Tholum inter, & majores arcus ſubjectos læviter inflectuntur, quatuor inſunt Evangeliſtæ, octo pueris adjectis, à quibus palmæ, floreſque, ludibundo geſtu pertractantur. Balleonus pag. 290.

ICHNOGRAPHIA LATERNÆ MAGNO THOLO IMPOSITÆ



ctantur. Hos delineavit Chriſtophorus Roncallus. Ex Evangeliſtis binos, videlicet Sanctum Joannem, & Sanctum Lucam, Joannes de Vecchiis è Burgo Sancti Sepulchri. Alios Sanctum Marcum, & Sanctum Matthæum Cœſar Nebbia Urbevetanus. Cæterarum verò figurarum picturas Chriſtophoro Roncallo primùm commiſſas à Curatoribus Fabricæ, ipſius Clementis juſſu Eques Cœſar Arpinas perfecit; quas deindè muſivo opere collato ſtudio efformarunt Angelus Sabatinus Urbevetanus, Ambroſius Gioſius Florentinus, Ginnaſius Vitalis Maſſenſis, Petrus Lambertus Cortonâ oriundus, Matthæus Crucianus Maceratenſis, Joannes Baptiſta Cataneus è Podio Catino, & Cinthius Bernaſconus Romanus. Evangeliſtarum verò imagines quaternis arcubus comprehenſas Marcellus Provenzalis, Paulus Roſſettus, & Franciſcus Zucchius, quibus addidit Philippus Titi in ſuo picturæ ſtudio Cœſarem Torellùm.

Idem pag. 128.

Idem pag. 117.

Idem pag. 8.

Fontana lib. 5. c. 32.

His ornamentis inſignem Tholi fabricam præclariſſimè perfecit Clemens circa annum 1603. Sacellum inſuper alterum, quod Clementinum dicitur, Gregoriano Sacello oppoſitum, non minori magnificentia condidit, eodem Jacobo à Porta opus totum Architectante, fornicesque in multiplices areolas eleganter diſtinctas plaſticis floribus, foliiſque aureis bracteis circumtectis mirificè decoravit, ſub quibus pavimentum variegato marmore ſtravit diviſioni fornicis omninò reſpondente.

Balleonus pag. 81.

Plura peragendi animus Clementi inerat, at in morte penitùs defecit anno 1605. eoque è vivis erepto, eodem anno Divino Spiritu afflante, Leonem XI. multorum votis expetitum, ad Apoſtolicæ Sedis apicem Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Purpurati provexerunt; ſed exaruit vix nata Roſa, nàm ex hominum oculis ablatus Leo eſt, nihilque ſua mente dignum in Vaticanæ Baſilicæ fabricâ peregit.

Ciacc. 368.

CAPUT XX.

Acta ſub Paulo V.

POST Leonis obitum idem Purpuratorum Cœtus Pontificem declaravit Cardinalem Burgheſium, qui dictus eſt Paulus hujus nominis V. A cultu Divino Pontificatum auſpicatus Paulus, Baſilicam Principis Apoſtolorum toto Orbe venerandam, in votis habuit perfectam aſpicere. Quippè adhùc pars deerat, à Michaele Angelo Bonarota delineata, ut vidimus in Tab. 17. & 18. quæ crucis figuram perfectè exprimeret, cum porticu inſuper columnis exornata juxtà veterem morem, quo Baſilicam excitabant [Cum autem tot annorum ſpatio poſt ædificationem Conſtantini parietes ipſi vetuſta carie conſumpti ruinam minitarentur, quia ad meridiem fundata erat Baſilica (inquit Grimaldus) ſupra tres magnos parietes Circi Caii, & Neronis, non valentes tecti, & columnarum pondus ſuſtinere; & addendum, parietes ipſos Circi fundatos ſupra terram motam, non ſupra veram, & ſolidam argillam, & quia Circi

Ciacc. 375.

„ Architectus hoc fortaſsè animadverterat, in imo fundamentorum tabulas „ caſtaneas poſuit, ad majorem ſtabilitatem, at ſufficiebant fundamenta „ ipſa ad Circi fabricam, non autem ad ingentem Baſilicam erigendam. „ & columnarum pondus ſubſtinendum, quàm multò antè lapſuram fuiſſe „ affirmare non verentur earum rerum Periti, niſi tignis ingentibus con- „ nexi parietes diutiſſimè conſtitiſſent, & latera illius magnarum Aedium „ lateribus tanquàm munimentis firmiſſimis hæſiſſent.

Leo Bapt. Albertus lib. I. c. 10.

Confirmat Grimaldi relationem Ferdinandus Carolus in ſuis fragmentis MS. ubi ſcripſit [Fundamenta Baſilicæ nulla certa lege ſunt à Conditore locata, ſolùm ipſum non exploratum, non directæ, non complanatæ foſſæ, & quod maximè vetitum ædificaturis, ſemirutis Circi Gajani muris impoſiti parietes, nequaquàm tentata profunditate fundamentorum, quæ ſingula, incredibile dictu eſt, quantopere obfuerint æternitati Baſilicæ. Circus enim in infimo fundamento, ſoloque minimè fido erectus, Baſilicæ paries Circi lateribus partim ſuperſtructus, partim ſolidiore fundamento à Conſtantino in profundiorem altitudinem ritè demiſſo creditus &c. membrorum imbecillitate in interitum pronior. Columnarum quoque diſpoſiti ordines interſtitiis cum epiſtyliis, quibus innixi parietes in arduam ſummitatem ad ferendum tecti pondus ſuſpenſi cernebantur, & adversùs ventorum impetus viderentur in ruinam elati, laterum fragminibus, & marmorum fruſtulis ruderibuſque, ut ſors obtulerat, haud rectè, ſcitèque coagmentatis]. Hactenùs dictus Auctor.

Pag. 194.

Ferdin. Carolus de Templ. Vatic. cap. 11.

Quamobrem de reliqua Baſilica evertenda conſilium ex neceſſitate ſumptum; ea de re in Quirinali Apoſtolico Senatu, die 27. Septembris anni 1605. agitatum, qua tempeſtate de parmenſis turris celeberrimæ præcipitio rumor percrebuerat; multaque in Vaticana Baſilica eveniſſe ferebantur, quæ haud abſimilem caſum minitarentur. Qua potiſſimùm cogitatione permotum accepimus Paulum V. Pont. Max. tandem tota de re magno animo ſibi ſtatuendum decreviſſe. Cum præcipuè excelſi illi parietes, quibus tectum Baſilicæ gremio imminens incumberet, magnis columnis, utrinque ſuffulti, obductis undique rimis ingentibus hiarent, atque in enormi extrà centrum inclinatione quinque palmorum, præcipites agerentur, tectumque ipſum corruptis longo ævo abiegnis trabibus miræ longitudinis, & craſſitiei, quibus fulciebatur, jàm dehiſceret: quæ magnorum artificum ſcriptis probata in Sacro Senatu ſunt expoſita. Senatum namque coegerat Pontifex in Quirinali, Patrum ſententias in re tanta exploraturus, nec quicquam illis inconſultis, aut abnuentibus, decreturus. Quo in Senatu retulit etiam verbis graviſſimis Evangeliſta Pallottus, ejuſdem Baſilicæ Archipresbyter Cardinalis diebus paulò antè præteritis ex inæquali valdè inclinati parietis pondere, marmoreum magnum ſtipitem feneſtræ celſiſſimæ diſruptum in Altare dicatum Deiparenti Virgini, cognomento à Columna, cui imminebat, delapſum, dùm ibidem Sacerdos in magna Fidelium frequentia ſacris operaretur, & in tria fruſta confractum diſſiluiſſe in terram, nemine læſo, aut percuſſo, univerſis autem ex ingenti fragore magno metu perculſis, ſingularique Dei Genitricis benignitate nos innoxio pavore conſternatos admonitos eſſe, ut fugiamus à facie arcus, antequàm ſegnes totius molis jàm

Idem ibid.

ruentis

ruentis opprimat caſus. Itum itaque in Pontificis ſententiam frequentibus Patribus, conſcriptumque de novo Templo perficiendo Senatus Conſultum.

Sed antequàm vetus, quæ adhùc extabat Baſilica, humo æquaretur. Prudentiſſimus Pontifex decreto numquàm ſatis laudando, eam juſſit accurato calamo delineari in paginis, ex quibus deindè in Cryptis Vaticanis, ab ipſo exornatis, coloribus fuit expreſſa. Talia delineamenta vidi in Archivo ejuſdem Baſilicæ, favente ejus Præfecto Illuſtriſs. Præſule de Caſaliis Advocato Conſiſtoriali, ac ejuſdem Baſilicæ Canonico meritiſſimo. Illa ex eodem Archivo ſe deſumpſiſſe ſcribit Illuſtriſs. Ciampinus, permittente Eminentiſs. & Reverendiſs. D. Carolo Cardinali Barberino ejuſdem Baſilicæ Archipresbytero, cum cæteris Tabulis, in quibus expoſuit Altaria numero ſexdecim. Suntque illa, quæ Pompejus Ugonius Statione 2. numeravit anno 1588. incipiendo à janua mediana, & ad dexteram proſequendo, quorum aliqua ex diruta jàm Baſilicæ parte fuerant tranſlata ſub Julio II. Cap. 4. pag. 31.

Supererat enim adhùc Baſilicæ pars orientem verſus collocata, à recenti diviſa pariete, quem Paulus III. à fundamentis ad tectum uſque perduxit, poſt undecimam columnam in majori navi collocatam, efficiebanturque veluti duo Templa, quorum alterum Conſtantinianam pietatem, alterum verò venuſtiorem Pontificum majeſtatem præſeferebant. Illa curioſus Lector inveniet expreſſa percurrendo Opus De Sacris Aedificiis Illuſtriſſimi Ciampini, videlicet in Tabula 19. littera H. Altare Sanctæ Annæ. In Tabula 19. littera I. & Tabula 21. littera A. Sancti Eraſmi, anteà S. Venciſlao dicatum. In Tabula 21. littera D. Sanctæ Veronicæ. In Tabula 17. littera G. & Tabula 18. littera F. Beatæ Virginis, ubi ſacra Lancea ſervabatur. In Tabula 17. littera C. Sancti Marci. In Tabula 15. littera P. Sanctæ Luciæ. In Tabula 16. littera C. SS. Proceſſi, & Martiniani. In Tabula 15. litt. G. Sanctæ Mariæ de Prægnantibus. In Tabula 15. litt. F. & Tabula 16. litt. A. Altare dictum ad Crucifixos. In Tabula 22. Beatæ Virginis, SS. Franciſci, & Antonii. In Tabula 22. littera G. Altare Sancti Thomæ. In Tabula 20. littera A. Sancti Andreæ. In Tabula 19. littera O. Sancti Petri, & Pauli, littera F. Sanctæ Mariæ ad columnam. In Tabula 19. litt. M. & Tabula 20. littera C. Sancti Bonifacii. Demùm in Tabula 18. littera C. & Tabula 19. littera L. Altare Mortuorum.

Ultrà hæc Altaria, affirmat Ugonius, tunc temporis extitiſſe Altare Sanctis Apoſtolis Simoni, & Judæ dicatum, ubi Divina Euchariſtia ſervabatur.

Hanc veteris Baſilicæ demolitionem Poſterorum memoriæ tradidit Jacobus Grimaldus in Codice, qui ſervatur in Archivo ſub numero 13. & littera G. cum ſequenti titulo: *Inſtrumenta authentica tranſlationum Sanctorum Corporum, & Sanctarum Reliquiarum è veteri in novam Principis Apoſtolorum almam Baſilicam*. In eo autem hæc ſcripſit:

» Die 21. Februarii 1606.

» Fabricatores, binis trabibus contignationis, ſeu incaballaturæ tecti » majoris navis, die Lunæ 20. præcedenti hora 23. ſublatis, ſequenti die

Martis

„ Martis 21. hora 19. trabem longam integram abiegnam palmorum 133.
„ quæ prima eſt ſtatim ingrediendo Baſilicam, in terram demiſerunt. Et ſic
„ memorabili quodam eventu factum eſt, ut anniverſario obitus Julii II.
„ ſub quo altera Baſilicæ pars ſolo æquata, fuit ſæculo recurrente ſub Pau-
„ lo V. Pont. Max. qui ſupremam tantæ moli manum imponere aggreſſus
„ eſt, alteri ſuperſtiti à tignorum demiſſione ſit incœptum, ſuper quibus
„ &c.

„ Actum in dicta Baſilica, præſentibus RR. DD. Alexandro Scotto
„ Narnienſe, & Paride Pallotto à Caldarola Canonicis dictæ Baſilicæ te-
„ ſtibus &c. rogatis.

„ Ego Jacobus Grimaldus Notarius publicus de præmiſſis rogatus, in
„ fidem manu propria ſcripſi, ſubſcripſi, & ſignavi.


Lib. 2. c. 11. Refert Eques Carolus Fontana ejus Baſilicæ Canterios tàm affabrè elaboratos perſtitiſſe, adeòque firmum fuiſſe ejuſdem tecti fulcimentum, ut illos mirandis in Urbe Farneſiorum Aedibus adhibuerint obtegendis.

Pag. 119. De hac fabrica ſcribens Grimaldus ait:

„ Ut autem hæc inſignis ædificatio perficeretur, accerſiti ſunt Archi-
„ tecti præſtantiores Flaminius Pontius, Joannes Fontana, Carolus Ma-
„ dernus, Hieronymus Rainaldus, Nicolaus Branconius, Octavius Tur-
„ rianus, extrà Urbem verò Dominicus Fontana Neapoli, Joannes An-
„ tonius Doſia, & Ludovicus Cigolius Florentiæ degentes, & alii nonnulli,
„ qui omnes typos ſuos, plantaſque delineatas ſecundùm cujuſque inven-
„ tionem, & judicium Sanctiſſimo Domino Noſtro Paulo V. exhibuerunt.
„ Inter quos electus fuit idem Carolus Madernus, qui juxtà typum, & plan-
„ tam à ſe factam, Templum perficeret, & ut defectus, ſi qui eſſent, meliùs
„ agnoſci poſſent, typus ligneus ſumptuoſo opere à Joſepho Blanco Nar-
„ nienſe Fabrolignario, Summi Pontificis juſſu factus fuit. Cunctis igitur
„ maturè perpenſis die 5. Novembris 1607. Cæmentarii initium dederunt
„ fundandi faciem Templi, cum magnifica porticu, primumque funda-
„ mentum cæptum eſt in dicta facie à parte dextera ad meridiem. Sanctiſ-
„ ſimus Dominus Noſter ſtatuit, ut in fundamento lapis à ſe ritu ſacro be-
„ nedictus collocaretur ad æternam Divini Numinis gloriam, & Apoſto-
„ lorum Principis honorem. Anno igitur 1608. Dominica Sexageſimæ
„ die 10. Februarii Rever. D. Jacobus Antonius Nomachius Oeconomus
„ Fabricæ Sancti Petri, cum Coſmo Ghetto Supraſtante, detulit lapidem
„ marmoreum immittendum in fundamentum ad Sanctiſſimum Dominum
„ Noſtrum Paulum V. qui in Cappella Palatii Montis Quirinalis, poſt cele-
„ bratam ab ſe Miſſam ipſum lapidem benedixit. (hìc Grimaldus recenſet
„ ſacras Preces dictas à Pontifice cum benediceret) Lapis deindè ad Baſi-
„ licam delatus fuit, quem horâ 22. Illuſtriſſimus, & Reverendiſs. Frater
„ Angelus Rocca Pontificii Sacrarii Præfectus, & RR. DD. Tyberio Ric-
„ ciardello, Germanico Fidele, Angelo Damaſceno, Paride Pallotto, &
„ Ugone Ubaldino Canonicis præſentibus, demiſit in dictum fundamentum
„ profundum palmis 67. latum palmos 48. quod Cæmentarii calce, &

laterибus

ICHNOGRAPHIA TEMPLI A BONAROTA DELINEATI CVM ADDITAMENTO INCŒPTO SVB PAVLO V.



Auctor del. et sculp.

„ lateribus operuerunt, pulſatis in lætitiæ ſignum campanis Eccleſiæ. Lapis
„ longus erat palm. 2. latus palm. 1. cum tribus quartis, cum gentilitiis
„ inſigniis S. D. N. ſculptus, & inſcriptione: PAULUS V. PONTIF.
„ MAX. ANTERIOREM HANC TEMPLI FACIEM FUNDAVIT
„ MDCVIII. DOMINICA SEXAGESIMAE X. FEBR. SUI PON-
„ TIFICATUS III.] Et alibi idem Grimaldus loquens de eadem fabricâ
„ hæc habet [Anno 1607. die 8. Martii hora 17. fundamenta effodi cœp-
„ ta è regione oſtii ducentis in Sacellum Gregorianum in navi olim San-
„ ctiſſimi Sudarii. Et die Lunæ 7. Maii hora 11. immiſſio lapidis in fun-
„ damenta pro ædificando Sacrario (nunc eſt Sacellum Sanctiſs. Sacramenti)
„ per eumdem Cardinalem (intellige Pallotam) fundamenta Baſilicæ effoſſa
„ palm. 60. Hoc fundamentum eſt illud, ſuper quo erectus eſt arcus nixus
„ quatuor columnis Tyburtinis, juxtà Sacrarium ingreſſus dextrâ.

INSCRIPTIO FUNDAMENTI.

Pauli V. Pont. Max. juſſu.

Evangeliſta Pallotus Tit. S. Laurentii in Lucina Cardin. Cuſentinus hujus Baſilicæ Archipresbyter hæc fundamenta jecit die 7. Maii 1607. Pontific. ejuſdem S. D. N. anno ſecundo. Lapis à Pontifice in Quirinali benedicto, à Pallotta in fundamenta demiſſus, cum Numiſmatis æreis, argenteis, aureiſque.

Jamque ab humo extare paries cœperat, & compoſitis Stereomatis Antarum Baſes locabantur, & quadripartitum Templum ex præſcripto Michaelis Angeli paribus modulis, anguliſque finiebant, ſed ab ejus fronte ædes altera, quam ille non juſſerat, longè minor condebatur. Ex ea majorem in Baſilicam per arcuatum parietis tranſitum patebat ingreſſus. Minorem hanc ædem porticus exterior excipiebat. Extat in Archivo Vaticanæ Baſilicæ Tabula ichnographica, & in officinâ Baſilicæ proxima typus ligneus, in quibus hujuſmodi Templi additamentum oſtenditur, ſicuti præbet ſimilis Tab. 27. hìc expoſita, in qua ternæ hinc indè indicantur cellæ, quarum prima littera A notata Sacrarium pro Canonicis, Beneficiatis, & Clericis continebat, B Sacellum Sanctiſſimæ Euchariſtiæ, C Sacellum Fontis Baptiſmatis, D Sacellum pro Pœnitentiariis, Odæum prætereà E, contra Sacellum F ejuſdem magnitudinis, & magnificentiæ. Hunc locum Secretarium deſtinaverant; verùm poſteà ſuſpenſa deliberatione manendum in vetuſto Sacrario, nec facilè ex eo diſcedendum cenſuerunt. Secunda enim, & meliora conſilia, cum hæc agerentur, intervenere, ob quæ quatuor præſertim in Patrum Cœtu accuratè diſcuſſa, talem ædificationem interturbarunt. Unum, quòd ſpatium quadratæ Baſilicæ per ſe ampliſſimum, exiguum tamen cenſebatur capiendæ multitudini, quæ confluit ad inaugurationem novi Pontificis, declarationes Sanctorum, & ſolemnis Jubilæi expiationes. Quo ſanè tempore tanta laxitas ſuis arctata finibus exundantem populum vix capit, quæ videtur poſſe capere gentes Terrarum. Alterum, quòd ad obeundam Pſalmodiam,

Fig. 27.

Donatus lib.4.

diam, vel Secretario ad ſacram ſupellectilem conſervandam in Templo maximo locus non erat. Tertium, quòd diruta porticu, in qua Romani Pontifices triplici diademate coronari ſolerent, & acclamanti Civitati ſalutari crucis ſigno deſignare ſalutem, neceſsè erat alteram tantis parare cæremoniis. Quippè à porticu Michaelis Angeli, id haberi non poſſet, quæ faſtigio columnis impoſito ſuperſtrui ſecundam non ſinebat, ſicuti cernitur in Tab. 19. orthographica ejuſdem poſita in pag. 86. Poſtremùm, quòd recentem Baſilicam ambitum Conſtantinianæ veteris univerſum complecti volebant, à Sancto Silveſtro Pontifice conſecratum. Quamobrem cum Templi veſtibulum jàm conderetur capax ſuperioris porticus, placuit Pontifici, & Patribus inchoatæ ſtructuræ, ſublato interjectu, Baſilicam produci, atque in eam ſpatium transferri, quod minor ædes complectebatur. Ità medium Templi corpus tranſverſa bracchia, crucis inſtar, quod priſcis Baſilicis uſitatum, longitudine exceſſit.

Fig. 28. Quamobrem aliam ichnographiam Madernus exhibuit, in noſtra Tabula hìc expreſſam, ſupra quam additamentum Pauli V. omnium ſemper oculi admirabuntur. Opus profectò, quod noſtro ævo invideant ſæcula mox ſequutura. Ardua Templi frons ſtetit ad 18. Julii anni 1612. inclinato ad veſperam die, magnus verò fornix, magni ſinus, ejuſdem ad 10. Kalen. Auguſti, ambulationis verò, quam porticum dicunt, pridiè idus Decembris anno 1614. contextus, atque perfectus, ſonoro, & læto æris campani pulſu, tormentiſque majoribus æneis, undique flamma, feſtoque tonitru Cælum, ac terras exhilarantibus.

Ferd. Carolus cap. 2.


Nullam prorsùs in ea pavimenti partem, quæ veteri Baſilicæ inſerviebat, in prophanæ uſum areæ excludi paſſus eſt piiſſimus Pontifex, in qua (ut Nicolai IV. & Joannis XXII. Summ. Pontif. verbis utar) *Innumerabilium Martyrum, aliorum Sanctorum Reliquias Divina Clementia collocavit.* Sed hac una potiſſimum ratione permotus, ſic ſpatium protendi voluit, ut ſatis liquet ex ichnographica delineatione, quam ipſe Carolus Madernus exculptam obtulit Summo Pontifici Paulo V. cum hac ſequenti epiſtolâ, eidem Pontifici inſcripta:

Nicol. IV. ſub dat. idus Apr. ann. 3. in Archiv. Baſil. Jo. XXII. epiſt. 4. nu. 647. Bibl. Pont. Vatic. apud Grimald. pag. 118.

Cento e più anni ſono, Beatiſſimo Padre, che l'antico Tempio in Vaticano, fabricato dal Magno Coſtantino, e dal Beato Silveſtro in honore del Sommo Dio, e del Prencipe degli Apoſtoli ſtava pendente; perciò la ſanta memoria di Giulio Papa II. ne gettò parte, e nel medeſimo ſito cominciò l'altro famoſiſſimo Tempio, ſecondo l'Architettura di Bramante, ſeguitandola Antonio Sangallo, & altri, e dopo queſti dal famoſiſſimo Michel'Angelo Bonarota rimodernato, & abbellito nella forma, che ſi vede; ſtava il nuovo Tempio non finito, e l'antico pendente, e pericoloſo d'irreparabile ruina, come per relazione di più eccellenti Architetti fù riferito alla Santità Voſtra, la quale moſſa dall'ingenita Sua Pietà per evitare qualche lacrimoſa ſtrage del popolo Fedele, che ivi concorreva, diede ordine, che ſi gettaſſe à terra, diſpiacendogli non poterſi più ſoſtenere in piedi quelle ſante mura. Ma poiche à queſta reſoluzione ſi dovea pur una volta venire, per dar compimento, come era neceſſario, al famoſiſſimo Tempio, già comin-

TABVLA 28.

ICHNOGRAPHIA BASILICÆ CAROLI MADERNI CVM ADDITAMENTO SVB PAVLO V.



Auctor del. et sculp.

cominciato per la devozione, & affetto, che haveva al ſagro luogo, acciò in profano uſo quello non ſi contaminaſſe, per eſſere ſtato ricetto di tanti Corpi di Santi, e Martiri di Chriſto, con ſalvare i veſtigii delle ſante Reliquie, la memoria del Beato Silveſtro, e la riverenza di Coſtantino, commandò, che con l'edifizio della nuova Chieſa ſi circondaſſe, e ricopriſſe appunto il rimanente della vecchia. Et acciò queſto ſi haveſſe à fare più eſattamente, e con maggior diligenza, la Santità Voſtra deputò una Congregazione de Cardinali, con ampla poteſtà di ſopraintendere, & ordinare quanto à loro pareſſe opportuno. I quali adunati inſieme, come conveniva, la prima reſoluzione fù, che ſi doveſſero fare alcune commodità per il Culto Divino, che mancavano nel già fatto, come il Coro per il Clero, Sacriſtia, Battiſterio, un'amplo Portico, Loggia della Benedizione, e la facciata, che doveva abbracciate tutto lo ſpazio della Chieſa vecchia. Eſſendo dunque a gli Architetti, che in queſta età di alcun nome ſono, tanto in Roma, come fuori, con promettere agl'Ingegni loro honorato premio, fatto intendere, che all'invenzione loro accommodaſſero le ſopradette commodità, havendo ciaſcun preſentato ad eſſa Congregazione l'invenzione, e diſegno loro, piacque di comun conſenſo à quelli Illuſtriſſimi Signori, che di ciò il carico havevano, benignamente approvare il preſente, che da me gli fù offerto, e propoſto. Il che certo non tanto à maggior ſapere, che in me ſia, quanto à grazia ſingolare del Sommo Dio attribuiſco, il quale ſi è compiacciuto concedermi, quantunque minimo degli altri, habbia potuto con l'induſtria del mio debole ingegno ſervir la Santità Voſtra. Hò procurato far diligentemente intagliar in rame l'unione delle due piante, delle quali la punteggiata è il già fatto, ſecondo l'ordine di Michel'Angelo; il delineato è la parte fatta da me, acciò ſi publichi al Mondo la Pianta della Chieſa, del Portico, della Loggia Pontificia, della Facciata, e degli altiſſimi Campanili, de' quali al preſente ſi fanno li fondamenti. Queſti mi è parſo bene, Beatiſſimo Padre, far ſtampare in rame per ſodisfare à quelli, che deſiderano vedere l'unione delle dette Piante, & anche à quelli, a' quali non è permeſſo il venite di preſenza à vedere opera così egregia della noſtra unica, e vera Religione. La dedico, come per tutti i riſpetti debbo, alla Santità Voſtra, ſupplicandola humilmente degnarſi di gradirla, per minimo ſegno della grandiſſima devozione, & obligatiſſima ſervitù mia verſo Lei, alla quale proſtrato bacio li ſantiſſimi Piedi, pregando Sua Divina Maeſtà, che à benefizio della Chriſtiana Republica, e contento univerſale lunghiſſimi anni la conſervi ſana, e feliciſſima ſempre.

Di Roma alli 30. di Maggio 1613.

Devotiſſimo, & Obligatiſſimo Servitore

Carlo Maderni.

Verùm magis comprobatur ejuſdem Summi Pontificis voluntas ex inſcriptione, quam tanquàm perenne Apoſtolorum gloriæ monimentum, hiſce inſculptis marmori notis, ex Baſilica exeunti objectis, appendit, videlicet:

Paulus V. Pont. Max.

Vaticanum Templum à Julio II. inchoatum, & uſque ad Gregorii, & Clementis Sacella, aſſiduo centum annorum opificio productum, tantæ molis acceſſione univerſum Conſtantinianæ Baſilicæ ambitum includens confecit, Confeſſionem Beati Petri exornavit, Frontem orientalem, & Porticum extruxit.

Rursùs patet ex alia, in parte Templi interiori inſculpta his verbis:

Paulus V. Pont. Max.

Sacroſanctam Beati Petri Principis Apoſtolornm Baſilicam, quàm Julius II. Pont. Max. inchoaverat, aliique Pontifices Maximi proſequuti fuerant, ut univerſam Conſtantinianæ Baſilicæ ambitum Religione venerabilem includeret, Chorum, Sacrarium, ac Porticum benedicendo Populo exædificaret, grandi acceſſione adjuncta opus ampliſſimum, ac magnificentiſſimum abſolvit anno M DC XV. Pontif. X.

Has inſcriptiones delevit Urbanus VIII. & die 5. Aprilis anno 1631. novas collocavit breviores, ab ipſomet Pontifice compoſitas, characteribus verò efformatas à Fabritio Badeſio Scriptore Pontificio, quarum altera ſic legitur:

Paulus V. Pont. Max.

Vaticanum Templum à Julio II. inchoatum, & uſque ad Gregorii, & Clementis Sacella aſſiduo centum annorum opificio productum tantæ molis acceſſione univerſum Conſtantinianæ Baſilicæ ambitum includens confecit, Confeſſionem Beati Petri exornavit, Frontem orientalem, & Porticum extruxit.

Altera verò eſt hujuſmodi:

Urbanus VIII. Pont. Max.

Vaticanam Baſilicam à Conſtantino Magno extructam, à Beato Silveſtro dedicatam, in ampliſſimi Templi formam, non minori multorum Pontificum pietate, quàm magnificentia redactam, ſolemni ritu conſecravit, Sepulchrum Apoſtolorum decoravit, Odœum, Aras, & Sacella Statuis, ac multiplicibus operibus ornavit.

His

TABVLA 29.

SCENOGRAPHICA DELINEATIO BASILICÆ
CVM ADDITAMENTO PAVLI V.



Hieronymus Frezza incid.

His inſcriptionibus in tabulis marmoreis exaratis die 10. Octobris Turrigius
ejuſdem anni, coronices pariter marmoreas idem Pontifex Urbanus ad- MS.
junxit.

Antequàm ab ichnographica delineatione Baſilicæ diſcedamus, duo
ſunt in eo adnotanda. Primò, menſuræ beneficio numerorum indicatæ,
quas è pagina 283. Equitis Fontanæ accepimus; ſecundò obſcuriores lineæ,
quæ partem denotant excitatam à Julio II. uſque ad Paulum V. minùs verò
obſcuræ indicant Templi aream poſitam à Carolo Maderno. Sed ad ulte-
riora properemus.

Et primò pavimentum inſpiciamus marmore multicolore diſtinctum,
in quo Paraſtatæ aſſurgunt duplicatæ, inter quas bina loculamenta pro ſta-
tuis. Arcuati inſuper magni hiatus amplum præbent ingreſſum ad Sacella.
Gremio Templi Camera imminens plaſticis modulis diſcriminata eſt in de-
vexas, ſurgenteſque ſecturas, ubi per lacunas fornicis erumpentes flores ſu-
perbiam candoris, ut reliqua opera, auri fulgore commiſcent. In medio for- Grimald. pag. 121.
nicis, qui die 15. Julii 1608. incœptus fuit, fulget ſtemma Burgheſium
vermiculatum illuſtriori emblemate, quòd muſivo opere Marcellus Pro-
venzalis expreſſit. Nec Templi pars ulla conſpicitur, quam marmoribus
omnium ferè generum, colorumque pretioſis Paulus V. non exornarit.
Spectantur minoribus aris proximæ ingentes columnæ, quæ eo in loco in- Sever. de Sept. Eccl.
ventæ fuerunt, ubi olim Templum erat Sancti Venantii, cum anno 1611. pag. 3.
pro nova Templi fabrica Aula Pontificia deſtrueretur, à Paulo III. excitata.
Antè ſingulas Aras minorum ambulationum fornices Tholo ſubiiciuntur,
non quidem circularem, ſed elipticam figuram habenti. Rotundus tamen
imminet Sacellis Gregoriano, Clementino, aliiſque duobus in Baſilicæ ver-
tice ex oppoſito collocatis, & in crucem diſpoſitis. Sed de his alibi ſermo
erit. Interim, ut hæc omnia oculus recognoſcat, Tabulam ponimus ſce- Fig. 29.
nographicam, in qua Baſilica bifariam diſecta repræſentatur, cui menſuras
ſingularum partium adnectimus, indicatas ab Equite Fontana, aliiſque Au-
ctoribus. A pavimento ad fornicem additum à Paulo V. inſunt pal. 207.$\frac{2}{3}$.
Altitudo Paraſtadum baſis eſt pal. 6. Altitudo ſtipitis Paraſtatæ pal. 92.$\frac{1}{2}$.
Capitulum altum pal. 14. Epyſtilii altitudo palmi 8.$\frac{3}{4}$. Zophori palmi 8.
Coronicis palmi 9.$\frac{1}{4}$. A Pavimento ad verticem Capituli pal. 112.$\frac{1}{2}$. A
Capitulo ad ſummitatem Coronicis pal. 26. Ab ejus initio ad ſummos he-
miſpherii arcus inſunt pal. 61.$\frac{1}{2}$. A ſummitate eorum ad faſtigium Coro-
nicis Timpani pal. 37.$\frac{1}{2}$. Ab eodem Capitulo ad Baſim ſtilobatæ Coronicis
pal. 17.$\frac{1}{2}$ Ab ea ad ſummam Coronicem Timpani pal. 66.$\frac{1}{2}$ A Coronice
ad principium Tholi pal. 15. A Stereobate ad hiatum laternæ palmi 116.$\frac{1}{2}$.
A Hiatu ad Mænianum pal. 22. A Mæniano ab ſummitatem fornicis La-
ternæ pal. 52.$\frac{3}{4}$. A fornicis ſummitate ad culmen Globi ærei pal. 47. Inter
Globum æreum, & Crucem interponuntur pal. 19. Pavimentum inter ac
infimum Tholi laxamentum pal. 452.$\frac{1}{2}$. Et à Pavimento ad ſummitatem
Crucis pal. 593. Quæ verò ad latitudinem, & longitudinem ſpectant men-
ſuræ, ſunt hæc. A limine Januæ mediæ ad extremitatem parietis, ubi Ca-
thedra Divi Petri manet longitudo eſt palm. 829.$\frac{1}{2}$. Latitudo verò navis

mediæ à Paulo V. extructæ extenditur ad pal. 123. Tranſverſa ambulatio ad pal. 615. Latitudo verò inter Paraſtatas Tholo ſubjectas comprehendit pal. 103. Laxamentum Tholi conſtituitur palm. 190. $\frac{1}{2}$. Univerſa Templi Area cum muris, fronte, & veſtibulis occupat exapedas 4420. pal. 80. quæ ſuperficies ſeptem terræ jugera excedit.

Propoſitæ Tabulæ aliam adnectimus ichnographicam, in qua numeri appicti omnia indicant Altaria, quæ in toto Baſilicæ ambitu collocata, modò extant pretioſis marmorum, ac picturarum ornamentis decorata.

CAPUT XXI.

De Sacellis, & Altaribus Vaticanæ Baſilicæ.


Fig. 30. INGREDIENTI minorem Ambulationem, quæ in parte dextera eſt, primum ſeſe offert Sacellum Sanctiſs. Crucifixi dictum, ob imaginem Chriſti Servatoris è cruce pendentis, tali in loco collocatam, juxtà antiquum Chriſti-fidelium morem, de quo Lactantius Firmianus mentionem fecit, quique in Liberiana Baſilicâ oſtenditur. Talem imaginem fuiſſe exſculptam à Petro Cavallino Romano Sculptore referunt hiſtoriæ. Eam hùc tranſtulit Paulus V. ex Sacello SS. Simonis, & Judæ, in antiqua Baſilicâ extante tempore Sixti V. ut ſupra narravimus. Sacelli fornicem picturis decoravit Eques Joannes Lanfrancus Parmenſis. In Sacelli latere adjacet aliud parvulum Sacellum Divo Nicolao Barienſi erectum à Bernino, ejus tamen imaginem Fabius Chriſtophorus confecit. In ſiniſtro latere parvulum patet cubiculum, in quo Columna Vitinea, ferreis cancellis munita reconditur, cui fama eſt Chriſtum Dominum adhæſiſſe, cum in Templo Salomonis concionaretur, eique virtutem indidiſſe Dæmones fugandi ab Energumenis. Hanc Columnam ſanctam olim appellabant, eamque Fideles in magna habuerunt veneratione, quapropter Cardinalis Urſinus anno 1438. eam crate ferrea circumdedit, addita ſequenti inſcriptione: *Hæc eſt illa Columna, in qua Dominus Noſter Jeſus Chriſtus appodiatus, dùm populo prædicabat, & Deo Patri preces in Templo effundebat, adhærendo ſtabat, quæ unà cum aliis undecim his circumſtantibus* (videlicet eo tempore, quo vivebat Cardinalis) *de Salomonis Templo in triumphum hujus Baſilicæ hìc locata fuit, Dæmones expellit, ab immundis Spiritibus vexatos liberos reddit, & multa miracula quotidiè facit. per Reverendiſs. Patrem, & Dominum D. Cardinalem de Urſinis ornata anno Domini MCCCCXXXVIII.* De eâdem loquens Panvinius in libro De Septem Urbis Eccleſiis, ait: *Altare XI. Sancti Bartholomæi vetuſtum, & magnæ devotionis, cui proxima erat Columna marmorea intorta, vitibus ornata, quæ adhùc in Eccleſia nova, ibidem propè extat, cui tantam Deus virtutem præſtitit, ut qui à Demonibus arrepti ſunt, apud eam Divinis habitis ſupplicationibus liberarentur, quod multis jàm certis, magniſque exemplis compertum habemus.*

Gaſpar Cęlius pag. 73.


2. Ara

TABVLA 30.

ICHNOGRAPHIA BASILICÆ
IN QVA INDICANTVR ALTARIA



Auctor del. et sculp.


TABVLA 31.
TVETVR ET VNIT
VRBANVS VIII. P. M.
COMITISSÆ MATHILDI VIRILIS ANI-
MI FOEMINÆ SEDIS APOSTOLICÆ PRO
PVGNATRICI PIETATE INSIGNI LIBERA-
LITATE CELEBERRIMÆ HVC EX MAN
TVANO SANCTI BENEDICTI COE
NOBIO TRANSLATIS OSSIBVS GRA
TVM MON.
Hieronymus Frezza incidit

2. Ara Divo Sebaſtiano ſacra. Ejus imaginem Dominicus Sampierus Bononienſis, vulgò *Domenichino*, coloribus egregiè temperatis an. 1629. effinxit. In Tholo muſiva compoſuiſſe Guidum Ubaldum Abbatinum, delineante Petro Berettino Cortonenſi, refert Titus, cui Fontana pag. 402. contradicit, affirmans Tholum, Aræque trigonos à Petro Cortonenſi chartis anteà commiſſos Fabium Chriſtophorum, & Matthæum Piccionum; binos verò adverſos, Columbum, ejuſdem Berettini penicillo adjutum, & ſub feneſtrarum arcubus intervalla Piccionum cum Vanni junioris delineatione, duoque alia Aræ ſuperflexa Fabium Chriſtophorum, Berettino delineatore, ſectilibus, & vermiculatis apprime lapidibus variegaſſe. Turrigius MS. Pag. 14.

3. Tumulus, quem Urbanus VIII. erexit celebri Comitiſſæ Mathildi, quæ Patrimonii, Liguriæque Provincias, & Ditionem Ferrarienſem Romanæ Eccleſiæ donavit. In illum Oſſa ejuſdem intulit Pontifex appoſita ſequenti inſcriptione: *Fig. 31.*

Urbanus VIII. P. M.

Comitiſſæ Mathildi virilis animi Fœminæ Sedis Apoſtolicæ Propugnatrici, pietate inſigni, liberalitate celeberrimæ, hùc ex Mantuano Sancti Benedicti Cœnobio tranſlatis Oſſibus, gratus æternæ laudis promeritum Mon. Poſ. anno 1635.

Illud Eques Laurentius Berninus delineavit, Stephanus Speranza exſculpſit ea tantùm in parte, ubi opus dimidii anaglypthi in marmore prominet, quod repræſentat Gregorium Pontificem hujus nominis VII. relaxato Anathematis vinculo, abſolutionem impartientem Henrico Regi, precibus ejuſdem Mathildis, coram Abbate Cluniacenſe, Mathilde, Adelaja Comitiſſa, aliiſque Principibus, Epiſcopis, & Laicis: quam abſolutionem Domnizo Presbyter in Mathilde citatus à Baronio tom. 11. ad ann. 1077. his verſibus deſcripſit:

Antè dies ſeptem, quam fines Janus haberet,
Antè ſuam faciem conceſſit Papa venire
Regem cum plantis nudis à frigore captis,
In cruce ſe jactans Papæ ſæpiſſimè clamans;
Parce Beate Pater &c.

Andreas autem Bolgius puellum ſepulchro inſidentem formavit, alium in parte dextera Aloyſius Berninus, qui etiam Comitiſſæ ſimulacrum perfecit, excepto capite, exſculpto à Joanne Laurentio Bernino, duos alios ſupra Urbani ſtemma gentilitium collocatos Matthæus Bonarellus. Baldinucc. in vita Bernin. pag. 16.

4. Janua, per quam itur ad ſcalas choclides.

5. Seſe offert Sacellum Sanctiſſimæ Trinitati erectum anno 1629. abſolutum anno 1631. In eo Sanctiſſimæ Triadis Perſonas Petrus Cortonenſis ſuo pennicillo eleganter expreſſit. Nicolaus Torniolus Senenſis, & Joannes Antonius Spadarinus delineamenta præbuere pro Tholo, quæ mu-

ſivo

ſivo opere compoſuit Guido Ubaldus Abbatinus. Emiſpherii verò Trigonos, & arcuata feneſtrarum laxamenta ab Horatio Manente, & Raphaele Vanno Senenſi exarata fuiſſe affirmat Fontana. In hoc Sacello Ciborium erat, ubi Sacroſancta Euchariſtia ſervabatur, quod Balthaſſar Peruzzius ſub Clemente VII. anno circiter 1524. delineavit. Ejus loco aliud æreum auro tectum, & lapillis pretioſis exornatum magnificentiùs excogitavit Eques Berninus ex mandato Alexandri VII. quod deindè perfici juſſit Clemens X. In fornice marmoratum opus compoſuit anno 1622. Jacobus Peruſinus.

Vaſar. pag. 147.

Turrigius MS.

6. In parte læva hujus Sacelli Ara Divo Mauritio erecta fuit cum ejuſdem imagine, non à Carolo Peregrino expreſſa ex delineamentis Equitis Bernini, ut putant aliqui, ſed ab ipſo Bernino, ut affirmat Baldinuccius in ejus vita, qui etiam Pavimentum marmoribus decoravit. Ipſumque Altare duabus columnis vitineis, de quibus alibi dictum eſt.

Pag. 57.

7. Antè illam humo jacet aliquantulum elevatus Tumulus Sixti IV. quam Antonius Pollajolus Florentinus ex ære conflavit, ſub Urbano VIII. eo in loco repoſitus.

8. Gregorii XIII. Tumulus, in quo extenteratum ejus corpus jacet (referente Mucantio in Diariis) balſamo, & aromatibus conditum, Pontificalibus rubei coloris indutum cum Phanone, Pallio, & Mitra aurea. Illum plaſtico opere efformavit Proſper Brixienſis, ut noſtra Tabula 32. repræſentat, juſſu Eminentiſſimi Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalis Hieronymi Boncompagni Archiepiſc. Bononienſis in exhibitionem grati animi erga tantum Avunculum, ſummis honoribus in omnes Poſteros extollendum.

Fig. 32.

Oldoinus pag. 30.

9. Poſt Sacroſanctæ Euchariſtiæ Sacellum aliud magis amplum patet à Gregorio XIII. extructum, ut alibi dictum eſt, Jacobo à Porta dirigente. Ejus Tholi fornicem muſivo, ac foliatis pigmentis exornatum fuiſſe à Bonarota narrat Eques Fontana pag. 401. Cæteros verò angulos, & arcubus ſubjecta feneſtrarum ſpatiola inciſis pariter lapillis Hieronymum Mutianum, & Marcellum Provenzalem nobilitaſſe. Anno autem 1631. muſivo opere à Calandra expreſſas fuiſſe quatuor Eccleſiæ Doctorum imagines affirmat Turrigius ex delineamentis Hieronymi Mutiani, qui modum excogitavit muſiva opera firmiùs conſtruendi cæmentis oleo, gypſoque commixtis. Gaſpar tamen Cælius in ſuo opuſculo de Picturis Romæ extantibus pag. 74. refert imagines DD. Doctorum Græcorum à Cæſare Nebbia fuiſſe abſolutas. In eo Sacello extat Altare Beatæ Virginis, & Divo Gregorio ſacrum, quod duo magna candelabra ænea exornant, ab Antonio Faventino conflata.

Martinellus De Sept. Eccleſ. pag. 26.

10. Parieti proximo Altaris Organum hæret, ſub quo aditus patet in Sacellum Euchariſtiæ dicatum, ubi Scalæ à Sixto V. extructæ, ut ab Aedibus Pontificiis in Templum Divi Petri clam populo deſcendere poſſint Pontifices.


Donatus.

11. In eodem Sacello Gregoriano hæret majoris Tholi Paraſtatæ Altare Divo Hieronymo ſacrum, ubi Hieronymus Mutianus ejuſdem Sancti effigiem coloribus expreſſit.

Balleonus pag. 26.

12. In ambulatione, per quam itur ad ſiniſtrum crucis latus, propè eamdem

SEPVLCHRVM GREGORII XIII. PONT. MAX.



Hieronymus Frezza incidit

eamdem majoris Tholi paraſtatam eſt Altare Divi Baſilii Magni, cujus imaginem Hieronymus Mutianus inchoavit, Cæſar Nebbia confecit.

13. Huic opponitur janua, qua itur ad ſcalam choclidem, ſupra quam imago Chriſti Domini, Apoſtolorum pedes abluentis, à Joanne Balleono anno 1630. depicta. Huic ambulacro fornicem impoſuit, & pavimentum marmoreum ſtravit Clemens VIII.

14. Ex hoc ingredimur ſiniſtrum Baſilicæ bracchium Boream verſus extenſum, in quo tria Altaria tribus in loculamentis viſuntur columnis exornata.

15. Primum eſt Sancti Vinciſlai (quem falsò Sancti Ladiſlai Poloniæ Regis nuncupavit Martinellus) cujus iconem fecit anno 1630. Angelus Caroſellus Romanus. Pag. 29. Turrigius MS.

16. Secundum eſt SS. Proceſſi, & Martiniani, quorum imagines depinxit Valentinus Gallus. Balleonus pag. 337.

17. Tertium Sancti Eraſmi, depicti à Nicolao Puſino Gallo anno 1629. cum trecentorum ſcutorum pretio. Turrigius.

18. In proximo ambulacro circa Paraſtatam, maximo Emiſpherio ſubjectam, in parte læva Altare eſt, in quo Divi Petri Navicula, quam Joannes Lanfrancus coloribus oleo miſtis, mira ſolertiâ expreſſit anno 1628. Antè illum aliam ſimilem poſuerat Bernardus Caſtellus, juxtà narrationem Martinelli pag. 32.

19. In oppoſita facie janua patet ad ſcalam choclidem, eique imminet tabula, in qua Andreas Camaſſeus de Mevania Divum Petrum expreſſit abluentem ſacri Baptiſmatis aquâ Cuſtodes Carceris.

20. Sub Tholo proximè imminenti Ara collocatur Divi Michaelis Archangeli Dæmonium arcentis, à Cæſare Arpinate delineati. Animo inerat Urbani VIII. Summi Pontif. in ſingulis Sacellis ſacras Imagines collocare marmoreo muſivo expreſſas, iis ablatis, quas colorum pigmentis Pictores confecerant. Illæ enim parietum, marmorumque humiditate paulatim marceſcentes, tineiſque corroſæ deperibant, & inſignium Pictorum labores fruſtrabantur, cum ingenti Nummorum jactura, & indecoro tantæ Baſilicæ apparatu. Quamobrem hanc ſacram Imaginem muſivo expreſſit Joannes Baptiſta Calandra Vercellenſis tali arte peritiſſimus Artifex, ut ex ea pro cæteris compingendis præberetur exemplum. Verùm nimius muſivi operis lævor intuentium oculos perſtringens, & imaginum delineamenta in ſuperfluo nitore occultans, Pontificis mentem ab incœpto deflexit. Balleonus pag. 372. In vita Calandræ MS. apud Io. Bapt. Maraldum.

21. Huic propinqua eſt Ara Divæ Petronillæ, quam Joannes Franciſcus Guercinus pinxit. Tholum Bonarota ſuperextruxit. In Trigonis ejuſdem Divum Gregorium Franciſcus Romanellus pennicillo expreſſit, Divum Bernardum Carolus Peregrinus, Divum Dionyſium Guido Abbatinus, ultimam imaginem Andreas Saccus, omnes verò muſivo opere efformavit Calandra Vercellenſis.

22. In alio magnæ Paraſtatis latere hæret Ara, in qua tabula Divum Petrum exhibet, Tabidam ad vitam revocantem, depicta à Joanne Balleono Romano anno 1607. & à Joſepho Montano deindè inſtaurata.

23. Opponitur huic Aræ Tumulus Clementis X. Equitis Matthiæ de

de Rubeis curâ, erectus ab Eminentiſs. Palutio Card. de Alteriis, in quo Hercules Ferrata marmoream ſtatuam ſedentem exſculpſit, ſtantem verò
Fig. 33. aliam Joſephus Mazzolus Senenſis, Tertiam Lazarus Marcellus Aſculanus, Urnam Leonardus Retenſis (quam Titus pag. 11. ait fuiſſe opus Ambroſii Pariſii, ſed falsò). Famas demùm, & Pueros Philippus Carcanus efformavit; ſub Tumulo janua patet, iter præbens ad Templi cubicula. Talem Tumulum exhibet Tabula 33.

24. Ingredimur jàm Baſilicæ Apſidem in occidentali Plaga, à Bramante excitatam, à Bonarota abſolutam, ſub hac tria magna loculamenta, in quorum primo magnificentiſſimum ex ære Sepulchrum anno 1629. ſibi ſtatuit Urbanus VIII. & anno 1647. poſt ejus mortem Eques Berninus perfecit. In eo Coloſſea eſt Pontificis effigies ex ære, thiarâ redimita, extensâ dexterâ, ſedenſque benedicenti ſimilis. Deorſum Urnæ locus ſupra triplicem baſim, cum duobus hinc, atque hinc ſimulacris è marmore, quorum alterum in læva parte Juſtitiam Sepulchro incumbentem, & Pontificem reſpicientem exprimit, alterum in dextera Charitatem, ubera infanti præbentem. Supra Tumulum æneum Mortis ſimulacrum jacet, quæ in aperto volumine hos aureos characteres inſcribere videtur: URBANUS VIII. BARBERINUS PONT. MAX. Quod opus publico plauſu excœptum Eminentiſs. Card. Rapacciolio hujus ingenioſi carminis argumentum præbuit, hoc eſt:

Baldinucc. in vita Bernin. pag. 16.

Bernin sì vivo il grande Vrbano hà finto,
E sì ne' duri bronzi è l'alma impreſſa,
Che per torgli la fe, la Morte ſteſſa
Stà ſu'l Sepolcro à dimoſtrarlo eſtinto.

Fig. 34. Illud incæpit Berninus biennio antè Pontificis mortem, & menſe trigeſimo, eodem defuncto, abſolvit, ut in adjecta Icone apparet.


Turrigius MS.

25. Alterum huic oppoſitum loculamentum Pauli III. Monumentum continet, hùc tranſlatum anno 1628. ab Urbano VIII. & in tabula
Fig. 34. ænea inciſum, quam adjecimus. Extabat olim in dextero loculamento Pilæ, maximo Tholo ſuppoſitæ. Eminet in eo ſtatua Pauli ænea Pontificio in habitu expreſſa, duæ inferiores ſtatuæ è marmore, ſedentes ad Tumulum prolixè commendant Guilielmi à Porta Mediolanenſis manus, animumque Pontificis. Hæc bina loculamenta binis columnis, & arcu exornavit Urbanus ex lapidibus Templi, quod Soli dicavit Adrianus Imperator, ut affirmat Turrigius, in Monte Quirinali, ubi nunc Columnenſium horti, proſtravitque ſolo idem Urbanus anno 1630. In hortis enim Columnenſibus marmorei ædificii pars exurgebat, vulgò Maeſa jàm diruta. Blondus Turrim Mæcenatis falsò nuncupat. Alii partem Templi Solis pronunciant, quod ab Aureliano, auctore Flavio Vopiſco, extructum eſt ad eam formam, quam viderat in Oriente, quod veſtibus, & opibus in triumpho vectis
De Urbe cap. 15. lib. 3. inſtruxit; Senaculum, ſeu Curam Mulierum fuiſſe, ait Donatus, quam Eliogabalus in Quirinali Mulieribus extruxit ad Conventus habendos, quibus avia ipſius Maeſa nomine, & mater Soemis præſiderent, ut Lampridius


innuit



Arnoldo Van Westerhout Sculp. *Alexander Specchi delin.*


TABVLA 34
VRBANI VIII. SEPVLCHRVM
VRBA NVS. VIII
BAR BERINVS
PO NT. MAX.
VRBANI VIII. BARBERINI FLORENT. PONT. MAX.
IN VATICANO TVMVLVM
EXCITAVIT ET ORNAVIT
IOANNES LAVRENTIVS BERNINVS EQVES
Ioannes Alet incid.


VRNA SEPVLCHRALIS IN TVMVLO CLEMENTIS X. SVM. PONT.
Leonardus Rhetus excudit
Arnoldus Van Westerhout incid.



Hieronymus Frezza incidit



SEPVLCHRVM ALEXANDRI VII. AB EQVITE BERNINO EXCVLPTVM

Alexander Specchi delin. Arnoldus Van Westerhout incid

innuit in Eliogabalo. Fecit & in colle Quirinali Senaculum; ideſt Mulierum Senatum, in quo antè fuerat Conventus Matronalis, ſolemnibus dumtaxat diebus, vel fortaſſe Solis Templum, eodem in loco ab eodem Eliogabalo extructum, cujus, quæ particula ſupererat, magnis lapidibus compactus paries nuperrimè dirutus eſt, & ingentes columnarum ſpinæ ſub terra inventæ.

In medio horum Tumulorum extat Cathedra Divi Petri, de qua infrà dicemus. Properemus jàm ad dexterum Baſilicæ ambulacrum.

26. Ibi ſub numero 26. inveniemus Aram, in qua extat imago Divi Petri ægro ſanitatem impertientis, quàm Joſeph Montanus reſtituit. Turrigius affirmat illam renovatam fuiſſe anno 1606. à Ludovico Ciccolino, ſed falsò. Ludovicus enim Ciccolinus Pictor Florentinus egregius illam incæpit ſub Clemente VIII. perfecitque ſub Paulo V. ut enarrat in ejus vita Balleonus pag. 153. & Abbas Philippus Titi pag. 10. Turrigius MS.

27. In oppoſita parte oſtium patet ad cubicula Canonicorum ducens, ſupra quam Tabula exhibet Salvatorem Petro claves tradentem, anno 1629. ab Antonio, dicto Pomerancio, coloribus elegantiſſimè expreſſum.

28. Huic ambulacro proximus eſt Tholus minor à Michaele Angelo Bonarota conſtructus; in ejus partibus angularibus Joannes Calandra muſivo expreſſit Divum Thomam Arpinatem, & Sanctum Joannem Damaſcenum ab Andrea Sacco delineatos, & alias duas imagines pictas ab Equite Lanfranco. Cæteras à Joanne Franciſco Romanello diſpoſitas, Guidobaldus Abbatinus, cùm Calandra perfecit. Tholi verò fornix ornatum expectat.

29. Sub Tholo duo extant Altaria, alterum Sancti Leoni, alterum verò

30. Beatiſſimæ Virgini dicatum. In primo Eques Algardus ſub Innocentio X. opere anaglypto in marmore exſculpſit Sanctum Pontificem Attilæ Gotorum Regi minitantem. In ſecundo eſt imago Deiparæ è veteri Baſilicæ columna illùc adducta, & vario lapide ornata à Jacobo à Porta ſub Clemente VIII.

31. In angulari proximo ambulacro ſub eodem Pontifice idem Architectus ornamenta pavimenti, & teſtudinis cæteris omninò ſimilia compoſuit. In eo contra Paraſtatam magni Tholi conſpicitur janua, per quam ad Templum Divæ Marthæ aditus patet. Illi imminet Sepulchrum Alexandri VII. pulcherrimis ſtatuis ornatum ſub Innocentio XI. juxtà delineationem, quam Eques Berninus fecerat, Alexandro adhùc vivente. Illud deſcribit Baldinuccius, ubi refert Siparium è lapide Jaſpide antè januam effictum eſſe; æneum Mortis ſimulacrum manu admota, dùm illud removet, ut ingrediatur, altera ſupremum vitæ diem oſtendit in clepſidra Alexandro Pontifici, quatuor marmoreis ſignis ſtipato, quorum primum exprimit Juſtitiam, Prudentiam ſecundum, tertium Charitatem, ultimum Veritatem, quam omni ferè amictu exutam ſacram dedecere Baſilicam cum arbitraretur Innocentius XI. ænea, & dealbata veſte circumtexit Berninus, ut piiſſimæ Pontificis menti obſecundaret. Tumulo coronidem efformat Gentilitium Ghiſiæ Gentis ſtemma, duabus marmoreis alis ſubſtentatum, eo modo, quo in appoſita Tabula 36. exprimitur. In vita pag. 58. Fig. 36.

P 32. Propè

32. Propè verò Paraſtatam ex adverſo Ara eſt Divo Petro ſacra, ubi Franciſcus Vanni Senenſis egregiè pennicillo pinxit anno 1607. Simonem Magum precibus Divi Petri in terram decidentem.

33. Ex ſupradicto ambulacro ingredimur dexterum crucis brachium, ſeu Templi Aream ad meridiem poſitam, quam dicunt Regis Chriſtianiſſimi. Hujus denominationis origo fuit à Sacello Sanctæ Petronillæ eodem in loco collocato, antequam nova Baſilica extrueretur, quod Sacellum Ludovicus Galliarum Rex reſtauravit, dotavitque duos Sacerdotes, qui inibi quotidiè ſacra peragerent. In ea ſimili ornatu fornicem decoravit Jacobus à Porta ſub Clemente VIII. Ibi viſuntur tria Altaria, ſicuti in oppoſita Templi facie. In parte læva eſt Altare Divi Thomæ Chriſti latus explorantis, à Dominico Paſſignano depicti.

34. In parte dextera Altare SS. Valeriæ, & Martiali dicatum, quorum imagines fuiſſe depictas à Friderico Zuccaro ait Fontana. Martinellus autem ab Antonio Spadarino, & quidem veriùs; nàm Joannes Balleonus, qui vitam Zuccari deſcripſit, hoc opus inter cætera non recenſet.

Pag. 397. De 7. Eccl. pag. 30.

35. In eorum medio Ara extat SS. Simoni, & Judæ erecta, quos depinxit Auguſtinus Ciampellus Florentinus anno 1629. eique trecentos nummos fuiſſe datos, affirmat Turrigius.

In MS.

36. Ulteriùs progredienti aliud ambulacrum patet, in cujus parte dextera ad Sacrarium pergunt Sacerdotes per januam, ſupra quam collocata videtur imago Sancti Petri Dæmonium fugantis, quam Joannes Franciſcus Romanellus in pariete depinxerat, hæc olim extabat, ubi nunc Alexandri VII. Sepulchrum, ſuperiùs indicatum num. 36.

37. Contra illam Altare collocatum fuit, in quo à Dominico Paſſignano Florentino Divus Petrus cruci affixus expreſſus fuit anno 1607. ſed ob temporis injuriam penè nunc obliteratus.

38. Poſt ambulacrum quartus invenitur Tholus Sacello imminens, quod Clemens VIII. contra Gregorianum extruxit. Ejus arcuatus paries muſivo, foliatoque ornatu decoratur; in angulis, & areolis, feneſtris adjacentibus Marcellus Provenzalis cum Paulo Roſſetto, ex Chriſtophori Roncalli delineamentis teſſellatum opus compoſuit. Imagines verò SS. Ambroſii, Auguſtini, Cypriani, & Joannes Chryſoſtomi delineavit anno 1604. Antonius Pomerancius, ut narrat Turrigius in ſuis MS. De hoc Sacello loquens Pater Donatus hæc habuit. Clemens VIII. Sacello Gregoriano objectum, & multa Pictorum, Plaſtarum, Sculptorumque præcellentium arte decoratum haud æquo ſplendore perfecit, eodemque tempore Angelorum, Sanctorumque lucentes effigies in Tholi interiore camera vermiculato emblemate coagmentandas curavit, tùm cælatis è marmorato interſeptis aurum inducendum, tùm variegato, ſectilique marmore ſternendum pavimentum, tùm reliquos cellarum parietes, lævigatis lapidum ſegmentis veſtiendos, univerſamque Templi concamerationem, tectorio loricatam bracteis aureis diſtinguendam, atque ejuſdem quadratos loculos inſerto roſarum auro illuminandos.

Balleonus pag. 349.

Pag. 379.

39. Hujus Sacelli Aram Divo Gregorio Magno erexit Clemens VIII. ejuſque, quæ nunc extat, imaginem è gleba Vaticani Soli ſanguinem exprimentem,



Hieronymus Frezza incidit

mentem, ut cujuſdam Legati infidelitatem evinceret; illam fuiſſe depictam anno 1628. ab Andrea Sacco affirmat Torrigius. Martinellus verò ait, ſed In MS.
immeritò, eam opus fuiſſe Mutiani. Hoc Sacellum Titus appellavit Gregorianum, ſed falsò. Clementinum enim vocitatur ob Clementem VIII. ejuſdem fundatorem. Oppoſitum quidem dicitur Gregorianum à Gregorio XIII. Pag. 26. De Sept Eccleſ. Pag. 16.

40. In dextero pariete poſt angulum Sacelli janua eſt, quæ ducit ad Chorum, ubi Muſici Divinas laudes modulantur; eidem Organum imminet, quod olim Alexander VI. in antiqua Baſilica collocavit.

41. Propè Sacellum ſupradictum quarta maximi Tholi Paraſtata ambulacrum efficit; illi adjacet Altare contra aditum minoris Baſilicæ navis collocatum, in quo Chriſtophorus Roncallus SS. Petrum, & Andream mirifica pennicilli arte delineavit anno 1607. Narrat Torrigius columnas hujus In MS.
Altaris exculptas fuiſſe è majori columnâ fortè inventa ſub glebis vineæ cujuſdam Latomi, Conſtantini nuncupati, cui pro pretio centum nummi ſoluti fuere.

42. Ingredimur jàm minorem Baſilicæ navim, juxtà meridiem protenſam, totidem Altaribus, ornamentiſque ditatam, quot in alia ad ſeptentrionem numeravimus. In ejus initio ſeſe offert Leonis XI. Monumentum, quod Alexander Algardus Bononienſis, aureo equitis torque ab Innocentio X. nobilitatus, circa an. 1650. delineavit. In eo videtur Leonis ſimulacrum ab ipſo Algardo exſculptum. In parte dextera Regiam majeſtatem marmorea ſtatuâ expreſſit Hercules Ferrata, in ſiniſtrâ verò Liberalitatem *Fig. 39.*
Joſeph Peronus, ambo Algardi diſcipuli, quæ omnia in appoſita Tabula 39. repræſentari curavimus. In adverſo ſitu Innocentii XI. cadaver ſino ullo ſepulchrali ornatu requieſcit.

43. Imminet proximus Tholus in elypſim concinnatus; ſed nullo picturæ ornamento decoratus. Sub eo janua maxima patet ferreis cancellis, ære exornatis, munita; aditus eſt in Canonicorum ædem. Cancellis impoſita eſt effigies Divi Joannis Chryſoſtomi, quam Abbatinus depinxit. In Ara verò imagines Divi Chryſoſtomi, Divi Franciſci Aſſiſiatis, & Divi Antonii Patavini, cum Angelico Choro Simon Uveth (Vouet) Gallus ſingulari arte expreſſit anno 1626. Omnium tamen opera ſuperat ſtatua Beatiſſimæ Virginis, Filium exanimem in gremio gerentis, quàm Michael Angelus Bonarota, non dùm annum agens vigeſimum quintum juſſu Cardinalis, qui Rovanus communiter vocabatur, exculpſit. Hæc diù collocata manſit in Sacello Sanctæ Petronillæ Regis Gallorum nuncupato, deindè in Sacello Virginis, à Febribus dictæ. Exſculpſit illam Michael tanta artis peritia, ut intuentes in admirationem pariter, & pietatem inducat.

Hanc Statuam, ut celebraret Joannes Baptiſta Marinus, ſic cecinit: Madrig. 158

Saſſo non è coſtei.
Che l'eſtinto Figlivolo freddo qual ghiaccio
Soſtien pietoſa in braccio.
Saſſo più preſto ſei
Tù, che non piangi à la pietà di Lei;
Anzi ſei più che ſaſſo
Che ſuole anco da' ſaſſi il pianto uſcire,
E i ſaſſi ſi ſpezzaro al ſuo morire.

Rursùs idem Auctor de Filio in ſinu Matris expreſſo:


Angel *fù de' Celeſti*
Quel, che'l buon Duce Hebreo da morte oppreſſo,
Chiuſe già ſu'l gran Monte in pietra oſcura.
Angel *terreno è queſti,*
C' hor vivo il rende entro il gran Tempio eſpreſſo.
Giudice hor ſia Natura
A qual' Angel *più deggia*
L'Imago, ò in carne altrove, ò quì ſcolpita
Al Dator de la Tomba, ò de la Vita.

Artificem tamen reprehenderunt nonnulli, quòd ſeniorem Matre Filium, & juniorem Filio Matrem effinxerit. Cauſam verò ab illo inquirenti Aſcanio Condivo ejus familiari, reſpondit Michael; non temerè, ſed jure à ſe id factum; quandoquidem Deiparam Virginum dotes decebant, quæ Puerperii damnis non ſubjacent, floridam juventæ venuſtatem, ut plurimum deturpantis. Redemptoris verò corpus pœnis conſumptum, eam ætatem indicans, à ſe efformatum, in qua mortem obivit.

Aſcanius Gondiuus in vita pag. 12.

Hæc Aedes, quæ Auctore Vitruvio latinè dici poteſt Cantilenarium, Gregorio XV. rerum potiente, tectorio loricari ornarique cœpta; qua de re in circulo laternæ illi imminentis hæc verba ſcripſere: *Gregorius XV. Pont. Max. an.* 1622. *Pont.* 2. Concameratione deindè aſpera torreumatis, & loculis ſigillatis, inauratiſque, ſuccedente Urbano VIII. reſplenduit. tunc quoque indita nobilis materiæ ſubſellia, ſed nobiliore Sculptorum artificio elaborata, ut Divinas laudes ſacrorum Miniſtrorum Chorus commodiùs poſſet enunciare. Illum autem componit Archipresbyter, Vicarius, Canonici num. triginta, Beneficiati triginta ſex, Clerici pariter Beneficiati viginti ſex, Cappellani decem, inter quos quatuor dicuntur Innocentiani, Clerici minores quatuordecim, Cantores denique triginta. Plaſticum opus perfecit Joannes Baptiſta Riccius Novarienſis anno 1622. Anno deindè 1627. tabulæ marmoreæ Parieti affixæ fuerunt, in quibus Ugo Ubaldinus Florentinus Baſilicæ Canonicus hæc monumenta inſcripſit, videlicet in parte Altaris dextera.

Sub



Petrus San. Bartolus incidit

„ MDCXXVI. menſe Majo die prima.

„ Sub hoc Altare, facta ſolemni proceſſione, repoſitum fuit Corpus „ Sancti Joannis Chryſoſtomi, unà cum infraſcriptis Reliquiis, videlicet: „ De Velo Beatæ Mariæ Virginis; De Spatula Sancti Stephani Protomar„ tyris; De Coſta Sancti Laurentii Martyris; De Spina Sancti Sixti Papæ, „ & Martyris; De Sanguine, qui fluxit à latere Beati Franciſci ſtigmatizati; „ De Capillis, de Cilicio, de Tunica, de Habitu ejuſdem, in quo mortuus „ eſt; De Cute Capitis Sancti Antonii de Padua, ſicut in inſtrumento cele„ brato per Dominum Joannem Baptiſtam Nardinum publ. Notar., à „ quo &c.

In parte autem ſiniſtra ſic:

„ MDCXIII. menſe Julio die XXII.

„ Illuſtriſs. & Reverendiſs. D. Scipio Cardin. Burgheſius hujus Baſilicæ „ Archipresbyter, olim Archiepiſcopus Bononienſis, facultate ſibi vigore „ ſuorum Privilegiorum competente, qua à Sanctiſs. Domino Noſtro Ur„ bano VIII. ſpecialiter ad hoc conceſſa, hoc Altare continens Corpus San„ cti Joannis Chryſoſtomi, cum Reliquiis in altero marmore in cornu „ Evangelii notatis, juxtà conſuetum ritum conſecravit, & in honorem „ Conceptionis Beatæ Mariæ Virginis, S. Joannis Chryſoſtomi, SS. Fran„ ciſci, & Antonii de Padua dedicavit, & Indulgentiam centum quinqua„ ginta dierum in die anniverſario conſecrationis viſitantibus conceſſit.

44. Extrà Aedem dictam in paraſtadis intercolumnio porta aditum præbet ad alium chorum, quem Muſici aſcendunt. Illi opponitur Sepulchrum Innocentii VIII. ex ære conflatum ab Antonio Pollajolo. *Fig.* 40.

45. Poſt illud patet Beatæ Virgini dicatum, in Templo ſeſe offerenti, à Franciſco Romanello coloribus egregiè depictæ ablatâ tabulâ, quam depinxerat Dominicus Paſſignanus tempore penitùs conſumpta. Hanc Aram dicatam eſſe Beatæ Virgini adeuntem Eliſabetham falsò ſcripſit pag. 395. Eques Fontana. Imminet Tholus, qui Cyri Ferri picturâ decorandus erat, ſed illo morte jàm conſumpto, alterius Artificis ornatum expectat. Ballęonus pag. 332.

46. In proximo intercolumnio adſunt ſcalæ choclides, per quam ad omnes Bablicæ contignationes ſuperiores ad tectum uſque aſcendere poſſunt etiam Jumenta cæmentis onuſta.

Antequàm proximum Sacellum adeamus, notandum hìc eſt, multas ex relatis hùc uſque picturis, temporis diuturnitate, magiſque ob innatam humiditatem valdè corroſas fuiſſe, & aliquas brevi temporis decurſu omninò obliterandas. Huic pretioſarum tabularum jacturæ occurrere ſtudebat Illuſtriſſimus Præſul Oeconomus Fabricæ Joannes Carolus Veſpinianus, cum fortuitò ſe obtulit Joſeph Montanus, è patre Piſaurenſi Laureti natus anno 1641. Hìc non minùs ad picturæ nobilem Artem, quàm ad Poeſim pro-

proclivis utriuſque ſtudiis mentem ſuam exercuit, atque præcipuas Italiæ Urbes perluſtravit, ut aliorum exemplo ingenium excoleret, tantùmque profecit, ut in plures nobiles eruditorum Academias adoptari demeruerit. Cum autem, Romam profectus anno 1687. in Templo Vaticano contemplaretur præclara inſignium Pictorum opera penè conſumpta, non tam temporis edacitate, quàm humiditate parietum, & nitroſa carie corroſa, ac obliterata, mente cœpit agitare, nùm aliquod remedium adhibere fas eſſet, quo jacturæ pretioſarum tabularum occurreret, atque in poſterum ab injuriis ſervaret incolumes. Ingenioſi hujus Artificis votis Cœlum arriſit. Utramque Provinciam obtinendi modum poſt varia experimenta excogitavit, paratumque ſeſe obtulit ad eas adminiſtrandas, cum ſibi à Fabricæ Vaticanæ Præſidibus facultas concederetur. At cum ob rei difficillimæ novitatem nimis ille ſibi tribuere pluribus videretur, nihili ejus oblationem primùm fecerunt; ſed re poſteà conſultiùs perpenſa, tabulam illi conceſſerunt, palmis triginta quatuor altam, & novemdecim latam, in qua Tabidam Eques Baleonus expreſſerat, penè omninò conſumptam, ut in ea oblatam à ſe artem exerceret, præberetque argumentum, quo fidem in poſterum apud omnes lucraretur. Impoſitam ſibi provinciam aggreſſo, non defuerunt, qui affirmarent à Montano iterùm exprimi ſuo pennicillo, quæ Baleonus peritiori arte depinxerat. At quam aberrarent à veritate facilè Montanus detexit, reddiditque poſt menſes aliquot Vaticani Templi Præſidibus ipſam Baleoni picturam in priſtinum ſtatum redactam, plauſumque publicum retulit, quo peritiſſimi Viri ſolertia ſummis laudibus efferebatur. Quamobrem eadem arte, juſſu Sacræ Purpuratorum Congregationis ſuper Fabricâ deputatæ, renovavit tabulam, in qua Lanfrancus Divi Petri Naviculam expreſſit: Divum Petrum ægro ſanitatem reddentem, à Civolo depictam: eumdem Apoſtolum cruci affixum coloribus expreſſum à Paſſignano; Sanctum Sebaſtianum à Dominichino: Beatam Virginem in Templo ſe offerentem à Romanello: tabulam Ananiæ à Pomerancio; Sanctam Petronillam à Quercino. His uſque ad præſentem diem peractis, tanti Viri peritiam non exiguo munere dignum judicarunt Eminentiſſimi Patres; quamobrem ſolutis primum quingentis & quinquaginta nummis, alios duodecim ſingulis menſibus eidem erogari dum viveret, communi decreto ſanxerunt; quod piiſſimus Pontifex Innocentius XII. probavit.
Decretum autem fuit hujuſmodi:

Ex Congregatione Generali Rever. Fabricæ Sancti Petri
die 16. Junii 1694.

„ Joſepho Montano Pictore offerenti ſe velle reſtaurare omnes picturas,
„ & jcones Altarium in Baſilica Vaticana deteriorationem offendentes ob
„ aeris humiditatem, prout jàm cum experientiâ admirabili reſtauravit pi-
„ cturas Lanfranchi, Equitis Baleoni, Ludovici Civoli, & Equitis Paſſi-
„ gnani, quæ evidentiſſimè deperditæ erant, & à tempore quaſi fractæ,
„ & petenti ſibi aſſignari condignum aliquod ſalarium ejus vita durante,
„ ne dùm pro reſtauratione picturarum prædictarum, verùm etiam pro
illarum

„ illarum conſervatione, & manutentione, Eminentiſſimi Domini fuerunt in voto acceptandi oblationem dicti Montani, & aſſignandi ſcuta „ duodecim quolibet menſe illius vita durante, cum pactis concordandis „ cum Domino Oeconomo Fabricæ, ſi Sanctiſſimo placuerit, cui mandarunt per Secretarium fieri plenam hujuſmodi reſolutionis relationem.

CAPUT XXII.

De ultimo Sacello, ubi Sacri Baptiſmatis Fons aſſervatur.

VLTIMUM demùm ſub ſimili tholo Sacellum collocatur, ubi quondam ſub Urbano VIII. Divi Petri Cathedra ſervabatur. In eo teſtudinis ornatum Eques Gaſpar Cælius anno 1628. compoſuit, pueros verò, & alia ornamenta Berninus anno 1629. collocavit. Nunc loco Cathedræ Sacrum Baptiſmatis Fontem continet, ſub Innocentio XII. fæliciter regnante ædificatum, ſed antequàm illum exponamus, aliqua hùc revocanda ſunt, quæ in veteris Baſilicæ ichnographiâ, quàm breviſſimè indicavimus num. 31. ubi diximus Fontem extitiſſe antè Sacellum Divi Joannis Baptiſtæ dicatum; circa quem aliqua notanda ſunt, videlicet in ipſo ortu Evangelicæ Religionis certum locum Baptiſmo non aſſignari, ſed in Fluviis, vel Fontibus obviis baptizari credentes. Patet ex Lucæ Act. 8. ubi ſermo eſt de Eunuchi Reginæ Candacis petentis à Philippo Baptiſmum: *Et deſcenderunt uterque in aquam Philippus, & Eunuchus, & baptizavit eum.* Sic Petrus juſſit baptizari Cornelium in ipſa domo ejus, ſic Paulus in Carcere Cuſtodem baptizavit; ſed quia tempore perſecutionum publicus locus tutus non erat, alius deputatus fuit ſecretus quidem, & ità commodus, ut latices ubertim puros exhiberet. Tempore enim Apoſtolorum trina merſio neceſſaria erat ad innuendam Divinæ Trinitatis confeſſionem, ad quam non modica aqua requirebatur. Omnia hæc innuit ſermo Walfridi ſic [Initio in Fluminibus, in Fontibus, in Domibus, in Apud Sauſai pag.130.
„ Carceribus, in Viis Baptiſma adminiſtrabatur, creſcente verò rerum pro- „ greſſu, ac temporum, Religionis honore inſtitutionum Eccleſiaſticarum „ uſque ad plenitudinem decus crevit, & myſtici hujus lavacri gradatim „ in majus celebratio]. Itaque Cœmeterium Vaticanum, in quo Apoſtolorum Princeps recondebatur ſalutari Baptiſmatis Fonte decorabatur, quo Sanctiſſimi quondam Pontifices, ac ipſemet Apoſtolus Petrus (ut Arringus Lib.2. c.4. num.20.
affirmat in Româ ſubterr.) ad Chriſti Fidem venientes ſæviente perſecutione abluebant. Ex quo aliqui idem Cœmeterium nomen Fontis S. Petri ſortitum fuiſſe putant, inter quos Onuphrius Panvinius. Hujus Baptiſmatis Fontis, Liberio Eccleſiam regente, cum venæ aquarum, quæ ab imminente monte ſtillabant, fiſtulis perfractis in Cæmeterium dilaberentur, ne mortuorum corpora labefactarent, monte exciſo, exſiccatis aquis, ac reperto Baron. ann. tom. 4. ſub an. 384.
Fonte, ſalutaris Baptiſmi curante Mercurio Diacono, ſacrum uſum in Vaticana Baſilica reſtituit. Quem Fontem Prudentius in hymno, quem de Romani 18.

Petri

Petri paſſione cecinit, clarè oſtendit ad ſua uſque tempora in Vaticano Cæmeterio Fidelium uſui perſtitiſſe.

In tabula marmorea, quæ extat in ſubterraneis Cryptis Vaticanæ Baſilicæ monimentum eſt de hoc Fonte Sancti Petri olim dilapſo, ac diſperſo, ubi legitur:

PAVLVS V. PONT. MAX.

Carmina à Sancto Damaſo Papa I. antè anno M CC L. ob exſiccatam ab ſe humiditatem in veteri hujus Baſilicæ pavimento multorum in Chriſto quieſcentium memorias labefactantem edita, ſuoque juſſu hoc marmore inciſa ad venerandæ antiquitatis monumentum piè ſervatum ex Templi ejuſdem ruinis hìc reponi mandavit anno M DC VII.

S. Damaſ. carm. 39. Sunt inſuper in iiſdem Cryptis Vaticanis carmina, quæ ipſe muſarum cultor Damaſus lapidi incidit ſic:

Cingebant latices montem, teneroque meatu,
Corpora multorum cineres, atque oſſa rigabant,
Non tulit hæc Damaſus communi lege ſepultos
Poſt requiem triſtes iterùm perſolvere pœnas.
Protinus aggreſſus magnum ſuperare laborem
Aggeris immenſi dejecit culmina montis,
Intima ſollicitè ſcrutatus viſcera terræ
Siccavit totum quidquid madefecerat humor.
Invenit Fontem, præbet qui dona ſalutis
Hæc curavit Mercurius Lævita fidelis.

Quem Fontem adeò inſignem à Sancto Damaſo reſtitutum, cum primò Liberius vidit abſolutum, lachrymatum eſſe præ gaudio affirmat Baronius, citatus à Phœbeo pag. 45. & Illuſtriſs. Ciampinus pag. 59. De Sacris Aedificiis num. 31. refert initio fuiſſe pretioſiſſimam concham è marmore alabaſtrino, in quam cœco meatu per fiſtulas erumpebant aquæ, quibus Liberius Pontifex à Sabbato Pentecoſtis in Dominicam octo ferè mille octingentos decemque Cathecumenos baptizavit. Nec ommittendum eſt miraculum, quod factum vidit Benedictus Presbyter in eodem Fonte, illudque narrat in vita Sancti Damaſi his verbis:

Tom. 4. ad ann. 384. num. 19.

In Bibl. PP. to. 27. pag. 67.

„ Sabbato Paſchalis feſtivitatis dùm turbæ ſeſe comprimerent ad Bap-
„ tiſmum, puerulus de manu Sacerdotis elapſus eſt, atque in uno Fonte
„ demerſus, & poſt ſpatium ferè unius horæ, dùm ſperarent omnes jàm
„ mortuum, quidam vir Manſionarius ipſius Eccleſiæ in fiduciam Sancti
„ Damaſi proiiciens ſe in Fontem, & abſtrahens eum ſecùm ſalvum, &
„ illæſum reduxit.

Ubi notandum eſt Fontem illum ſpatioſum fuiſſe, ac profundum, ut nempè regenerandos per trinam immerſionem recipere poſſet, prout ritus Baptiſmi eo tempore ferebat.

Eundem

Eundem Fontem Leo III. qui vivebat anno 800. renovavit columnis porphyreticis, narrante Anaſtaſio his verbis: Pag. 196.

„ Hìc autem præcipuus Pontifex Divinitus inſpiratus Baptiſterium, ubi „ ſupra conſpiciens, quia jàm præ nimia vetuſtate ruinæ proximum inerat, „ & quia anguſtior locus populo exiſtebat, qui ad Baptiſmum veniebat, „ idem Præſul à fundamentis ipſum Baptiſterium in rotundum ampla lar- „ gitate conſtruens in meliorem erexit ſtatum, atque ſacrum Fontem in „ medio largiori ſpatio fundavit, & in circuitu columnis porphyreticis de- „ coravit, & in medio Fontis columnam poſuit, & ſuper columnam agnum „ ex argento puriſſimo fundentem aquam, qui penſ. lib. decem & octo, „ & uncias decem. Huc uſque Anaſtaſius.

Franciſcus poſteà Urſinus Urbis Præfectus ſub Nicolao eundem Fontem dotavit in honorem Sancti Joannis Baptiſtæ. Turrigius MS.

Hac autem noſtra ætate eo Cœmeterio, ac Fonte omninò diruto, aliquot earum aquarum ſcaturigines Urbanus VIII. in Fontem corrivavit propè areæ Vaticanæ porticum, & tandem ſub Innocentio X. repertæ cum antiquo aquæductu in pulcherrimum Fontem congeſtæ ſunt, eidemque Liberium Pontificem populum abluentem in marmore exſculptum addidit, ne tantæ rei memoria aboleretur cum hac inſcriptione:

AQUAM VATICANI COLLIS
INCERTO OLIM A CAPITE DEERRANTEM
A BEATO DAMASO INVENTA SCATURIGINE
AD LAVACRUM NOVAE GENERATIONIS,
IN FONTEM CORRIVATAM
RURSUS AMISSAM
INNOCENTIUS X. PONT. MAX.
CONQUISITAM, REPERTAMQUE,
AC MIRE PROBATAM
FONTI RECENS EXTRUCTO RESTITUIT
UT IN URBE AQUIS PEREGRINIS
AFFLUENTE
AEDES VATICANAE SUAM HANC HABERENT
GEMINA SALUBRITATE GRATIUS
HAURIENDAM
ANNO DOMINI MDCXXXXIX.
PONTIFICATUS SUI V.

Extat hìc Fons in primo atrio Vaticani Palatii in porticu cubiculis à Gregorio XIII. extructis ſubjecta.

Fons itaque à Beato Damaſo reſtitutus in Vaticana Baſilicâ permanſit uſque ad tempora Nicolai V. Cùm autem Julius II. veteri Baſilicâ diſiecta, novam cæpit extruere, ſacros Baptiſmatis latices tranſtulit in Oratorium Sancti Thomæ à Pontifice Symmaco ædificatum, quod ſub numero 4. indicatur in noſtra Tabula ichnographica pag. 28. quæ Aediculas, & Ora-

In Rom. ſubterran. lib. 2. c. 10.

toria propè Baſilicæ parietes variis temporibus excitata repræſentat. Ejus Fontis iconem Lectori inſpiciendam obtulit Arringus, ubi hæc habet:

„ In Oratorio Sancti Thomæ extabat ſarchophagus marmoreus, ſacris „ undequaque Apoſtolorum imaginibus inſculptus, qui tranſlatus à Tem- „ plo, quod Probi dicebatur, excitatum à Proba ejus uxore, cum à Nico- „ lao V. ad conſtructionem novæ Baſilicæ inchoandam diſiectum fuit, ſacro „ Baptiſmatis Fonte inſervivit. Hunc uſum quoque nunc præſtat (nempè „ anno 1645. quo Arringus ſcribebat) in novâ Divi Petri Baſilicâ, poſt-quàm à variis dimotus locis, demùm in Sacello, quod primum ad lævam ingredientibus occurrit, locatus eſt. In eo Sacello permanſit uſque ad annum 1694. quo ad oppoſitum Sacellum, ubi ſacrum Redemptoris è cruce pendentis ſimulacrum Fideles venerantur, tranſlatum fuit ob cauſam, quàm ſubiicio.

Salutares ſacri Baptiſmatis latices è marmoreo Probi ſepulchro hauriri ægrè ferebat Illuſtriſs. Præſul Joannes Carolus Veſpinianus Vaticanæ Fabricæ Generalis Oeconomus, & à ſecretis Sacræ Congregationis ſuper illa deputatæ. Videbat enim in Baſilicâ cæterarum Principe Pontificum cadavera pretioſis in urnis, jure quidem, condita, quas ænea, deaurataque ſigna condecorant. Vivificum verò Fontem, in quo luſtralibus aquis infantes abluti à Divino Sanguine vitam ſuſcipiunt, in ſaxo haud valdè pretioſo, & humili in loco jacente reconditum. Deperdita quoque meritò deplorabat antiqui, celeberrimique Fontis veſtigia, è quo in veteri Baſilica magna cum ſolemnitate à Pontificibus ipſis ſuſcipiebantur pueri; dedecere inſuper, ajebat, ſacrum Baptiſmatis Fontem in Laterano magnificentiùs extructum à Conſtantino Imperatore, quàm in Vaticana Baſilica à Summis Pontificibus collocatum.

His, aliiſque rationibus ſua, qua pollet facundia Illuſtriſs. Vaticanæ magnificentiæ Promotor, piiſſimum Innocentii XII. animum induxit, ad Sacellum Baptiſmati deputatum exornandum, ut tanti Sacramenti Aquæ majori cum Religione in poſterum ſervarentur, earumque labrum cæteris Baſilicæ ornamentis non cederet. Ejus itaque rei curâ Illuſtriſs. Veſpiniano à Pontifice demandata, ſolertiſſimus quamvis Præſes, animo non parum hæſit, antequàm opus aggrederetur. Menti enim cupido inceſſerat magnum aliquid moliendi, quod & ſacrum Fontem deceret, & omnium admirationem evinceret. Quamobrem Equitis Caroli Fontanæ Vaticani Templi Architecti ferax ingenium titillans, ab eo nobilem aliquam Fontis ideam delineari curavit. Paruit Fontana ſtatimque formam Fontis expoſuit, in qua quatuor aderant ſimulacra, quibus totidem flumina è Fonte Terreſtris Paradiſi emanantia ad quatuor terrarum Orbis plagas irrigandas (ut habetur ex Geneſ. 2. *Et fluvius egrediebatur de loco voluptatis ad irrigandum Paradiſum, qui indè dividitur in quatuor capita*) jure quidem meritò exprimebantur; cum ſacrum Baptiſmatis Fontem quadripartito veluti effluvio totum in Orbem repurgandum Divina Pietas emiſerit, nullo prorsùs angulo excluſo, in quo homines, licèt rebelles, ac Divinæ gratiæ contemptores exiſtant. Placuit quamplurimis ab ingenioſo Architecto excogitata nobilis ejuſmodi Fontis idea. Illam tamen non ſacram, & venerabilem Baſilicam dedecere

non

non nemo exiſtimavit; Claſſicum propterea canere non deſiit, ne ejus fabricæ conſtructio amplecteretur, quàm in Pomariis, non in Templo aptiùs collocandam ajebat.

Aliqui præterea Architecto patrocinari conati ſunt, ingenioſis rationibus, quas Illuſtriſs. Veſpiniano obtulerunt, inter quos cordatiſſimi Viri, ajebant enim jure in Templo collocari poſſe ſimulacra, quæ Divina Myſteria, Virtutes, ac Beneficia mentibus Fidelium ſuggerunt: jure ſymbolis exprimi Cæleſtes Spiritus, ac Deiparam Virginem, jure Serpentem Moſaicum Redemptoris typum effingi; ità pariter flumina poſſe ſimulacris ſignificari, à quibus ſacri Baptiſmatis beneficium in mentes revocatur, de quibus ſacer Vates cæcinit: *Et flumina plaudent manibus*; quibus verbis S. Gregorius hæc ingenioſè ſubdit: *Flumina voces habent? manus habent? pedes habent?* Reſponditque cum Gloſſa interlineari: *Haberent occaſionem exultationis ſi ſenſum haberent, & hoc impletum eſt, quando Chriſtus medio ſuæ Sanctiſſimæ Carnis ſanctificavit aquas in Baptiſmate.* Quod ſi Fluminum iſtiuſmodi ſigna à Templis excludamus, proſcribendas etiam ajebant Columbarum, Turturum, & Agnorum icones, quas ab Ethnico repurgatas, ad ſacrum uſum Fideles tranſtulerunt.

Cum itaque hæc, aliaque permulta inter eruditos agitarentur, & Illuſtriſſimi Veſpiniani ſolertia veterum monumenta tùm ſacra, tùm prophana perluſtraret, ut labrum erueret, quod ſacris undis continendis par eſſet, ſeſe lapis porphyreticus objecit, qui in Cryptis Vaticanis penè ſepultus latebat ſarcophago ſuperimpoſitus, in quo Othonis II. Imperatoris oſſa ſervabantur, nempè ſub pavimento novæ Baſilicæ in parte ſiniſtra propè primam paraſtatam, cui fornix pavimenti innititur, ut demonſtrat in ſua tabula ichnographica Cryptarum Vaticanarum Benedictus Dreus Fabricæ Operarius impreſſa anno 1635. ex qua Eques Fontana num. 60. & in noſtra indicat numerus 64.

Nullum in Italia porphyreticum lapidem, huic magnitudine æquale inveniri poſſe affirmat Franciſcus Scottus in ſuo itinerario. Cui tamen ſubſcribendnm puto, ſi de longitudine ſermo fiat, non autem de tota ejus mole. Extat enim in Templo Divæ Conſtantiæ in via Nomentana Romæ extructo Mauſoleum è porphyrite vitibus, pampinis, uviſque, ac geniis ornatum, cujus exemplar affert Illuſtriſs. Ciampinus De Sacris Aedificiis pag. 131. additque Mauſoleum hoc amplitudine ferè illi Beatæ Helenæ æquale eſſe, quod in Eccleſia SS. Petri, & Marcellini ſervatur, de quo ipſemet loquens pag. 124. ait, *eſſe porphyreticam arcam quadratam, cujus facies in longitudine eſt palmorum* 12. *altitudo verò palmorum* 6. *laterum latitudo pal.* 8. *operculi altitudo palm.* 1. *unciarum* 5.$\frac{1}{2}$. *Reliquum denique operculi ipſius faſtigium eſſe palmorum* 3. Sed ad lapidem ſupradictum revertamur. Illum anteà fuiſſe in Adriana Mole Ponti Aelio proxima refert Benedictus Canonicus, & Petrus Mallius in opuſculo De Vaticana Baſilica, in qua Mole, ut narrat Dio, Adriani ſepulchrum conditum fuit, quod Procopius in primo de bello Gotico, his verbis deſcripſit [Adriani Romanorum Imperatoris
» ſepulchrum extrà Portam Aureliam extat jactu lapidis diſtans à Mœnibus.
» Primus ejus ambitus quadrati figuram habet, conſtat enim totus ex mar-

„ more pario, ſumma Artificum diligentia ædificatus. In medio verò
„ hujus quadrati rotunda moles aſſurgit excelſa altitudine, & tanta,
„ ut in ſuprema ejus parte area ſit, cujus diameter vix jactu lapidis tran-
„ ſigitur.

Apud Baron. to. 10. Cum autem Otho II. Imperator Sanctæ Mathildis frater anno 983. rediens Romam de bello Calabro, mærore confectus, mortuus fuerit, illum terræ commendatum fuiſſe ad introitum Orientalis Paradiſi Domus S. Petri affirmat Ditmarus lib. 3. Chronicorum, & Cæſareum Friderici I. diploma anno 1167. emanatum, quod in Templo Sancti Bartholomæi in Inſula Tyberis ſervatur, his verbis [Nono anno Imperii ſui Romæ moritur (Otho)
„ & antè Beati Petri Eccleſiam in concha marmorea honorificè humatur
„ anno ab Incarnatione Domini 984.] Hanc concham fuiſſe labrum hoc porphyreticum retulit Leo Oſtienſis, ubi ait: *In labro porphyretico ſepultus Otho in atrio Eccleſiæ Beati Petri Apoſtoli introeuntibus in Eccleſiæ ipſius Paradiſum ad lævam.* Quod certè ab aliis falsò edoctus ſibi ſuaſit. Othonis enim oſſa tempore Pauli V. cum antiqua Baſilica deſtrueretur anno 1609. in marmoreo ſarcophago à ſe viſa Grimaldus ejuſdem Vaticanæ Baſilicæ Archivi Cuſtos affirmat his verbis, quæ Turrigius de Cryptis Vaticanis ita recenſet [In demolitione atrii veteris Baſilicæ Sancti Petri in Vaticano, ob

Lib. 2. c. 9. Chronic. Caſſin.

Pag. 365.

„ novam, & auguſtiſſimam Templi frontem à Sanctiſſimo Domino Noſtro
„ Paulo V. à fundamentis ædificatam Othonis II. Imperat. ſepulchrum,
„ & corpus ejus repertum fuit in quadam marmorea arca humi ſepulta,
„ quæ tegebatur & ſub labro porphyrato. Arca marmorea, ubi erat cor-
„ pus, ſervit hodiè ad uſum fontis in primo atrio ſub Coquinas Palatii
„ Quirinalis, duabus imaginibus, unius Conſulis Romani, & ejus uxoris
„ ſculpta. Corpus Othonis in oſſa redactum erat. Fuit ſepultum cum dicto
„ labro ſub fornice novi pavimenti Baſilicæ, ibique hodiè 1618. 23. Apri-
„ lis ità notavi ego Jacobus Grimaldus, qui omnia vidi, & oſſa ſepulturæ
„ tradidi.

Verùm cum in Archivo Baſilicæ recognoſcerem Autographum Grimaldi hanc narrationem in aliquibus verbis diverſam inveni. In pagina enim 142. ſic ille ſua manu exaravit.

„ Die 20. Octobris 1610.

„ Hora noctis tertia cum dimidia, fuit amotum ſepulchrum Othonis II.
„ Imper. in modum arcuatæ arcæ magnificè factum, laminis quadris è
„ viridi lapide ornatum cum nobiliſſimo tegmine porphyretico, quod olim
„ Hadriani Imperat. monumento inſerviſſe Onuphrius Panvinius ſcribit.
„ Hodiè injuria temporum, & hominum ignorantia fractum cernitur, ſitum
„ in atrio veteris Vaticanæ Baſilicæ læva ſtatim ingrediendo. Quo ſublato
„ apparuit immediatè ſub eo nobilis arca marmorea humi condita, eaque
„ aperta, recepta ſunt indè oſſa corporis præfati Othonis II. Imperat. quæ
„ quidem oſſa honorificè in pilo marmoreo ſepulta ſunt ſub fornice pavi-
„ menti Baſilicæ illùc tranſlata, ac ſupra poſito tegmine porphyretico præ-
dicto.

„ dicto. Hæc arca marmorea, in qua ſculptæ ſunt imagines unius Conſulis, & uxoris à lateribus frontis, inſervit hodiè fonti Palatii Apoſtolici Quirinalis ſiniſtrâ ingreſſus inferioris atrii.

„ Ità Grimaldus.

Quæ dicta, ut clariùs innoteſcant, notandum eſt oſſa Othonis in aliam anguſtiorem marmoream arcam fuiſſe tranſlata, in qua adhùc ſervabantur in Cryptis Vaticanis, ſub eo labro porphyretico collocata.

Cæterùm Adriani ſepulchrum è tali lapide porphyretico formatum ab ejus Mole tranſlatum fuiſſe ad Baſilicam Lateranenſem, in eoque ſepultum Innocentium II. anno circiter 1143. referunt quamplurimi. In additione Floravantis Martinelli ad Ciacconium, ait Panvinius: *Sequebatur Altare quadraginta Martyrum, propè quòd fuit ſepulchrum Innocentii Papæ II. in pulcherrimo labro porphyretico antiquo, quòd incendio Eccleſiæ diſruptum, adhùc fractum extat antè fores Baſilicæ, quæ Septentrione verſæ ſunt.* Lib. de Baſil. Later. Sed Clariùs Ciacconius, qui tom. 1. pag. 976. loquens de ejuſdem Innocentii obitu [Corpus ejus (inquit) in Baſilica Lateranenſi poſitum „ labro porphyretico, quod in Mauſoleo Adriani fuerat, quòd poſteà eadem Baſilicâ incendio conſumpta loco motum, antè fores Baſilicæ confractum projectum fuit]. Hæc eadem retulit antè Ciacconium Baronius ad ann. 1143. his verbis [Legitur in codice Archivi Lateranenſis ipſum „ Innocentium ſepultum fuiſſe in eadem Baſilica in porphyretico mauſoleo, „ in quo olim ſepultus fuerat Hadrianus Imperator]. Tom. 12. pag. 192. Illud à ſe viſum teſtatur Petrus Mallius in opuſc. de Vaticana Baſilica poſt §. de dignitatibus Beati Petri Baſilicæ, ubi deſcribens ſepulchrum Hadriani ait: *In medio gyro fuit ſepulchrum porphyreticum, quòd nunc* (tempore ſcilicèt Alexandri III. cui dicavit opuſculum circa an. 1160.) *eſt Lateranis, in quo ſepultus eſt Innocentius Papa II. cujus coopertorium eſt in Paradiſo Beati Petri ſupra ſepulchrum Præfecti.*

De ejuſmodi ſepulchri forma nihil certi eruitur ex veterum monimentis. Operculum in Vaticano aſſervatum tantùm indicat ſexdecim palmorum longitudine fuiſſe extenſum, octo verò latum, angulis rectis in una extremitate abſolutum, in oppoſita verò arcuatum quatuor lateribus in ſuperficie productis, parumque elevatis in ſpeciem pyramidis. Ex hac forma Eques Carolus Fontana ob ſuam, qua pollet, peritiam, arguit ejuſmodi ſepulchrum fuiſſe primùm ab Aegyptiis exſculptum, Romam deindè tranſlatum. Aegyptii enim cum ignem pro Deo colerent, humana corpora illi conſumenda obiicere nefas cenſebant (ut affirmat Joannes Kirkmannus Lib 1. c. 2. De Funeribus Romanorum) ſepulchra proindè ampla, & ſpatioſa extruebant; Romani autem, ex Laertio in Pyrrhone, corpora mortuorum incendentes anguſta in urna cineres claudebant, qui ritus paulatim deindè exolevit, ſtrenuè laborantibus Chriſti-fidelibus, ut ex ſcriptis Tertulliani paſſim deprehenditur. Cum ergò Hadrianus juxtà Tyberim ſibi monumentum fieri curaſſet, eam arcam porphyreticam ab Aegypto tranſlatam, fortaſsè ſimùl cum Obelyſcis, tanquàm nobiliſſimum Regum Aegyptiorum monumentum,

tum, in excelſo, & exornato Mauſoleo, ſibi antè mortem excitato, collocavit. Verùm hæc probabili conjectura prolata, tanquàm certa non audeo affirmare.


Itaque repertum hujuſmodi ſepulchri operculum in Cryptis Vaticanis prudentiſſimo Præſuli Veſpiniano idoneum viſum fuit, nec alibi nobilius marmor reperiri poſſe, ad vas efformandum, quo ſacræ Baptiſmatis Aquæ continerentur. Ejus ſententiæ die 20. Maii anno 1693. annuit Sacra Purpuratorum Congregatio, cui Vaticanæ Fabricæ cura à Pontifice commiſſa eſt, ejuſdemque decreto è Cryptis Vaticanis ad Latomorum officinas tranſlatum fuit, ut ibi in porphyreticam concham efformaretur ab Equite Fontana delineatam. Verùm quia in decem partes diviſum antiquitùs fuerat, & earum maxima rursùs, cum amoveretur, in tres alias minores difracta fuit Operariorum incuriâ, arduum opus extitit, ob ſummam ejuſmodi lapidis duritiem, in illis ſimùl coaptandis, & ità firmiter conjungendis, ut integer quodammodò lapis evaderet, ad validiſſimos malleorum ictus retundendos. At ſolerti Architecto ars non defuit, qua opus materiem ſuperaret alioqui pretioſam. Trypanis enim cupreis, à ſe excogitatis, pertinaci labore circumactis, immiſtoque ſmiride cum oleo miſto duriſſimum lapidem pluribus in locis profundè terebravit; quæ foramina, ſi ſimùl unirentur, palmorum triginta duorum longitudinem efficerent. Cuneos deindè ferreos plumbo liquato in foraminibus obfirmatos ità belle aptavit, ut partes ſingulæ lapidis invicem coaptarentur, nec ulla in poſterum timeri poſſet fractura. Lapide ſic ritè præparato concham efformarunt collato ſtudio Latomi peritiſſimi, quorum alter vocatur Joannes Antonius Tedeſcus, alter verò Marcellus Pigerus, in eam formam, quàm in duabus ſequentibus
Fig. 41. & 42. Tab. 41. & 42. ab ipſo Fontana delineatam proferimus. Ejus onus dorſo ſubjecto ſuſtinent quatuor ænei Cervi, ſitim indicantes, qua Divinam gratiam in Baptiſmate hauriendam anhelare debent Cathecumeni, juxtà illud Pſalmi: *Quemadmodùm deſiderat Cervus ad fontem aquarum, ità deſiderat Anima mea ad te Deus*; quod fortaſsè, ut ſignificarent antiqui Baptiſmatis ritus in Laterano, dicitur in vetuſto codice rituali, relato ab Eminentiſs. Raſpono cap. 4. [Quòd Pontifex Sabbato Sancto cum ſacris indumentis, & pallio „ ad Fontem deſcendebat, unà cum Cardinalibus, Diaconis, Subdiaconis, „ Regionariis, Litanias interim modulantibus, Primicerius verò cum „ Schola Cantorum Reſponſorium canebat, cujus initium eſt: *Sicut Cervus* „ *ad fontes &c.*] Circumſtant Cæleſtium Aligerum ſimulacra, quorum aliqui ad ſacra peragenda Myſteria Baptiſmatis ſuum offerunt famulatum; alii verò Divinam pietatem ergà Genus humanum in Vitalibus undis admirantur veneradundi.

Hæc omnia ad ornatum Fontis effinxerat Fontana, verùm aliam ejuſdem ideam cæteris pluribus antepoſuere Vatic. Fabricæ Præſides, quàm diligenti
Fig. 43. ſcalpro inciſam hìc exponimus in Tab. 43. Concham ſcilicèt porphyreticam ſupra baſim pariter porphyreticam inſidentem, cui tres gradus ſubjacent è marmore badio, quod vulgò dicunt *Lumachella*. Eam baſim quatuor ænea Cherubinorum capita exornant, qui alas, concham verſus extenſas, ejus ponderi ſubſtinendo videntur offerre. Supra concham operculum eminet

æneum

TABVLA 41.


IDEA FONTIS PRO BAPTISMATE
AB EQVITE CAROLO FONTANA CONCEPTA



Hieronymus Frezza incidit

TABVLA 42.


ALIA FONTIS DELINEATIO
EIVSDEM AVCTORIS



Hieronymus Frezza incidit

TABVLA 43.

VAS PORPHYRETICVM PRO SACRO BAPTISMATE ÆREIS AVREISQVE ORNAMENTIS DECORATVM



Petrus San. Bartolus incidit

æneum deauratum, illique inſidet Agni ſimulacrum Salutis humanæ Reparatorem indicantis, è cujus pretioſis vulneribus Divinæ gratiæ fontes uberrimi in Orbem totum emanarunt. Adjecto ſub eodem Agno rotundo numiſmate à duobus puellis ſubſtentato, in quo Divinarum Perſonarum Sanctiſſima Trinitas exprimitur. Sudant adhùc Artifices in tam nobili concha perficienda; Sacellum verò, ubi collocabitur, pretioſo, & variegato lapide exornant. In fronte ejuſdem Sacelli ex muſivo exprimetur JESUS in Jordane à Divo Joanne aquis ablutus, quem inſignis noſtri ævi Pictor Carolus Maratta modò depingit, & Deo dante, ſub glorioſis Innocentii XII. auſpiciis omnia feliciter perficientur.

Tholus autem antè veſtibulum hujus Sacelli imminens nudum parietem habet, muſivo quamprimùm decorandum ex delineamentis Joannis Baptiſtæ Gaulli Genuenſis hujus ætatis Pictoris celeberrimi.

Inter ſex ultima Sacella hùc uſque relata ampliſſima patent ſpatia januarum inſtar, iter præbentia, & binis magnis columnis hinc indè collocatis exornata. Navim maximam cum teſtudine magnificam roſis, aliiſque plaſticis ornatibus, penè totis auro obductis Carolus Madernus, & Martinus Ferraboſco condecorarunt ſub eodem Paulo V. cujus gentilitium ſtemma in medio fornice muſivo opere appinxit Marcellus Provenzalis, ut alibi indicatum eſt. Martinellus De Sept. Eccleſ. pag. 24.

Pavimentum è variis marmoribus compoſuerunt Hieronymus, & Nicolaus de Nagona, Auguſtinus Barbadonus, & alii, ſicuti ſub Clemente VIII. reliquam partem Templi multicolori marmore circumtexerunt alii. Hæc omnia cum pariete porticum à Templo dividente Paulus V. extruxerat; quibus Urbanus deindè VIII. & Innocentius X. ornamenta addiderunt. Eorum deſcriptionem conſultò in præſentiarum ommittimus, commodiùs alibi offerendam. Jacobus Laurus in Splendore Urbis.

Non tamen ommittendum opus Jotti muſivum Divi Petri Naviculam repræſentans, quod magno parieti ſupra Templi januas extanti Urbanus juſſit apponi, apertis ex utroque latere feneſtris, quà paries intrà arcuati fornicis curvaturam altiſſimè expanditur, de qua Navicula aliqua obiter ſubteximus, quæ ſtudioſo Lectori Eccleſiaſticarum rerum antiquitatem perſcrutanti acceptiſſima forè non dubitamus.

Videbatur igitur hæc Navicula in atrio quadriportico ſupra januas ad Orientalem plagam apertas, muſivo opere adeò eleganter compacta à Jotto ævi ſui Pictore celeberrimo, ut duris lapillis mirùm in modum exprimeretur humor aquæ, & immobilis alioqui Navicula fluctu, flatuque videretur agitari, Petrus in undis pedem figere, ſed modica undarum fide, quippè incipientem mergi ſublevabat Liberatoris manus, vento imperantis, & Mari. Jotto laboranti operam ſuam addidit Petrus Cavallinus Romanus, & eximius Pictor, expenſis Jacobi Cajetani de Stephaneſcis Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalis, & anteà ejus Baſilicæ Canonici, ut refertur in codice Archivi Sancti Petri, cujus verba refert Turrigius in Cryptis Vaticanis pag. 162. & Illuſtriſſimus Ciampinus De Sacris Aedificiis pag. 77. ſic: Vaſar. par. 1 pag. 84.

» [In Paradiſo ejuſdem Baſilicæ de opere muſaico hiſtoriam, qua Chriſtus
» Beatum Petrum Apoſtolum in fluctibus ambulantem, dexterâ ne merge-

retur

„ retur erexit, per manus ejuſdem ſingulariſſimi Pictoris fieri fecit, pro „ quo opere duo millia, & ducentos florenos perſolvit.

De veter. ſac. Chriſt. ritu cap. 3. Refert eruditiſſimus Caſalius, à Cardinali Stephaneſco hanc Jotti picturam poſitam fuiſſe in atrio ad avertendam omnem idololatriæ ſuſpicionem, eo quòd ſibi ſuaſit, ritum vertendi ſe ad Orientem fuiſſe obſervatum in atrio Sancti Petri. In eadem ſententia fuit Severanus pag. 55. ubi ſic ait italico ſermone [Dicono, che foſſe poſta in quel luogo, perche erano ſoliti „ quelli, che venivano à San Pietro, quando havevano ſalite le ſcale, entrando nell'atrio rivoltarſi, e fare orazione verſo l'Oriente; e perche ciò „ pareva ſuperſtizione, ſi procurò far dipingere quella Navicella con l'imagine di Noſtro Signore, acciò, voltandoſi verſo quella parte, ſe gli rap- „ preſentaſſe il vero Oriente, che doveva eſſere adorato]. Quod verò antiqui Fideles, antequàm Vaticanam ingrederentur Baſilicam, ad Orientis plagam converſi Solem adorarent (quippè Sol Oriens ſummo mane Vaticanæ Baſilicæ faciem reſpicit) Manichæorum morem ſectantes, qui hujuſmodi prophanum ritum ſervabant; licèt Fideles Solem adorando, naſcentem Chriſtum adorare, præſertim Natalis Domini die, exiſtimarent, indicat

Serm. 7. de Nativitate cap. 4. Sancto Leo his verbis [Quod nonnulli etiam Chriſtiani adeò ſe religiosè „ facere putarent, ut priuſquàm ad Beati Petri Apoſtoli ad Baſilicam, quæ „ Uni Deo vivo, & verò eſt dedicata, perveniant, ſuperatis gradibus, „ quibus ad ſuggeſtùm areæ ſuperioris aſcenditur, converſo corpore ad „ naſcentem ſe Solem reflectant, & curvatis cervicibus in honorem ſe „ ſplendidi Orbis inclinent. Quòd fieri partim ignorantiæ vitio, partim „ Paganitatis ſpiritu, multùm tabeſcimus, & dolemus]. Non tamen prohibere voluit ſapientiſſimus ille Pontifex orationem fieri à Fidelibus Orientem reſpicientibus: ſciebat enim Priſcorum Patrum dicta, ſed voluit pravum Manichæorum ritum avertere, & idololatriæ ſuſpicionem. Hanc ob eamdem cauſam putant ſupradicti Auctores, Cardinalem Stephaneſcum poſuiſſe in pariete picturam muſivi operis à Jotto compactam. Verùm alia

Roma ricercata giornata 1. pag. 19. de cauſa illam inibi fuiſſe poſitam, ſuggerit Floravantes Martinellus, qui „ ait [Queſta Navicella d'ordine del Pontefice Innocenzo IV. da Jotto „ Pittore fù fatta fare l'anno 1340. nell'atrio della Baſilica Vaticana, con- „ tro il barbaro deſiderio di Federico II. Imperatore, al quale ſcriſſe il Pon- „ tefice:

Niteris in caſſum Navem ſubmergere Petri,
Fluctuat, at nunquàm mergitur illa Ratis.

Fol. 451. Ut Renatus Laurentius de Barre animadvertit in quadam annotatione Tertulliani ad Scapulam. Decipitur tamen Martinellus: vixerat enim Fridericus uſque ad annum 1250. quo tempore adhùc vivebat Innocentius IV.

Ciacc. to. 2. pag. 325. & navem ſupradictam in quadriportico Jottus compoſuit anno 1300. ſub Bonifacio VIII. juſſu prædicti Cardinalis Jacobi Cajetani de Stefaneſcis ejuſdem Bonifacii ex fratre nepotis, appoſitis carminibus, vermiculato pariter opere expreſſis, quæ Jacobus Grimaldus ab Archivo Divi Petri recenſuit:

Quem

Quem liquido pelagi gradientem ſternere fluctu
Imperitas, fidumque regis, trepidumque labantem
Erigis, & celebrem reddis virtutibus almum,
Hoc jubeas rogitante Deus contingere portum.

Non quidem, ut prophanum ritum Fidelium averteretur, adorantium naſcentem Solem, antequàm Baſilicam ingrederentur, ſed ut Atrio quadriportico, quod ob venuſtatem Paradiſum nuncupabant, nova ornamenta adderentur, & Divi Petri cultus novis picturis augeretur. Hanc ſuſpicionem menti ingerit ſagaciſſima Illuſtriſs. Ciampini adnotatio, quàm in fine Opuſculi de Correctione vocis inveni, ubi damnat ſupra laudati Caſalii ſententiam, opinantis ritum hunc vertendi ſe ad Orientem à Fidelibus fuiſſe obſervatum in atrio Sancti Petri; quoniam hujuſmodi ritus obſervabatur extrà porticum in ſcalarum ſummitate, antequàm porticum ipſam Fideles ingrederentur, quod manifeſtè patet ex verbis ipſis Divi Leonis ſuperiùs allegati, Ibid. cap. 4. ubi ſic loquitur: Quod nonnulli etiam Chriſtiani adeò ſe religiosè facere putant, *ut priuſquam ad Divi Petri Apoſtoli Baſilicam, quæ uni Deo vivo & vero eſt dedicata, perveniant, ſuperatis gradibus, quibus ad ſuggeſtum areæ ſuperioris aſcenditur, converſo corpore ad naſcentem ſe Solem reflectant*. Si ergò ſuperatis gradibus priuſquàm ad Baſilicam pervenirent, ad *naſcentem Solem ſeſe reflectebant*, profectò in area ſuperiori, non in atrio ubi navis apparebat. *Area* enim planitiem illam ſignificat, quæ in ſcalarum ſummitate inveniebatur, à Divo Leone *areæ ſuggeſtum* appellatam.

Si tamen Baronio fides danda eſt, dicamus oportet morem illum convertendi ſe ad Solis ortum, obſervatum etiam fuiſſe in atrio Paradiſi, ubi antequàm Navicula Jotti apponeretur, ab anno ſcilicèt 983. extabat imago Chriſti Domini, quàm Fideles ad Orientem Solem converſi venerabantur Illam refert Ditmarus in Chronicorum lib. 3. relatus à Baronio ad ann. 983. Tom. 10. his verbis, loquens de ſepulchro Othonis II. Imper. [Hac luce Otho ſub-
„ tractus eſt, terræque commendatus ad introitum Orientalis Paradiſi Do-
„ mus Sancti Petri, cunctis patet Fidelibus, & imago Dominica honora-
„ biliter formata venientes quoſque ſtans benedicit]. Quibus addit Baro-
„ nius [Perſeverat adhùc (intellige anno circa 1600. quo Baronius ſcri-
„ bebat) imago illa veneranda Salvatoris ſtantis & introeuntes benedicen-
„ tis, habens à dextero latere imaginem Sancti Pauli à ſiniſtris imaginem
„ Sancti Petri, omnes ex muſivo antiquitùs efformatas. Perſeverat adhùc
„ uſus ille antiquus, ut qui ingreditur dictum atrium, quod (ut audiſti)
„ Paradiſus antea vocabatur, genuflectens Orientem verſus oret, non ut
„ Solem adoret Orientem, ſed ut ab eo, qui repræſentatur in imagine
„ benedicente, ab ipſo inquàm Salvatore benedictionem accipiat].
Hactenùs Baronius.

Hanc igitur Navim Paulus V. è diruta penitùs quadriporticu, à Marcello Provenzali Pictore refici juſſit, & anno 1617. die 24. Auguſti Balleonus pag. 349. transferri ad parietem in parte dextera collocatum juxtà Palatium Pontificium ſupra fontem, ubi nunc ſunt feneſtræ ambulacrum illuminantes, Turrigius pag. 161. per quòd ad Scalas Regias itur, cum hac inſcriptione:

PAVLVS V. PONT. MAX.

Naviculæ ſacrum monumentum ex ruinis atri Vaticanæ Baſilicæ ſervatum poſuit, & ornavit anno Sal. MDC XIIX. Pontif. XIIII.

Sed Urbanus VIII. Templo, eidemque ferè, ubi ſemper fuerat, loco reddi juſſit die 20. Junii 1629. & ſupra majorem Templi januam collocari, ut docet inſcriptio appoſita in Templo Patrum Cappuccinorum Immaculatæ Conceptioni Beatiſſimæ Virginis erecto ab Antonio Barberino Card. Sancti Honuphrii Urbani VIII. germano fratre, ſub exemplari ejuſdem Navis coloribus expreſſo, videlicèt:

Hujus Picturæ exemplar, quòd antè annos 310. à Jotto Florentino celebri Pictore, opere muſivo elaboratum eſt, Vrbanus VIII. Pont. Max. ex area Vaticana in Baſilicam Principis Apoſtolorum tranſtulit anno Salutis 1629.

Pag. 162. Refert Turrigius die 31. Auguſti fuiſſe recondita ſub eadem Navicula octo numiſmata, ſub Urbano cuſa, octo inſuper alia die 2. Octobris, quorum aliqua Portæ Sanctæ aperitionem referebant, aliqua Sancti Andreæ Canonizationem, alia demùm Arcem Adriani ab ipſomet Urbano munitam, ſed rursùs ex eo Templi loco in atriolo, quòd antè portam Palatii Vaticani erat, eminenti in loco poſuit; demùm ablatam ab Alexandro VII. occaſione Scalarum, ac penè dirutam, Eminentiſs. Cardinalis Franciſcus Barberinus ſacrarum Antiquitatum cultor, ne penitùs periret, ad antiquum exemplar conſtrui curavit, & in porticu collocavit ſupra medianam portam antè faciem Baſilicæ, ubi nunc extat. Et hæc de Beati Petri Navicula innuiſſe ſufficiat.

Antequàm è Baſilica diſcedamus, ſacram Beati Petri æneam Statuam inſpiciamus, quàm in latere aquilonari juxtà majorem paraſtatam Fideles venerantur, oſcula dantes ejus pedi dextero, cui etiam in obſequii argumentum capita ſubmittunt. Hæc Statua ejuſdem Apoſtoli feſto die pluviali, mitrâque aurea ornatur, ut olim apud antiquos Fideles ſimilem aliam marmoream ſtatuam ornandi mos erat. De illa Turrigius brevem habet narrationem in fine Opuſculi, cui titulus *I Sagri Trofei Romani*, ubi affirmat eam fuiſſe conflatam ex ænea ſtatua Jovis Capitolini juſſu Leonis Summ. Pontif. poſtquàm Roma Sancti Petri patrocinio ab Attilæ minis incolumis evaſerat. Servabatur olim in Monaſterio Sancti Martini Baſilicæ Vaticanæ proximo, ex quo tranſlata fuit ad Oratorium SS. Proceſſi, & Martiniani, ut refert Maffæus Veggius, loquens de ipſo Sancti Martini Monaſterio his verbis: *Erat ſanè Oratorium ipſum ſummæ apud omnes devotionis, maximè, quòd eſſet poſita in eo imago ænea Sancti Petri, tranſportata poſtmodùm ad aliud Oratorium SS. Proceſſi, & Martiniani.*

Ciamp. de ſacr. ædific. pag. 57.

Lib. 4. de rebi antiqu. Baſil.

Tempore

Tempore deindè Pauli III. ab eo Oratorio SS. Martyrum tranſlata iterùm fuit ad Altare extructum propè parietem, quo Baſilica vetus à nova dividebatur. Demùm à Paulo V. propè Sacellum Gregorianum collocata. Qui plura deſiderat conſulat Torrigium. Pag. 150.

CAPUT XXIII.

De Cathedra Beati Petri ab Alexandro VII. exornata.

DICENDUM modò eſt de lignea Beati Petri Cathedra, quàm Eques Berninus ſub majori Apſide, inter ſepulchra Pauli III. & Urbani VIII. collocavit ſplendidiſſimo cum ornatu, cujus foliata celamenta Joannes Paulus Schor elaboravit, ex juſſu Pontificis Alexandri VII. cujus Numiſma, anno 1663. cuſum, magnificum illud opus repræſentat, addito lemmate: PRIMA SEDES, FIDEI REGULA, ECCLESIAE FUNDAMENTUM; quo tres Divi Petri Cathedræ præcipuas prærogativas ſapientiſſimus Pontifex indicavit, non quidem Cathedræ ligneæ, ſed Pontificiæ Auctoritatis, & Dignitatis Apoſtoli Petri, tranſmiſſæ ad Succeſſores ejus in Romana Sede, quæ tali nomine intelligitur. Copioſa enim ſeges titulorum Romani Pontificis, quæ ſuppeditatur à multis elogiis, quibus Concilia & Patres, ac probati Doctores decorant Sedem Apoſtolicam, vel Cathedram Beati Petri, omnia illa cadere directè, & immediatè in Pontificem, etiamſi metonymicè *Continens* pro *Contento*, & *Sedes*, ac *Cathedra* pro *Sedente* uſurpentur, notat Raynaudus. Hæc porrò fuit Sedes Beati Petri, quàm, ut generalis Paſtor, tenuit ad mortem uſque pro Chriſto obitam. Quod adeò exploratum eſt apud Antiquos, ut effrontes plenè eſſe oportuerit, aut pueros, & quidem pueros ſtultos, ut ait Canus paucos Sectarios, qui id inficiari tentarunt, nempè Velcinum, quem Roffenſis confudit, & Sebaſtianum Francum, ac obſcuros quoſdam Anglos apud Sanderum; at luculentam de his diſſertationem hìc ponere, ab inſtituto noſtro alienum eſſet, quo magnifica tantùm opera in ornamentum Vaticanæ Baſilicæ à Pontificibus patrata, & à Numiſmatibus indicata recenſere ſtatuimus, relicta Lemmatum, ac ipſorum Numiſmatum uberiori elucubratione, quàm in cæterorum Numiſmatum Serie, juxtà noſtrarum virium tenuitatem, Deo favente, conabimur exponere.

Raynaudus in prænot. 3 de titulis Pontif.

6. de locis cap. ult.

Lib. 3. de clave David cap. 2.

Hìc ergò ſermo eſt de Cathedra, ſeu lignea Sede, in qua primus omnium ſedit Epiſcopus Petrus, deindè qui ei ſucceſſerunt in ea ipſa, in qua Petri Succeſſores permanſiſſe credendum eſt, quæ Cathedra perpetuò fuit in Vaticana Baſilica, atque in ea ſumma veneratione ſervatur, & colitur. Quæ nàm fuerit origo ejus incertum eſt. Notat Franciſcus Maria Phœbeus in luculenta diſſertatione, quam ſcripſit de identitate, atque antiquitate Cathedræ Romanæ, Baronium, Panvinium, Ciacconium, alioſque Auctores, qui de Vaticana Cathedra accuratè ſcripſerunt, nec verbum quidem feciſſe; quapropter prudenti argumento ductus aſſerit eam à Pudente Senatore,

Pag. 16.

Acta SS. Praxed. & Novat.

tore, qui Apoſtolum Romam venientem domi excæpit, Petro fuiſſe oblatam, ut in ea ſedens Pontificia obiret munia, & Romanos Cives Chriſti Religionem doceret, Domumque in Eccleſiam conſecraret, quæ procedente tempore Paſtoris titulo inſignita fuit. In more autem poſitum erat apud Antiquos, ut fidei magiſtri ſedendo diſcipulos docerent, ut advertunt Sacræ Scripturæ Interpretes ad illud, *ſupra Cathedram Moyſi ſederunt Scribæ, &c.* Matth. c. 23.

Quod ea ſit, in qua Princeps Apoſtolorum ſedit Cardinalis Baronius in not. ad Martyrol. 18. Januarii ex miraculis ad illam patratis, quæ irrefragabilis probatio hujus Cathedræ identitatem demonſtrat, arguit, ubi ait: „ [Quid mirùm Apoſtolorum verticis Cathedram fuiſſe diligentia conſervatam, ipſa etenim, qui ſupra ſe ſederit, virtute miraculorum prædicat, „ in ligno arido viridem gratiam curationum conſecuta, cum per eam „ Deus divinam opem implorantibus beneficia præſtare non deſinat]. Narrat Petrus Mallius, & Severanus apud Turrigium, aliquando in flammis illæſam permanſiſſe conſumpta capsâ, in qua condebatur, tempore Alexandri Papæ II. Quibus alia accedunt ab antiquitate deprompta monumenta, videlicèt, illam propè Beati Petri Corpus olim conditam, indèque erutam fuiſſe, ut Michael Lonigus, ſacrarum olim Cæremoniarum Magiſter, Vir Eccleſiaſticæ Hiſtoriæ peritiſſimus in ſuis eruditis MS. teſtatur. Solebant enim antiquitus Epiſcopos cum ſuis ſimùl cathedris ſepelire, qui ſepeliendi uſus comprobatur facto Sancti Stephani Papæ, de quo Baronius ex actis Martyr. *Sepelierunt Corpus ejus cum ipſa ſede ſanguine ejus aſperſa in eadem Crypta, in loco, ubi dicitur Cœmeterium Caliſti.*

De ſacris troph. pag. 120.

MS. aſſerunt in Biblioth. Barberin.

Tom. 2. ad an. 260. n. 4.

Secundò, quòd ſedes ligneæ, quibus Apoſtoli inſediſſent, ſumma diligentia cuſtoditæ fuerint ab Antiquis in memoriam Apoſtolicæ prædicationis, qua ex errorum tenebris ad lucem divinam evecti fuerunt. Hoc itidem notat Baronius. Et ſedem, cui primus Hieroſolymæ Epiſcopus Jacobus inſedit, uſque ad Conſtantini tempora integram eſſe ſervatam Auctor eſt Euſebius lib. 7. cap. 17. Hæc ligni materia ſcrupulum injecit Calvino Hæreſiarcæ, qui dubitavit de Cathedræ identitate, quam putat non potuiſſe tanto tempore conſervari, & ideò quaſi rem vanam, & commentitiam irridet, ac ſi Crux Domini lignea non eſſet, Cunabula inſuper ejuſdem, Salvatoris imago, & plurimæ antiquiſſimæ Sanctorum jcones in tabulis depictæ, quæ in hunc uſque diem diverſis in locis cuſtodiuntur.

Tom. 1. ad an. 45. n. 11.

Alia non minoris momenti ad fidem dictis faciendam conſulto omittimus, ne longiùs, quàm par eſt hæc diſſertatio protrahatur. Supereſt ut aliquid de forma ejus attingamus. Onuphrius Panvinius ſic eam deſcripſit: „ [Ea Cathedra lignea eſt, emblematibus, & quibuſdam eburneis ſigil- „ lis ornata antiquitatem ipſiſſimam adhùc redolens, quæ perpetuò pro „ Petri Cathedra in Eccleſia illa venerata fuit, maximum ſupremæ digni- „ tatis Baſilicæ argumentum]. Panvinio accedit Jacobus Grimaldus, qui in Tab. Reliq. Baſil. Vatic. ſic inquit [Ornatur eburneis phrygiis duorum „ digitorum latis, ad flores, & homines, & animalium capita elegantiſſimè „ ſculptis, frons tota quadratum continet, pulchris operibus eburneis arti- „ ficiosè cælatis, & auro ſegmentatis pariter decoratur]. Franciſcus Maria

MS. de rebus memorabil. Baſil. cap. 4.

Sac. troph. pag. 122.

Torri-

Torrigius de illâ agens italico idiomate ſic ſcripſit [Queſta veneranda
„ Sedia (come da me adì 5. di Marzo 1637. fù miſurata, & in ogni
„ parte oſſervata, e conſiderata) è nella forma, che quì deſcrivo: D'avanti
„ è larga palmi quattro; & alta trè e mezzo. Da' lati larga poco più di
„ due palmi e mezzo, di dietro con l'appoggio alta palmi ſei; è fatta à
„ colonnette, & archi tutta di legno: dette colonnelle ſono alte un palmo
„ e due oncie, e gli archetti due palmi e mezzo: dinanzi ſonovi intagliate
„ dicidotto iſtorie di avorio, con finiſſime eſquiſitezze, lavorate con
„ lavorini ſottiliſſimi di ottone; intorno ſono di rilievo baſſo molte figu-
„ rette di avorio; nell'appoggio è groſſa quattro deta, e perche per l'anti-
„ chità andava mancando, fù cinta di cingolo di ferro, e di alcuni legni].
Sed Torrigium, quamquàm accuratè omnia obſervaverit, in ornatu Cathedræ deſcribendo deceptum eſſe, ait Phœbeus; nàm quidquid ex auricalcho conſtare putavit, eſt ex auro puriſſimo, uti re ipſa, juſſu Sanctiſſimi Domini Noſtri Alexandri VII. veritatis, & antiquitatis indagandæ ſtudioſiſſimi, à viris peritis accuratè examinatum, compertum fuit. Pag. 69.

De his eburneis ornamentis ità cecinit Ambroſius Novidius à Torrigio relatus: Pag. 568. ad append. ad ſacras Crypt.

Interea patris ſignatur ſella figuris
Undè modò huic ſignis ſculptile ſubſtat ebur.
Claviger Alcides, & Petrus Claviger ipſe
Magnus uterque animo fortis, uterque manu.
Hinc ne vana putent Patres ætaſque ſequentum
Sella tulit piſces, Herculis haſta tulit.
Sed mutata vides, nec ſunt conformia primis
Singulus ad Sedem ſingula ſigna refert.
Auget honor cultum, ſemperque augebit in annos
Signarique placet facta, ſed indè manent.

Dubitant aliqui de identitate Cathedræ hac potiſſimùm ratione moti, quòd Herculis, prophani apud antiquos Numinis, & monſtrorum domitoris, icunculas, præſeferat, quas Religioni Chriſtianæ, & Petri Sanctitati alienas inquiunt. Verùm ipſæmet falſi Numinis monſtra domantis imagines, ſive fuerint initio Cathedræ affixæ, ſive deindè ornamenti cauſa, divinam virtutem in Petro nobis repræſentant, qui Herculis inſtar falſorum Deorum monſtra miraculis, & doctrina fæliciſſimè confecit. Hæc omnia eleganti carmine explicavit P. Honoratus Fabri Societatis Jeſu Scriptor eruditiſſimus in extemporanea MS. gratulatione ad Alexandrum VII. pro collocatione in throno gloriæ ab ipſo facta, quàm mihi dignatus fuit communicare Eminentiſs. & Reverendiſs. Cardinalis Nerlius, in qua ſic loquitur, Alcidis ſculpturas admirans:

Horre-

Horreſcis? Petri germanam fabula Sedem
Non decet, ajebas, & res tàm ſacra prophano
Ornamentorum luget, non gaudet amictu;
Siſte precor, ſincera placent emblemata divis;
Atque in res ſacras pulcherrima ſymbola quadrant,
Sic vates, ſacri Calices, & Templa loquuntur
Signorum quondam variis ornata figuris;
Hìc Cervus mulcere ſitim, diſcernitur illic
Paſcit Ovis, Delphin mediis hìc ludit in undis,
Et Turtur gemit, hìc demùm volat alta Columba,
Symbola quæque ſuis veniunt aptiſſima rebus,
Res verè geſtas doctiſſima fabula narrat,
Atque hæc ſymbolicis ætas addicta figuris,
Ingenioſa Petri res & miracula finxit.

Deindè poſt multa ingenioſè exarata de tali Cathedra concludit his verbis: *Quam*

Magnus Alexander, quem ſolùm grandia, & ampla
Sanguine, & ingenio recreant, condigna, locavit
Nobiliore throno, quàm multò marmore, & ære,
Fulgentique auro cumulatam lumine cinxit
Arte nova, & ſimili forma ſuperante metallum
Sumptibus immenſis, antiqua recentia cuncta
Huic cedunt operi, res tantò Principe digna
Nomine utrinque pari Romanæ gloria ſedis.

Phœbeus pag. 45. & 26. Habet inſuper in utroque latere duplicia manubria ferrea, haſtis portatilibus immittendis appoſita, ad eum uſum facta, quem tradit Juſtus Lipſius imperante Claudio primùm in Urbem invectum: ſiquidem ejus tempore ſella geſtatoria utebantur cum ferreis manubriis, per quæ Bajuli contos immittebant, iiſque conſiſtentem humeris portabant apud Romanos Ethnicorum Pontifices Maximos, qui certè honor majori cum ratione Chriſtianorum Pontifici Petro, ac Chriſti Vicario fuit delatus, ut colligitur ex Anaſtaſio, Ciacconio, aliiſque in vita Stephani II. citatis à Phœbeo.

Lib. 1. elect. cap. 19.

Pag. 24. & ſeq.

Rationibus, & prærogativis hactenùs indicatis, maxima ſemper veneratione habita eſt hæc Divi Petri Cathedra. Ritumque vigebat vetus mittendi Neophytos recens baptizatos ad Cathedram Petri venerandam, ut colligitur ex verbis Sancti Leonis Papæ, ubi ait: *Quoniam Petrus, qui in propria Sede vivit, & præſidet, præſtat quærentibus fidei veritatem*, nempè quaſi ab ea fidei veritatem quæſituros. Eadem pietate inducti mille & quingentorum annorum curriculo Chriſti-fideles, eam inter Sanctorum reliquias ſervatam venerati ſunt, ejuſque ſolemnem diem feſtum Pontificia diplomata ſanciverunt. *Erat antiquitùs in Baſilica Vaticana tertium delubrum* (ut loquitur Panvinius) *& Altare proximè fuit Sancti Adriani Papæ, in quo ſervabatur Cathedra Sancti Petri Apoſtoli*; pag. verò 55. eam inter reli-

De Sept. Eccleſ. pag. 41.

quias

quias recenſet. Jacobus Grimaldus in tabulario Reliq. Baſil. Vatic. hæc adnotavit de loco, in quo ſuo tempore Cathedra ſervabatur: *In Tabernaculo, quod extat in Cappella veteris Baſilicæ SS. Servatii, & Lamberti, ac ſacrarum Reliquiarum ex latere Evangelii in medio parietis, ſuis portis recluſo, intùs ſerico panno rubro ex parte poſteriori cum vexillo S. Hyacinthi tecto religiosè cuſtoditur Cathedra, in qua Petrus Apoſtolorum Princeps primùm Romæ reſedit, nobili tegumento ex auro, & ſerico ad flores magnos rubros criſpante auro cum imaginibus Sixti IV. tota contegitur.*

De hoc panno aureo Raphael Volaterranus hæc habet in ſuis Diariis „ [Die 2. Februarii. Pontifex (Sixtus IV.) viſitavit Baſilicam S. Petri, Ann. 1483.
„ & obtulit Sacrario Baſilicæ aureum pannum ad operiendam Cathedram „ Apoſtoli Petri, quæ in eodem Templo cum ſumma veneratione ſervatur, ac ſe præſente juſſit illam operiri eo munere, & taliter ornatum „ in locum ſuum deferri mandavit à majoribus Templi Sacerdotibus incenſis cereis præcedentibus, cantantibus quoque nonnullis ad cæremoniam „ pertinentibus.

Hujuſmodi munus obtulit Sixtus ad operiendam Cathedram, ut antiquum morem de Sedibus primorum Pontificum ornandis renovaret, de qua conſuetudine Baronius ad ann. 45. num. 11. & Sanctus Auguſtinus ad Maximinum Epiſcopum Donatiſtarum, aliique apud Phœbeum. Paulus inſuper IV. ſolemnem Romani Cleri ſupplicationem die 18. Januarii ad Cathedram Sancti Petri ligneam, tanquàm ad veritatis Magiſtram, Divinorumque Interpretem arcanorum, ſingulis annis faciendam inſtituit. Prætereà juſſit ab utroque Clero Officium, & Miſſam ſub ritu duplici cum feſto celebrari anno 1558. & Miſſam coram Pontifice, & Cardinalibus in Vaticana Baſilica annuatim ſolemni ritu recitandam reſtituit, quem Paulum hujus feſti Reſtauratorem, non Inſtitutorem fuiſſe advertit Petrus Galeſinus in Martyrologio impreſſo Venetiis anno 1578. die 18. Ianuarii.

Tom. I. Epiſt. 203. pag. 85.

Panvin. de præſt. Baſil. lib. 5. cap. 4.

Paul. IV. Conſtit. 13. §. 1.

Certis propterea diebus populo viſendam fuiſſe expoſitam narrat Antonius Ricciullus Archiepiſcopus Coſentinus in ſuis lucubrationibus, ut ſi ſola Petri umbra proderat ad infirmos ſanandos, utique multò magis Sedes illa, quæ Cathedra fuit Apoſtolicæ prædicationis. Ejus expoſitionis ſacram pompam, ſeu cæremonias luculenter enarrat Franciſcus Maria Torrigius de ſacris Cryptis parte 2. pag. 562.

Lib. I. c. 6.

Act. cap. 5.

Servabatur olim hæc Cathedra propè Januam, quàm Sanctam vocabant, indè tranſlata ad Altare Sancto Hadriano ſacrum, ex quo iterùm ad Altare Sanctæ Annæ in Sacrario Baſilicæ, ubi illam extare ſub Nicolao V. ſcripſit Tyberius Alpharanus. Anno demùm 1634. in Sacello, quod proximum eſt januæ Templi ad meridiem collocatæ Urbanus VIII. Altare extruxit, ut ibi ad publicum Populorum cultum exhiberetur.

Supererat ut ad perficiendam Romanæ hujus Cathedræ ſolemnitatem, quidquid de ejus celebritate deerat Pontifex Alexander VII. inſtauraret, quòd opus certè ſingulari ſua pietate, & animi magnitudine fæliciter exegit. Novum ille & majeſtate plenum ad Baſilicæ Apſidem apparatum exhibuit ad Urbem confluentium oculis, ut eâ, qua par eſt reverentiâ colerent,

colla-

collatamque Petri Succeſſoribus Poteſtatem in ligneâ Cathedrâ ſplendidiſſimè exornatâ, debito honore proſequerentur.

Eam igitur ærea aliâ Cathedrâ ſuperinducto auro incluſam, & manibus quatuor Eccleſiæ Doctorum, quorum duo Latini ſunt, totidemque Græci, ſubſtentatam, opere tam molis, quàm artis mirando conſtituit. Illud exhibet Pontificium Numiſma, quod anno 1663. ſui Pontific. VIII. cudit Alexander; ſed cum in anguſto orbiculi ſpatio omnes ornatus partes haud potuerint diſtinctè inſculpi, nec verbis expreſſas oculi ſubiicere calamus poſſit, illud in ſequenti Tabula 44. exhibuimus, diligenter è prototypo delineatum à Hieronymo Frezza juvene pari peritiâ, ac ſolertia prædito.

Fig. 44.

Adſunt quatuor æneæ Statuæ auro circumtectæ palmis ſeptemdecim altæ, quarum duæ Primæ Sanctum Ambroſium Mediolanenſem, & Sanctum Auguſtinum Hyponenſem Antiſtites repræſentant. Secundæ verò Sanctum Athanaſium Patriarcham Alexandrinum, & Sanctum Joannem Chryſoſtomum Patriarcham Conſtantinopolitanum, qui ſacris infulis circumamicti totam Cathedræ molem porrectis manibus extollunt. Cathedræ ampla imminet feneſtra vitreis laminis obducta, in quibus Spiritus Sanctus Columbæ ſpecie inter lucis radios exprimitur. Cæleſtium prætereà Spirituum circumſtat Chorus, qui diverſa manuum actione, parem erga ſubjectam Cathedram cultum exhibent. Totam æneam molem ſubſtinent baſes è vario marmore compoſitæ, & gentilitio Ghiſiorum ſtemmate æreo, hinc indè appoſito, exornatæ.

Ut verò ejus pretioſi operis magnificentia clariùs innoteſcat, in quo quatuor annos Artifices conſumpſere, ideſt ab anno 1663. ad 1667. non incongruum erit hùc adducere ingentes auri impenſas in eo fabricando factas, quas è recentioribus fabricæ computis in unam ſummam redegit Eques Fontana, affirmans fuiſſe 171000. 150. 25. ideſt centum & ſeptem millia ſupra unum, & quingenta quinquaginta ſcuta, cum vicenis & quinque aſſibus.

Lib. 6. cap. 4.


Ex hac ſumma Equiti Bernino in præmium delineationis fuerunt erogata	ſc.	8000.
Joanni Artuſio de Piſcina Artifici fuſoriæ artis perito pro ſuſcepto labore	ſc.	28000.
Pro expoliendis Statuis	ſc.	4000.
Pro auro ſuperinducto	ſc.	6000.
Pro labore, quo uſi ſunt Artifices in auro ipſo æri ſuperinducendo	ſc.	3000.
Aeris verò pondus æquavit	lib.	219061.
Ex his Statua Divi Ambroſii habuit	lib.	34023.
Simulacrum Sancti Auguſtini	lib.	30791.
Sancti Athanaſii	lib.	23652.
Sancti Joannis Chryſoſtomi	lib.	27791.

Quòd verò ſuperfuit ex ea ſumma cætera ornamenta ſibi vendicarunt.

Tali

TABVLA 44.

CATHEDRA S. PETRI AB EQ. IO. LAVRENTIO BERNINO EXORNATA SVB ALEXANDRO VII.



Hieronymus Frezza incidit

Tali exornatam æneo, aureoque apparatu Divi Petri Cathedram, quæ ſacri ſemper fuit honoris teſſera, & ſacræ juriſdictionis ſymbolum, ut loquar cum Valeſio Chimentellio [ab antiquo ſitu vindicavit Alexander, In marmore Piſano cap. 19.
„ cultamque & communitam decentiſſima ſtatione ad perpetuam venerationis ſecuritatem repoſuit, memor ille Pontificem Romanum Cuſtodem „ Sedis Apoſtolorum Petri, & Pauli vocatum eſſe à Gabriele Archiepiſcopo Neſa. compellante Rom. Pontificem in calce Synodi Chaldæorum]. Juſſit poſthac [ne oſcula, ac manus damnoſa contingant, ſed corda, atque Apud Raynaud. pag. 35. coron. aureæ Pontif.
„ oculi tantùm ſint religioſi, ſoluſque reverentiæ honor contrectet. Aerea „ Romanæ Eccleſiæ Doctorum Quadriga jàm ſacrum pondus meritò in „ Cælum provehit, ſed Auctor Alexander VII. ſuaque mens, atque con„ ſilium extitit auriga]. Sic Alexandrum ipſum allocutus eſt idem Chimentellius in ſua diſſertatione de marmore Piſano [Sic geruli illi Patres, ubi „ hac Sede Petri, quàm diutiſſimè ſis defunctus, te quoque ſuſtollant, „ beati itineris comites, ac ſempiternæ jucunditatis ſocium habeant in Cæ„ lis, quos tu ad tanti pignoris inclytum pondus, ac tutelam in terris con„ jugaſti.

Placet huic excelſæ moli inſcriptionem addere, quæ in caſtro doloris poſt tanti Pontificis mortem ingenioſus Auctor appinxit, videlicèt:

Ferream tempeſtatem timens ſapiens Alexander, Cathedram Petri, arbitram temporum, opere aureo magnificè ornavit. Sic docuit nonniſi per Petri Sedem vigere AVREAM AETATEM.

CAPUT XXIV.

De Sacra Beati Petri Confeſſione, à variis Pontificibus, & præcipuè ab Vrbano VIII. exornata.

SUPEREST Altare Baſilicæ præcipuum, ſub quo Sanctorum Apoſtolorum Petri, & Pauli Sepulchrum conditur triplici Numiſmate à duobus Summis Pontificibus indicatum. Primum anno 1585. cuſum Pauli V. effigiem in antica parte oſtentat, in poſtica verò Aram Divo Petro ſacram, cum lemmate: SACRA PETRI CONFESSIO EXORNATA. Secundum verò anno 1626. in lucem editum, tertium demùm anno 1633. ſub Urbano VIII. cujus ambo præferunt imaginem, & ſimùl in parte obverſa eamdem Aram diverſimodè exornatam, ſed adjectis iiſdem prorsùs verbis: ORNATO SS. PETRI, ET PAULI SEPULCHRO.

Hoc illud eſt, cujus ſtructura non tantùm omnes Baſilicæ partes ſuperat, ſed cæterorum in Urbe Templorum (pretioſa quamvis, & ſplendida ſint) ornamentis longè antecellit. Hìc enim Summorum Pontificum pietas trecentorum, & ampliùs annorum curriculo omnia ſtudia, ac vires certatim impendere, ut univerſæ Eccleſiæ Princeps, & Chriſti Vicarius in ſacra

Sepulchri pompa perennem, qua in Cælis fruitur, gloriam cunctis Fidelibus oſtentaret. De hoc loco in Breviario Romano die 18. Novembris feſto Conſecrationis Baſilicæ hæc habentur. Semper fuit inſignis ea Vaticani pars, quàm Sancti Petri Confeſſionem appellabant; nàm eò Chriſtiani ex omnibus Orbis terræ partibus tamquam ad Fidei Petram, & Eccleſiæ Fundamentum convenientes locum, Principis Apoſtolorum Sepulchro conſecratum, ſumma religione, ac pietate venerabantur. Hùc ſemper cunctarum Nationum Fideles longiſſimis itinerum intervallis, magno labore ſuperatis, properarunt, ut in obſequii ſignum pretioſa dona deponerent, & oſcula figerent humo Petri ſanguine cruentata. Hùc Viri Sanctitate præclari, hùc Regiis titulis inſignes, hùc Imperatorum diademate decorati. Quamobrem magnus Conſtantinopolitanus Patriarcha aureo ſuo calamo hæc eleganter expreſſit [Servorum Chriſti (Apoſtolorum) ſplendida ſunt „ Sepulchra, quæ Urbem maximè Regiam occupaverunt, & dies perſpi- „ cui ſunt, diem feſtum Terrarum Orbi facientes, non ædificiorum ampli- „ tudine, & ſplendore, ſed quòd ampliùs eſt, convenientium ſtudio; & „ ipſe ille purpura peregrè proficiſcitur, & Sepulchra illorum complexu- „ rus, & faſtu depoſito contingit, Sanctos rogans, ut ſibi apud Deum „ patrocinentur, & Tabernaculorum Opificem, & Piſcatorem patronos „ etiam mortuos deprecatur ille Diadema geſtans]. Et alibi [Etiam Ro- „ mæ, quæ Urbium eſt regaliſſima, relictis omnibus ad Sepulchra Piſca- „ toris, & Pellionis currunt, & Reges, & Præſides, & Milites, &c.] Dominus Abbas Carolus Bartholomæus Piazza, nunc Archipresbyter Sanctæ Mariæ in Coſmedin, inter Opuſcula æquè pia, & ſacra eruditione plena librum edidit, cui titulus *Effemeride Vaticana*, in quo penè innumeros refert pios Viros, qui ad ſacra hæc Limina acceſſerunt, ubi inquit Chryſoſtomus, *Piſcator Petrus etiam poſt mortem reſplendet Sole clarior*. Hinc jure Carolus Magnus, ut refert Torrigius, in quodam privilegio conceſſo Miniſtris Templi Sancti Salvatoris in Laterano, illis impoſuit, ut ad S. Petri Sepulchrum advenas ducerent, illique Cuſtodes aſſignavit S. Leo Pontifex Magnus, referente Anaſtaſio. Hìc conſtituit ſuper Sepulchra Apoſtolorum Cuſtodes, qui dicuntur Cubicularii, ſeu Cappellanos ex Clero Romano, qui etiam vocati fuerunt Manſionarii Oratorii Sancti Petri, ſeu Scholæ Confeſſionis Beati Petri, ut legitur in quodam codice ſcripto ſub Benedicto IX. anno 1037. ſervato in Archivo Vaticano. Tot itaque ſunt hujus Beati Apoſtoli Sepulchri prærogativæ, ut meritò illud dici poſſit:

Hom. 6. in epiſt. 2. ad Corinth.

In demonſtrat. adver. Gent.

Homil. in Pſal. 48.

Pag. 527.

Torrigius pag. 527.

— — — *Quæ diviſa beatos*
Efficiunt, tu collecta tenes.

Sed ut methodo aliqua breviter expediamus quamplurima, quæ de hoc Beati Petri Sepulchro dici poſſunt, quærendum primò eſt, quibus de cauſis Confeſſionis nomine à Summo Pontifice Urbano VIII. vocatum illud fuerit, à Paulo verò V. Sepulchrum.

Sciendum igitur, inquit Joannes Stephanus Durantes Conſiliarius ſacri Conſiſtorii Regii, ac primus Præſes Senatus Toloſani in tractatu eruditiſ-

ſimo,

ſimo, quem ſcripſit de ritibus Eccleſiæ Catholicæ, quòd Confeſſio pro Sepulchro, vel Corpore Martyris quandoque uſurpatur. Frequens eſt hæc vox in Pontificali Sancti Damaſi *antè Confeſſionem Beati Petri*; de qua Petrus Urbevetanus, ut legimus in libello Ordinis Romani, *Confeſſio*, inquit, *eſt Capſa*, *vel Sepulchrum*, *vel ipſum Corpus Petri conditum ſub Altari*. Idem notat aliquando nomine *Confeſſionis* indicari Eccleſia, quæ *Martyrium* à Græcis dicebatur, citatque Anaſtaſium Bibliothecarium in vita Sixti III. Papæ. *Sixtus*, inquit, *fecit Confeſſionem Sancti Laurentii*, *Martyria cum columnis porphyreticis*, & *ornavit transcænam*, *fecit quoque ibi ad Confeſſionem Altare Sancti Laurentii*. Dicebatur etiam ædes ſacra *Martyrium* à Græcis, eò quod in ea Martyrum reliquiæ jaceant, vel eorum memoria recolatur, inquit Iſidorus lib. 15. de orig. cap. 4. Sic Baſilicam Vaticanam Martyrium Apoſtolorum appellarunt, Sanctus Chryſoſtomus, & Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Prothonotarii, qui Græcè, Latinèque res geſtas Martyrum ſcripſerunt. *Martyr* enim Græcè *Teſtem*, vel *Confeſſorem* ſignificat, eaque vocabula veteres confundebant. Tertullianus de Corona Militis, & libello ad Martyres. Ambroſius lib. 2. de Fide. Undè quemadmodum à *Martyre Martyrium*, ità à *Confeſſore Confeſſio* manavit. Diciturque Eccleſia, in qua Martyris, ſive Confeſſoris memoria veneratur; ſanè uſus veteris Eccleſiæ dividebat Martyres à Confeſſoribus. *Martyres* ſiquidem dicebantur, qui in tormentis uſque ad mortem perſeverabant in profeſſione Nominis JESU Chriſti; *Confeſſores* verò, qui in Carcere, vel tormentis citrà mortem conſtantes, atque parati mortem ſubire, confeſſi erant Chriſtum, quòd ex Sancti Cypriani epiſt. 6. & 7. lib. 2. colligere licèt. Jàm Sanctis omnibus, etiam tormenta perpeſſis, Confeſſoris nomen tribuitur. Floravantes autem Martinellus ait ſe vidiſſe ſubterranea antiquiſſima cubicula in Cryptis Romanis præcipuè, in quibus Sepulchra Martyrum erant, quæ cubicula Confeſſiones dicebantur, nec ob aliam cauſam (ait Bulengerus) quia in ipſius Martyris Altaris, palliis, aut tabulis argenteis, marmoreiſque Confeſſio Sanctorum expreſſa erat.

Lib. 1. c. 1.

Hiſtoria di S. Maria in Via lata pag. 120.

De Templo lib. 3. cap. 33.

Locus, qui à nobis dicitur *Confeſſio*, multis nominibus apud Antiquos ſignificabatur. Primò *Martyrium*, & à Latinis *Dormitorium* dictum fuiſſe edidit Joannes Caſtillioneus Antiquit. Mediolan. parte 1. faſciculo 2. quòd in eo piorum Corpora requieſcerent potiùs dormientia, quàm mortua, & expectantia diem illam, qua glorioſa in Cælum aſcendent, cum Chriſto regnatura, ſive quod Piorum mors ſomnus ſit, & quies. Eas certè ob cauſas Germani pulcherrimo nomine *Agri Dei* Cœmeterium vocant, quòd ſcilicèt in eo Deus ſuam ſementem, ac ſegetum habeat, quàm ſub finem Mundi, tanquàm meſſi jàm maturam demetet, & in Cæleſte horreum invehet.

Vocata etiam fuerunt Beatorum Petri, & Pauli Sepulchra *Apoſtolorum Limina*, ut apparet in vetuſtiſſimo codice Bibliothecæ Vaticanæ ſub num. 5516. relato à Floravante Martinello de Templo S. Mariæ in Via lata, qui in ſuis adnotationibus addit hanc latinam dictionem locum ſignificare, in quo aliquis commoretur, juxtà illud Virgilii:

Pag. 119.

— — — Signoque repente
Corripiunt ſpatia audito, limenque relinquunt.

Quòd optimè convenit Baſilicæ, in qua inſunt eorum Sepulchra. Addit Martinellus eamdem latinam dictionem cum Portubus Maris convenire, qui à Græcis *Limena*, à quo verbo *Limenarchæ* dicuntur eorum Gubernatores; ſunt namque Sepulchra veluti corporum Portus, ubi poſt pericu-loſum hujus vitæ curſum tuta requieſcunt à laboribus ſuis.

Veſtigia inſuper dicta ſunt, & *Memoriæ* ab antiquis Apoſtolorum Sepulchra, ut legitur in Martyrologio die 21. Auguſti de Sancto Paterno Martyre, qui Alexandriá Memorias Apoſtolorum petiit. Apud Sirmondum in vita Sancti Martini ſic: *Deindè ſpontè ſua Pyrro veniente Romam ad Veſtigia Beati Petri &c.* Et apud Sanctum Auguſtinum lib. 22. cap. 10. de Civitate Dei: *Martyribus noſtris non Templum, ſed memorias ſicut hominibus mortuis, quorum apud Deum vivunt ſpiritus, fabricamus, ut ibi ſacræ eorum Reliquiæ ſerventur.* Loquens Anaſtaſius de Anacleto Pontifice, qui primus Beatorum Apoſtolorum Corpora in Sepulchro condidit, ſic ait: *Anacletus Memoriam Beati Petri conſtruxit, & compoſuit.* Hinc Latini *Monumenta* appellarunt *Sepulchra*, & duplici quidem de cauſa.

De Cæmet. lib. 1. pat. 3. cap. 14. n. 3.

Primò, ut ait Divus Auguſtinus apud Spondanum, quia eos, qui viventium oculis ſubtracti ſunt, ne oblivione etiam cordibus ſubtrahantur, in memoriam revocant, & admonendo faciunt cogitari. Secundò, quia ſupra Sepulchra mortuis juſta annuatim perſolvebant, juxtà illud Pauli epiſt. ad Roman. *memoriis Sanctorum communicantes*, & Divi Cypriani apud Baron. anno 253. num. 40. *Deindè, & dies eorum, quibus excedunt adnotate, ut commemorationes eorum inter memorias Martyrum celebrare poſſimus.* Bibliothecarius, quem ſupra citavimus *Loculum* appellavit hanc Beati Apoſtoli Confeſſionem, ubi loquens de Baſilica à Conſtantino extructa ait, cujus *Loculum cum Corpore Sancti Petri recondidit, & ipſum Loculum undique ex ære Cyprio concluſit, quod eſt immobile.*

Explicatis nominibus, quibus Sancti Petri Sepulchrum ab Antiquis ſignificabatur, ipſam Sepulchri, ſeu Confeſſionis fabricam inquiramus. Antequàm illa nobiliſſimo Mauſoleo ex ære exornaretur ab Urbano VIII. huic Pontifici Maximo opuſculum obtulit Michael Lonigus Auctor eruditiſſimus, & ſub Paulo V. Cæremoniarum Magiſter, quod MS. extat in Archivo Arcis Sancti Angeli, teſte Ludovico Jacobo à Sancto Carolo, ejuſque

In Bibliot. Pontif. lib. 2

exemplar vidi in Bibliotheca Ghiſiana additum libro de Præſtantia Baſil. Vatic. ab Honuphrio Panvinio conſcripto, & percommodè legi acceptum ex Muſeo præclari Viri Jo. Antonii de Moraldis bonarum Artium ſtudioſiſſimi, in quo etiam aſſervatur. Illi hunc titulum appoſuit [Breve relazione „ del ſito, qualità, e forma antica della Confeſſione ſacratiſſima di S. Pie- „ tro; ove ſi raccontano ancora molti ornamenti fatti in quella in varii „ tempi da diverſi Sommi Pontefici, alla Santità di Noſtro Signore Papa „ Urbano VIII.] Continet illud approbationem doctiſſimi Viri Fratris Nicolai Riccardi Studiorum Regentis apud Sanctam Mariam ſupra Minervam,

his

his verbis expreſſam [D'ordine del Reverendiſſimo Padre Maeſtro del Sagro Palazzo hò veduta, e conſiderata queſta relazione, e la giudico non „ ſolamente piena di belliſſime antichità Eccleſiaſtiche, e ſingolare erudi- „ zione; ma aggiuſtatiſſima al vero; e che debba eſſere di molta conſola- „ zione a' Lettori, che, ſecondo il dovere, ſono amanti di quel luogo „ Sagroſanto, di cui ſi moſtra l'Autore tauto divoto, e zelante]. Plura in eo texuit hìc Auctor. Primò, aſſerit *Confeſſionem* illam cubiculum fuiſſe ſub Ara maxima apertum, ad quod per gradus marmoreos deſcendebant, & cancellis ferreis munitum; ejus teſtudinem columuis ſubſtentari in quatuor angulis collocatis. In medio Aram fuiſſe, in cujus fronte feneſtra, per quam foramen videbatur in pavimento, ſub quo loculus cum argentea theca in majori ænea incluſa DD. Apoſtolorum Corpora continente. Extrà cubiculum ſupradictum, quod appellabatur *Confeſſio*, duodecim fuiſſe columnas, è pario marmore exciſas, quarum ſex magis ab illo remotæ rubris lapidibus conjungebantur, quos Rugas antiquitùs appellabant, deindè Pectoralia eo quòd à pavimento uſque ad pectus hominis genuflexi aſſurgerent, ſpatio tamen intermedio cancellis ferreis munito.
Hæc omnia pluribus probare conatur Lonigius ex quibus aliqua delibavimus.

Quòd fuerit reconditum, & ſubterraneum cubiculum, probat ex Anaſtaſio in vita Hadriani I. ubi narrans Caroli Magni donationem, ait, „ [quam priùs ſuper Altare Beati Petri, & poſtmodùm intùs in ſacra Con- „ feſſione ponentes tam ipſe Francorum Rex, quàm ejus Judices, &c.] Et loquens de eodem Pontifice ſubdit [ob nimiùm amorem Confeſſionem „ Beati Petri intus totam ex auro puriſſimo in laminis, diverſiſque hiſto- „ riis comptè ornavit, & fecit intùs in Confeſſione in modum Evange- „ liorum ex auro obrizo]. In vita autem Leonis III. [fecit intrà Confeſ- „ ſionem Salvatorem ſtantem dextrâ, lævâque ejus BB. Petri, & Pauli „ Apoſtolorum imagines]. Rursùs in vita Hadriani, loquens de Carolo „ Magno, cum Romam primùm petiiſſet, ait [Deſcendentes pariter (Pon- „ tifex, & Carolus) ad Corpus Beati Petri, cum Judicibus, &c.] Ità in vita Leonis III. [Idem verò Beatiſſimus Præſul idipſum deorſum, ubi Sa- „ cratiſſimum Corpus Principis Apoſtolorum requieſcit, renovavit ima- „ ginem, &c. Item Cameram Beati Petri Apoſtolorum Principis in omni- „ bus deſtructam, atque dirutam, exemplo olitano (ideſt antiquo) excul- „ pens, diverſis coloribus à novo fecit.

Confirmat hæc omnia Benedictus Canonicus, qui vixit tempore Cœleſtini II. circa annum 1144. in ſuo rituali MS. ubi legitur [Media nocte „ ſurgens audito ſigno D. Papa, cum omnibus Ordinibus ad S. Leonem „ venire debet &c. deindè incenſat Altare ſuper Sepulchrum Sancti Petri. „ Deindè exiens indè aſcendit ad Altare majus, & incenſat, &c.] Quæ verba abundè indicant illum Pontificem è Confeſſione exire, ut ad Altare majus aſcenderet.

Petrus item Mallius loquens de vigiliis, quæ fiebant ad Pallia Pontificia, affirmat illa fieri in Confeſſione, ad quam deſcenſum præbebant ſcalæ indicatæ ab eodem Anaſtaſio in vita Hadriani I. his verbis [Aſpectum verò

Altaris

„ Altaris ſuper eandem Confeſſionem, atque dexterâ, lævâque parte, „ juxtà gradus jàm dictæ Confeſſionis.

Eam cancellis munitam fuiſſe affirmat idem Bibliothecarius [Hìc „ verò egregius Sacerdos Confeſſionem Beati Petri totam ex auro puriſ„ ſimo ornavit, pondera trecentarum librarum ponens, & in poſtem ſu„ periùs ejuſdem Sacræ Confeſſionis auri mundiſſimi libras treſdecim, pari „ modo & ipſius Apoſtoli Confeſſionis liminari inferiori libras viginti„ quinque]: De his cancellis loquitur etiam Onuphrius Panvinius lib. 3. „ cap. 4. [Innocentius III. cancellum æreum antè Confeſſionem ſub Al„ tare S. Petri fecit, qui ab adeuntibus paſſim populis deoſculari ſolet]. Gregorius Turonenſis de gloria Martyrum [Hoc enim, ait, Sepulchrum „ ſub Altari collocatum valdè rarum habetur, ſed qui orare deſiderat reſe„ ratis cancellis, quibus locus ille ambitur, accedit ſuper Sepulchrum, & „ ſic feneſtrella parvula patefacta immiſſo introrſum capite, quæ neceſſitas „ præmit, efflagitat.

Pag. 171.

Cap. 8.

Ex quibus verbis probatur hanc *Confeſſionem* ſub Altari majori fuiſſe collocatam, & in ea aliud Altare fuiſſe, ſub quo Sacra Corpora ſervabantur. Hoc retulit Sanctus Petrus Damianus epiſt. ad Agnetem Imperatricem his verbis [Sub arcana quoque Beati Petri Confeſſione antè Sacrum Altare me „ ſedere feciſti, & per lugubres gemitus, & amara ſuſpiria, &c.] Retulit Anaſtaſius in vita Hadriani I. [Cancellos antè eandem Confeſſionem ex „ auro fuiſſe penſantes libras 56. fecit ſimùl in Altari intùs in Sacra ultrò „ citròque Confeſſione imaginem in modum Evangeliorum]. Aſſerit Mallius in hoc Altari ſingulis diebus unum è ſeptem Presbyteris Cardinalibus Sacrificium offerre, videlicèt die Dominico Presbyterum Cardinalem tituli Sanctæ Mariæ Tranſtyberim, feria 2. Sancti Chryſogoni, feria 3. Sanctæ Cæciliæ, feria 4. Sanctæ Anaſtaſiæ, feria 5. Sancti Laurentii in Damaſo, feria 6. Sancti Marci, Sabbato Sancti Martini in Montibus, quibus poſteà Epiſcopos ſubſtituit Stephanus Pontifex ejus nominis IV.

Sub eo Altari BB. Apoſtolorum Petri, & Pauli Oſſa primùm poſuerant aliquot Viri Sancti (quos nemo unquam viderat, nec poſteà videre potuit) ut legit Arringus in quodam codice MS. Lateranenſi, vel potiùs Sanctus Anacletus Pontifex, ut refert Sanctus Damaſus in Pontificali, cujus Sepulturæ hiſtoria extabat olim coloribus expreſſa in antiqua Templi porticus fronte, quæ, antequàm cum porticu ipſa aboleretur, artificum pennicillo excepta fuit, & in ejuſdem Baſilicæ Archivo aſſervatur, & proponitur contemplanda in ſuis paginis ab Arringo. Ex quo loco Caliſtus ea tranſtulit ad catacumbas, ne perirent, cum Eliogabalus, teſte Lampridio, omnia Sepulchra in Campo Vaticano ſolo penitùs æquaret, ne impedimento eſſent curribus, quos quatuor Elephantibus ipſemet in ludis agebat.

Aring, lib. 2 cap. 5.

In vita.

Si tamen fides danda eſt Panvinio, cujus opinionem refellit Baronius, adhæretque Sancto Gregorio, qui ſcribens Conſtantiæ Auguſtæ, ait [eo „ tempore, quo paſſi ſunt Apoſtoli ex Oriente Fideles veniſſe, ut eorum „ Corpora tanquàm Civium ſuorum repeterent, ideòque clàm ea ſuſtu„ liſſe, ſed ducta uſque ad ſecundum Urbis milliarium in loco, qui dicitur „ ad Catacumbas, collocaſſe, ſed dùm ea exindè levare omnis eorum multi-

In addit. ad Platin. de Pontif. Tom. 2. ann. 221. Libr. 3. ep. 30.

„ multitudo conveniens niteretur, ità eos vim tonitrui, atque fulgoris nimio metu terruiſſe, atque diſperſiſſe, ut talia denuò nullatenùs attentare præſumeret. Tunc autem, inquit Divus Gregorius, exeuntes Romani, eorum Corpora, qui hoc ex Domini pietate meruerunt, lævaverunt, & in locis, in quibus nunc ſunt condita poſuerunt.

Bibliothecarius verò in Cornelio inquit [Hìc temporibus ſuis rogatus „ à quadam Matrona Lucina Corpora Apoſtolorum Petri, & Pauli de Catacumbis lævavit noctu, Beatus verò Cornelius Epiſcopus accepit Corpus Beati Petri Apoſtoli, & poſuit juxtà locum, ubi crucifixus eſt inter Corpora SS. Epiſcoporum in Templo Apollinis in montem aureum in Vaticano Palatii Neroniani 6. Kal. Julii]. Ad quæ verba Illuſtriſs. Scheleſtrates in ſuis notis hæc habet [Quæ in Actis Cornelii traduntur de Corpore Beati Petri, quòd ab eo poſitum fuit juxtà locum, ubi crucifixus eſt, in monte aureo in Vaticano, indicant etiam tranſlationis diem ab Eccleſia Romana celebrari. Quomodò autem factum ſit, quòd Corpus Beati Petri ab Anacleto adhùc Presbytero in Vaticano reconditum, rursùs à Cornelio hùc tranſlatum ſit, duabus de cauſis contingere potuit, vel quia verùm eſt, quod Gregorius Magnus tradit lib. 3. epiſt. 30. ad Conſtantiam Auguſtam, quod Orientales ea auferentes, dùm Romani illos inſequebantur, ea ad ſecundum Urbis milliarium in Catacumbis collocarint, indèque à Cornelio tranſlata ſint; vel quia Fideles in Cryptis Vaticanis detecti ſub Caliſto Papa, cum Corporibus Petri, & Pauli ad Catacumbas confugerent, ubi & Romani Pontifices à Fabiano ſepeliri cæperunt; undè rogatu Lucinæ Cornelius eadem in Vaticanum tranſtulit, ut pluribus probat Onuphrius in hiſtoria MS. Pag. 428.

Sed in re ambigua unuſquiſque, ut libet, ex animi ſui ſententia opinetur. Quod certum eſt, affirmamus, nunquàm ab eo loco dimoveri illud contigiſſe à tempore, quo à Conſtantino Magno Templum Vaticanum excitatum fuit [In eo enim conſtructo, piiſſimus Imperator ex rogatu Silveſtri „ Epiſcopi (verba ſunt Anaſtaſii) Baſilicam Beato Petro Apoſtolo in Templo Apollinis, cujus loculum (ideſt capſulam, ſeu conditorium) cum Corpore Sancti Petri recondidit. Ipſum loculum (quem Romanus Canonicus ſcripſit fuiſſe argenteum) undique ex ære Cyprio concluſit, quod eſt immobile, ad caput pedes 5. ad pedes pedes 5. ad latus dextrum pedes 5. ad latus ſiniſtrum pedes 5. ſic incluſit Corpus Beati Petri Apoſtoli, & recondidit. In Silveſtro.

Quàm amplum fuerit cubiculum, in quo Altare Beati Petri, ſeu memoria condebatur incertum omninò eſt. Conjecturis tamen illud non anguſtum fuiſſe deprehendimus, affirmante Anaſtaſio in vita Hadriani I. „ [quòd cum Carolus Francorum Rex in Baſilica Beati Petri à Romano Pontifice exceptus, deſcenderunt pariter ad Corpus Beati Petri tùm ipſe Sanctiſſimus Papa quamque antefatus Excellentiſſimus Francorum Rex cum Judicibus Romanorum, & Francorum. A Benedicto etiam Canonico accepimus in ea dùm Sacra peragerentur, permanſiſſe Pontificem, Purpuratos, Cantores, Cubicularios, Subdiaconos, cæteroſque Eccleſiæ Clericos, quorum quidem numerus haud erat exiguus.

Quanta

Quanta animi ſui devotione hanc Sacram Petri Confeſſionem Pontifices venerarentur, non adeò facilè dictu eſt. Ejus tamen argumenta luculenter indicant munera, quibus eam certatim exornarunt. Aliqua nos indicabimus, ſervata temporum ſerie ex libro Pontificali accepta, eiſdemque verbis, quibus Poſterorum memoriæ mandavit Anaſtaſius, cui liber ille tribuitur, quamvis ſermone ſit rudi, & penitùs barbaro, *apud eum tamen magis cum ſimplicitate veritas, quàm cum fuco mendacia valuerunt*, ut
Tom. 9. ann. 795. num. 22. ait Baronius; verùm quia, quo anno illo ſint facta non liquet; ideò annum adnotamus, quo ſaltèm Pontifex nominatus vivebat.

Anaſt. Poſt Divum Silveſtrum, qui fecit Cameram Baſilicæ ex trimma auri fulgentem, & ſuper Corpus Beati Petri, quod ære concluſit, fecit crucem ex auro puriſſimo penſantem libras 150. in menſuram, loci, ubi ſcriptum eſt litteris puris nigellis in cruce: *Conſtantinus Auguſtus, & Helena Auguſta hanc Domum Regali ſimili fulgore corruſcantem auro circumdant.*

Anno 430. Cæleſtinus I. ornavit de argento Confeſſionem Beati Petri Apoſtoli, quæ habet libras quadraginta.

Anno 435. Sixtus III. ornavit de argento Confeſſionem Beati Petri Apoſtoli, quod habet libras quadringentas.

Anno 450. Leo I. Cameram, ideſt teſtudinem Beatri Petri ornavit.

Severan. pag. 112. Anno 465. Hylarus obtulit duo vaſa aurea, quorum pondus quindecim libras explebat pretioſis lapillis exornata.

Anno 483. Symplicius aliud vas aureum quinque librarum.

Anno 520. Hormiſda trabem argenteam impoſuit, cujus pondus erat librarum 1400. binos inſuper arcus argenteos 40. librarum ad lampades ſubſtinendas.

Anno 560. Pelagius II. inveſtivit Corpus Beati Petri Apoſtoli tabulis argenteis deauratis.

Anno 636. Honorius I. temporibus ſuis renovavit cymilium, vel ſupellectilem Beati Petri Apoſtoli, inveſtivit Confeſſionem Beati Petri ex
Baron. tom. 8. argento puro, quod penſat libras 187. fecit & ceroſtatas majores ex argento puro, duos, qui ſunt antè Corpus Beati Petri Apoſtoli penſantes ſinguli libras 62.

Anno 700. Sergius donavit Timiamaterium aureum majus cum columnis, & cooperculo, in quo incenſum, & odor ſuavitatis feſtis diebus, dùm Miſſarum ſolemnia celebrarentur, Omnipotenti Deo opulentiùs mittebatur.

Anaſt. Anno 740. Gregorius III. ſex columnas onychinas volutiles ſtatuit antè Confeſſionem, ſuper quas poſuit trabes, & veſtivit eas argento puriſſimo, in quibus ſunt expreſſæ ab uno latere effigies Salvatoris, & Apoſtolorum, ab alio Dei Genitricis, & Sanctarum Virginum, poſuitque ſuper eas lilia, & pharos argenteos librarum 700.

Anaſt. apud Oldoin. 558. Baron. tom. 9. pag. 322. Anno 780. Adrianus I. Confeſſionem Beati Petri totam intùs ex auro puriſſimo in laminis, diverſiſque hiſtoriis comptè ornavit, ponderans 300. librarum, ponens & cancellos in poſte ſuperiori ejuſdem Sacræ Confeſſionis auri mundiſſimi libras tredecim pari modo, & in ipſius Confeſſionis liminari

nari

nari libras vigintiquinque, aſpectum verò Altaris ſuper eandem Confeſſionem, atque dextrâ, lævâque parte juxtà gradus jàm dictæ Confeſſionis addens in eis argenti libras centum triginta ſex, curiosè renovavit, ejuſque hiſtorias ex auro puriſſimo libras decem & octo nitidiſſimè deauravit, ante januas verò argenteas fecit caniſtros argenteos duodecim, penſantes libras quadraginta quinque. In eadem quippè Beati Petri Eccleſia per diverſas coronas fecit Delphinos ex argento librarum centum. Præſtantiſſimus idem eximius Antiſtes fecit in Eccleſia Beati Petri Apoſtoli ad Corpus imaginem, quæ dudum ex argento inerat, Salvatoris, Sanctæ Dei Genitricis, Sanctorum Apoſtolorum Petri, & Pauli, atque Andreæ de auro puriſſimo miræ magnitudinis penſantes libras ducentas; & intùs in Confeſſione imaginem in modum Evangeliorum ex auro obrizo penſantem libras viginti; ſimùl & cancellos antè eandem Confeſſionem ex auro puriſſimo penſantes libras quinquaginta ſex. Qui fecit ſimùl in Altari intùs in Sacra ultrò, citròque Confeſſione imaginem in modum Evangeliorum, nec non & in poſtibus inferioribus, & ſuperioribus, atque cancellis, ſimùl etiam & circa Corpus ex auro obrizo libras mille trecentas viginti octo. Et alibi. Hìc fecit rugas in Presbyterio à parte Virorum, & Mulierum ex argento puriſſimo quinquaginta, librarum 130. necnon alias rugas in caput Presbyterii antè Confeſſionem ex argento penſantes ſimùl libras 103. & paulò poſt in Altari majori Eccleſiæ Beati Petri Apoſtoli fecit ex auro puriſſimo diverſas hiſtorias ponderis librarum 192. & intùs in Confeſſione imaginem in modum Evangeliorum ex auro obrizo librarum 20. ſimùl & cancellos antè eamdem Confeſſionem ex auro puriſſimo penſantes libras 56. Quæ fiunt ſimùl, quæ ſunt in Altari intùs, & in Sacra ultrò, citròque Confeſſione, & in ambone Evangeliorum, & in poſtibus inferioribus, & ſuperioribus, atque cancellis, ſimùl & Corpore auri obrizi libræ 1328. Et rursùs fecit etiam ter Beatus ille imagines ſex, laminis argenteis inveſtitas, ex quibus tres poſuit ſuper rugas, quæ ſunt in introitu Eccleſiæ Presbyterii, ubi & regularem ex argento inveſtito, fecit & poſuit ſuper eandem regularem præfatas tres imagines in medio exiſtentes, unam quidem pictam, habentem vultum Salvatoris, & in utriuſque lateribus imagines habentes depictas unam Beati Michaelis, & aliam Beati Gabrielis Angelorum, in ſuperiore verò ruga, ideſt in medio Presbyterii faciens aliam regularem ex argento inveſtitam, conſtituit ſuper eam tres reliquas imagines, in medio quidem habentes præfiguratum vultum Sanctæ Dei Genitricis, & ex duobus lateribus unam habentem vultum depictum Sancti Andreæ Apoſtoli, & aliam Sancti Joannis Evangeliſtæ, eaſdem verò ſex imagines, ut dictum eſt, ex laminis argenteis miræ pulchritudinis factas deauravit, in quibus imaginibus poſuit libras centum.

Anno 800. Leo III. diverſa ornamenta cum pretioſis lapillis penſ. lib. 47. Tres lampades argenteas librarum 407. aureas librarum 15. Quatuor Angelos argenteos lib. 146. & duas tabulas argenteas, quarum pondus erat libr. 94. quarum altera Symbolum Apoſtolorum præferebat inſculptum Græco idiomate, altera verò Latino, ut advenæ Fidem profiterentur.

Anno 820. Paſchalis fecit in Sacro Altari Beati Petri Principis Apoſtolorum veſtem miræ magnitudinis, pulchram, & decoratam nimis ex auro, gemmiſque contextam, præfigurantem hiſtoriam qualiter idem Apoſtolus à vinculis per Angelum ereptus eſt.

Anno 830. Gregorius IV. fecit in Eccleſia Beati Petri Apoſtoli vela cum chryſoclavo numero quatuordecim, habentia diverſas hiſtorias Evangeliorum, & Paſſiones BB. Petri, ac Pauli, nec non Andreæ Apoſtoli, quæ dependent inter imagines auro, argentoque fuſas in trabe deſuper argentata, antequàm adeas Sacram Confeſſionem, ſpecioſa valdè viſibus humanis, atque præcipua. Anaſt.

Anno 850. Leo IV. ſuffectus Sergio II. Pontifici quæcumque è Baſilica Vaticana ablata fuerunt à Saracenis, reficere decrevit, tùm præter alia quamplurima collata, Aream Altaris intùs extrà deargentavit, & non tantùm Sacram Beati Petri Confeſſionem, verùm etiam frontem prædicti Altaris ſatis decenter, & honorificè peornavit, nàm tabulam de auro, & ſmalto penſantem 216. lib. auri fecit, in qua Vetus, & Novum Teſtamentum continebatur, & poſuit eam in fronte Altaris, quàm & nos etiam vidimus, ait Petrus Mallius §. De Theſauro Baſilicæ, crucem quoque de auro puriſſimo, &c.] Anaſtaſius autem hæc alia narrat [Leo IV. fecit in Eccleſia Beati Petri vela, quæ pendent in arcu Presbyterii ex auro, habentia hiſtoriam Beati Petri Apoſtoli numero decem & octo. Obtulit etiam Beato Petro Apoſtolo Calices de argento, qui ſedent ſuper circuitu Altaris numero ſexdecim, verùm etiam, & Calicem pendentilem, cum catenulis, & Delphinis penſantem libras . . . . Item Sanctus, & Coangelicus præfatus Præſul poſt deprædationem Saracenorum iſtius Eccleſiæ fecit ſuper Corpus Beati Petri Apoſtoli imagines argenteas, totaſque numero tres, & unam quidem in medio habentem effigiem Salvatoris Domini Noſtri JESU Chriſti cum gemmis in capite per crucem ornatam hyacinthinis, & praſinis. Item aliam quamdam poſitam ad dexteram partem Salvatoris, & habentem vultum Beati Petri Apoſtoli, & Beatæ Petronillæ. Aliam quamdam poſitam ad partem lævam depictam, vultum habentem Beati Andreæ Apoſtoli, ſimùl & vultum prædicti Summi Præſulis penſan. libras centum & quatuor ex diverſis gemmis, hyacinthis, & ſmaragdis ornatam miræ magnitudinis, & poſuit juxtà venerabile Altare Beati Petri parte dexterâ penſantem mille lib. auri optimi, & permanſit ibi uſque ad tempora noſtra. Fecit & imaginem Salvatoris noſtri Chriſti in throno ſedentis, cum duobus Angelis circa ſe, necnon etiam 20. alias imagines de argento circa eam, & poſuit eas antè Altare ſuper columnas vitineas, fecit quoque 40. caniſtra argentea, coronas argenteas, in quibus lampadæ appenderentur, à pectoralibus ſcilicèt antè Altare uſque ad Crucifixos. Hæc narrat Petrus Mallius ſub nomine Canonici Romani, qui anno 1159. deſcripſit Baſilicam Vaticanam, dicavitque Alexandro III. & in præfatione ad eumdem, ait ſe compilaſſe talem libellum ex Archivo ejuſdem Baſilicæ.

Anaſt. Anno 856. Benedictus III. in Eccleſia Beati Petri Nutritori ſuo præ nimio amore exardeſcens ad cooperiendum billicum Confeſſionis, fecit cooperculum ex auro puriſſimo penſ. lib. tres.

Anno

Anno 1119. Caliſtus II. idem Altare, cum nimia vetuſtate, hominumque incuriá quaſi violatum videretur, optimus tandem Pontifex, optimis, quæ adhùc apparent marmoribus (nempè anno 1430. quo Veggius ſcribebat) denuò extruxit, atque ornavit, & in celebri die Annunciationis Beatæ Mariæ magno cum Epiſcoporum, Sacerdotumque conventu, Populorumque applauſu honorificè conſecravit. Panciroſ. teſ. naſc. pag. 525. ex Veggio.

Anno 1150. Eugenius III. (ut loquitur Petrus Mallius) quando celebravit primam Miſſam in Eccleſia Beati Petri, obtulit ſuper venerabile Altare optimum ſacrataſmum ad Altaris ornatum, & Paſtorale ornamentum, & ſemper cum veniebat celebrare ſolemnia Miſſarum in hanc Sacram Dei, & Beati Petri Baſilicam, non vacua manu veniebat, ſed ſatis devotè offerebat vel veſtem ſuper Altare, vel optimam caliſam, vel aliud Papale donum.

Anno 1155. idem loquens de Hadriano IV. ſemper cum veniebat celebrare Miſſam ad Sanctum Petrum offerebat ſuper venerabile Altare ejus vel optimum pallium ad ornatum Altaris, vel candelabra argentea, vel aliud Papale donum.

Hæc ſunt præcipua munera, quæ à Summis antiquis Pontificibus Divo Petro oblata ejus Confeſſionem mirificè exornarunt. Supereſt ut Altare, quòd majus dicebatur exponamus.

Supra ſubterraneam ædiculam, quam deſcripſimus illud imminebat. Antè ejus frontem duodecim columnæ vitineæ ex pario marmore eo ordine expoſitæ extabant, quo innuimus in Tabula 7. Ichnographica veteris Baſilicæ pag. 28. litt. A. Eas Conſtantinus ipſe collocaverat è Templo Salomonis evectas, ut ſcribit Alpharanus; ſed aliqui apud Torrigium putant Romam delatas fuiſſe è Templo Dianæ Epheſinæ, quod extabat in Græcia. „ Onuphrius tamen Panvinius affirmat ſex tantùm datas fuiſſe à Conſtantino, cæteras verò Gregorium III. conceſſas ſibi ab Euſtychio Exarco, „ erexiſſe in Eccleſia Divi Petri circa Presbyterium antè Confeſſionem, tres „ à dextris, tres à ſiniſtris, juxtà alias antiquas ſex filo pares]. De his Baronius tom. 8. anno 710. Pag. 283. Cap. 3. lib. 5.

Ad Altare aſcenſum hinc indè præbebant gradus porphyretici, qui nunc duplici in linea diſtributi ſub Apſide Baſilicæ, ubi Divi Petri Cathedram Alexander VII. collocavit, pavimentum palmis circiter duobus elevatum ſuſtinent, ſicut olim (ut mos erat in Templis) ſub majore etiam Apſide in loco eminentiori erant Clericorum, ac Presbyterorum ſubſellia pro cujuſque gradu, & dignitate, & in loco editiori Sedes Epiſcopalis, quàm Prudentius Hymno de Sancto Hippolyto ſublime Tribunal vocat, & Nazianzenus in Somnio ſublimem Thronum. Sedes autem altior erat, ut ex ea poſſet Antiſtes Populum monere, circumſpicere, & cuſtodire. *Numquid aliud*, ait Ambroſius, *interpretatur Epiſcopus, niſi ſuper Inſpector? maximè cum in Solio in Eccleſia editiore ſedeat.* Card. Bona rer. Liturg. lib. 1. cap. 20. De dignit. Sacerd. c. 6.

Hanc Aram ex ligno primò conſtructam Sanctus Silveſter marmoream ædificari juſſit: Primis enim Eccleſiæ ſeculis, tempore perſecutionum, Altarium ligneorum uſus erat, ut magis expeditus, quia faciliùs de loco in locum transferri poterant, ut obſervat Cardinalis Bona. Rer. Litur. lib. 1. cap. 20

T 2 Quadru-

Quadruplici angulo iſtius Aræ quatuor eximiæ ſpeciei columnæ è porphyrite appoſuit, quæ nobiliſſimum argenteum tegmen fulcirent, quòd Cyborium vocant. Eas columnas ſuo tempore extitiſſe in Cryptis Vaticanis affirmat Torrigius; *Cyborium* autem erat operculum, quòd imponebatur Altari ornatus cauſa; patet ex Joanne Chryſoſtomo, qui in illa verba: *Faber argentarius, qui faciebat delubra argentea*, ait, *& quomodò poſſibile erat fieri delubra argentea? fortaſsè ædiculas, & coopercula, quæ cyboria vocant.*

MS. cap. 6.
Act. Apoſt. cap. 19.

Panvinius, qui de Septem Urbis Eccleſiis tractatum impreſſit anno 1570. affirmat tunc temporis adhùc extitiſſe tales columnas his verbis „ [Super Altare autem, cui ſubjacet Corpus Sancti Petri, Sanctus Silveſter ſtatuit nobile tegmen, ſive ſuggeſtum, quòd *Cyborium*, ſive *Cameram* vocabant argenteam deauratam, quatuor porphyreticis (quæ „ adhùc extant) columnis erectam]. Idem affirmavit antè Panvinium Veggius, loquens de Conſtantino [Supra Altare autem, cui ſubjacet Cor„ pus Beati Petri ſtatuit nobile tegmen auratum quatuor porphyreticis co„ lumnis erectum, quòd poſteà Leo IV. (circa ann. 850.) argento puro „ eximiè ornavit]. Sanctus deindè Gregorius Magnus, antè Leonem, in„ quit Anaſtaſius, fecit Beato Petro Apoſtolo Cyborium cum columnis ſuis „ quatuor ex argento puro]. Illius meminit Gregorius Turonenſis, qui anno 590. ſacra Limina viſitans à Beatiſſimo Pontifice, cum maxima reverentia, & charitate, ut verè Sanctus ſuſceptus eſt, & amicus ſingularis, & unicus ab eo dilectus, prout legitur in ejus vitæ Breviario, quod operibus ejuſdem præfixum habetur tom. 11. Biblioth. PP. Hìc piiſſimus Scriptor de Mirac. Martyr. lib. 1. cap. 28. loquens de Sancti Petri Baſilica, inquit „ [etiam quatuor columnas in Altari, quæ ſunt ſimùl centum, præter „ illas, quæ Cyborium Sepulchri ſuſtentant, hoc enim Sepulchrum ſub „ Altare collocatum valdè rarum habetur, ſunt ibi & columnæ mirè ele„ gantiæ candore niveo, quatuor numero, quæ Cyborium Sepulchri ſu„ ſtinere dicuntur.

Lib. 1.
Edit. Lugd.

Ab hac Divi Gregorii Turronenſis narratione, non obſcurè indicatur, præter Cyborium Altaris, de quo loquimur porphyreticis columnis impoſitum, aliud Cyborium fuiſſe mole quidam longè minùs, ſed ex argento compactum, quod Severanus affirmat, à Divo Gregorio fabricatum, nec pondus centum octoginta librarum exceſſiſſe.

De Sept. Eccl. pag. 112.

Erat igitur ultrà Cyborium argenteum impoſitum Altari Confeſſionis, aliud in Altari majori magis excelſum porphyreticis columnis ſubſtentatum, quas viſas à Panvinio memoravimus, eamdemque formam retinebat anno 1294. ſub Bonifacio VIII. ut narrat Cardinalis Stephaneſcus in lib. de Conſecrat. & Coronat. ejuſdem Pontificis, citatus à Bzovio, his carminibus:

An. 1294. num. 21.

--- *Altare Petri de marmore cæſum,*
Porphyriiſque gerens fulvis à celte columnis
Quatuor argenti Cælum, quod tempus in atrum
Verterat, ac ſubter fuſi ſub tegmine cupri
Corpora Sacra tenens, &c.

Illud

Illud poſteà anno circiter 1470. à Paulo II. refectum eſſe Panvinius narrat; extatque monimentum ejus fabricæ in Numiſmate, ſub Paulo II. anno eodem cuſo, quod in Tabula 1. Numiſmatum apparet pag. 10. hujus hiſtoriæ expoſita. Anno iterùm 1480. Sixtus IV. iterùm conſtruxit, duodecim Sanctorum Apoſtolorum ſimulacris ornatum, quæ ſimulacra ait Torrigius, Matthæus Pullarius Florentinus exſculpſit, ſuntque in Cryptis Vaticanis appoſita, cum inſcriptione: Cap. 42.

Imagines iſtæ marmoreæ Sanctorum duodecim Apoſtolorum erant ad ornatum Cyborii, quod Sixtus IV. Pont. Max. ſupra Altare Sacroſancto Beati Petri magnificè conſtituerat.

Ejuſdem Cyborii reliquiæ nonnullæ ibidem ſervantur cum his notis:

Ornamenta Sixti Papæ IV. ad Altare Beati Petri exiſtentia.

Julium etiam II. anno 1510. idem Cyborium affabre exſculptum renovaſſe affirmat Ugonius. Cujus nàm formæ fuerit tale Cyborium, nullum prorsùs, quòd ſciam, refert monumentum. Illud tantùm indicatum inveni in Tabula ſcenographica Equitis Fontanæ, ex qua ſimilem iconiſmum in noſtra exhibuimus pag. 17. Sicut etiam indicat Pauli II. Numiſma cum lemmate TRIBUNA SANCTI PETRI. Verùm cum utraque delineatio orbatum columnis, & paraſtatis impoſitum illud repræſentet, non juxtà prototypum, ſed ad libitum Sculptoris inciſum credimus. Sta. 11. pag. 101. Lib. 2. c. 10.

Tali itaque Cyborio poſt Julium II. penitùs ablato, narrat Torrigius, cum novi Templi Vaticani pavimentum altiùs deduci, & æquari opus eſſet anno 1594. Jacobum à Porta retuliſſe Clementi VIII. detectum à ſe foramen, per quòd Sancti Petri Monumentum apparebat, quo audito, Pontificem ipſum, ductis ſecùm Eminentiſs. Cardinali Bellarmino, Antoniano, & Sanctæ Cœciliæ, & admota ab Architecto ardenti face, oculis perluſtraſſe crucem auream Sepulchro impoſitam, deindè juſſiſſe vetuſtiſſimam aram intactam eodem in loco relinqui, foramen ſe coram cæmentis oppleri, novumque poſteà deſuper Altare, & quidem magnificentiùs erigi amplioris formæ, quòd Altare abſolutum die Dominico 26. Julii anni 1594. triginta octo Cardinalibus adſtantibus totius Romanæ Curiæ interventu, innumerabilique Populi concurſu, ipſemet Pontifex ſolemni ritu conſecravit, & in eo Pontifex omnium primus incruentum Miſſæ Sacrificium obtulit, ſicuti olim anno 1122. Caliſtus II. Altare ſupradictum à Beato Silveſtro ædificatum in celebri die Annunciationis Beatæ Mariæ, ut ſupra enarratum eſt, conſecraverat. Hæc affirmat Torrigius enarrata fuiſſe à Cardinali Sanctæ Cœciliæ, Aloyſio Cittadino Baſilicæ Canonico, & Joanni Bartetto ejuſdem ſacræ Confeſſionis Cuſtodi. MS. Idem MS. cap. 6.

Fuerat interim longo temporis intervallo Sacra Petri Confeſſio muris obſtructa, nec ulli aditus amplius patuit ab anno 1200. quo Michael Lonigus affirmat Innocentium III. ejus januas penitùs obfirmaſſe, ne ampliùs pateret Pſeudo-pontificibus, à quorum impietate Sancti Petri Sepulchrum violari poterat, Sacroque pignore Romanam Urbem orbari, ut eò vel Bizantium potiretur, vel quævis alia Orbis Regio, in qua eorum fautores

vige-

vigerent, ſicuti olim Græci clàm ſubripere conati fuerunt Divi Pauli Caput, ut narrat in ſua epiſtola ad Conſtantiam Auguſtam Divus Gregorius.


Rebus poſteà in tranquilliſſimo Eccleſiæ ſtatu compoſitis, dùm aurea ætate perfrueretur Paulus V. & Vaticanam Baſilicam nobiliſſimo additamento abſolverit, ejus magnanimitatem extimulavit pietas erga Principem Apoſtolorum, ut veterem, ac ſacram Aedem perviam Fidelibus redderet, & Piorum accedentium cultui iterùm aperiret. Extat in Archivo Baſilicæ Vaticanæ idea ex ligno compacta, juxtà quàm novam Aediculam ſub pavimento conſtruendam Martinus Ferraboſco Pontifici indigitavit. Indè nos
Fig. 45. acceptam in ſequenti delineavimus Tab. 45. in qua apparet cubiculum A perfectè rotundum ſub fornice delitеſcens. In illud ingreſſum præbent quatuor januæ BCDE è diametro ſibi reſpondentes, quarum E loculamentum præbet pro Altare Divi Petri, aliæ tres ducunt ad ambulacrum pariter fornicatum, & juxtà cubiculum A circulariter ædificatum. Ex hoc per binas ſcalas F G hinc indè in oppoſitis partibus diſpoſitas aſcenſus erat ad Baſilicæ pavimentum, ubi quadratum Altare X latera oſtentabat cum cancellis æneis deauratis, per quos lux ſubterraneum cubiculum poſſet irradiare, eratque propè illud aliud Altare ✠ ad Sacra peragenda fabrefactum, & utrumque marmoreis gradibus elevatum. Circa hæc Altaria quamplurima balauſtra in gyrum diſpoſita coronam O ſubſtinebant, ad altitudinem quatuor palmorum è pavimento elevatam, & quatuor aditibus interrumptam. Tali ideæ aliam præpoſuit Paulus V. quæ nunc extat in formam crucis extructa, eam in medio novæ Baſilicæ aperuit Carolus Madernus. Columellis auro textili, pretioſoque lapide fores circumdedit, gradus marmoreos, quibus ad intima deſcenderetur collocavit, quas columnas putat Martinel-
Roma ricercata giorn. 1. lus eas fuiſſe, quarum meminit Sanctus Gregorius Turronenſis, ubi ait, ſunt ibi & columnæ miræ elegantiæ candore niveo quatuor numero, quæ Cyborium ſubſtinere dicuntur; parietes hinc indè ſtemmatibus, & aliis ornamentis, & variorum colorum lapillis incruſtavit. Pavimentum ejuſdem mirando opere teſſellato ſtravit. Oſtium intermedium ænea crate in-
Turrigius MS. aurata inter aliquot elegantes columnas concluſit die 17. Februarii 1617. Statuas eorumdem Apoſtolorum ex metallo deauratas in loculamentis exterioribus repoſuit 16. Octobris 1616. Clathris ferreis Confeſſionem intrinſecus clauſit, magnam vim lapidum pretioſarum ad ejus aream, interioremque receſſum ornandum reliquit, atque lampadarum argentearum multitudine locum illuſtravit.

Hanc Pauli V. fabricam ſequentibus verbis retulit Grimaldus [Anno „ Domini 1605. Sacram Beati Petri Confeſſionem pretioſis lapidibus orna- „ vit, quàm in plano pavimenti Eccleſiæ cingit ordo coronatus columel- „ larum Cæſarauguſtani marmoris, habet deſcenſus per duplices gradus, „ hinc indè habet incruſtationes elegantiſſimas marmorum Lacedæmonio- „ rum viridum, laminas ſplendidiſſimas albas, & nigras, Stemmata San- „ ctiſs. D. N. gentilitia mira arte ſegmentata lapidibus croceis, nigris, cine- „ riciis, lapiſlazulis, in campo ſtemmatum pavimentum venatis albis mar- „ moribus nota alba, & nigra. Affricanis decuſſatis clavibus cum thiara

elegan-


TABVLA 45.

CONFESSIO D. PETRI
A MARTINO FERRABOSCO DELINEATA



Auctor del. et sculp.

D. PETRI CONFESSIO MARMORIBVS ET PICTVRIS EXORNATA SVB PAVLO V.



Petrus San. Bartolus incidit

„ eleganter ſegmentatis ornatur. Laminas ovatas alabaſtri Cydonii, quatuor nobiliſſimas columnas ex alabaſtro Cydonio, cum duabus Statuis æneis inauratis Petri, & Pauli Apoſtoli, atque antè oſtium Confeſſionis nobiliſſimam cratem æneam inauratam. Idem Sanctiſſimus Pater & Dominus majori devotione erga glorioſiſſimum Apoſtolum Petrum, eam impenſam Fidelium omnium gaudio collocavit. Argenteam lampadam lib. 70. dono dedit. In ambitus fornice, ubi ejus leguntur inſcriptiones Numiſmata concluſit ærea, &c.]

Sequentem Tabulam expono 46. in qua totius Aediculæ ſtructura ichnographicè, & orthographicè delineata oculis ſubiicitur ex Tabulis Martini Ferraboſci accepta, quàm characteribus adjunctis enucleatiùs hìc explico. *Fig. 46.*

A Locus Confeſſionis primùm ab Anacleto Pontifice ornatus, demùm à Paulo V. ſequentibus additamentis.

B Cancelli ænei deaurati, poſt quos crates ænea videtur ab Innocentio III. donata, eam duo Angeli lapidei cuſtodiunt, ut olim ſepulchrum Bernardi Cardinalis Eruli, ſupra quam portam aurei characteres in marmore nigro hæc verba efformant: SACRA BEATI PETRI CONFESSIO A PAULO V. EJUS SERVO EXORNATA ANNO DOMINI 1615. PONTIF. XI. Turrigius.

C Locus, ubi quatuor inſunt columnæ ex marmore alabaſtrite magni pretii.

D Loculi, in quibus inſunt Statuæ æneæ SS. Petri, & Pauli.

E Pavimentum pretioſis lapidibus ſtratum, quorum aliqua extabant in Templo Sancti Vincentii Baſilicæ proximo.

F Gradus marmorei 34. è pavimento Baſilicæ ad planum Confeſſionis ducentes; centum & undecim balauſtris exornati, quorum ſingula pretio ſexdecim ſcutorum confecta ſunt, gradus verò extruxere ex epiſtyliis, quæ veteris Baſilicæ columnis, erant impoſita.

H Binæ januæ in ſacras Cryptas aditum præbentes per ambulacra II. in quorum parietibus inſunt ſacræ hiſtoriæ coloribus expreſsæ, nempè numero 1. Divus Gregorius ſacram mappam cultro feriens, ex qua ſanguis divinitùs effluxit; 2. Snctus Leo Magnus ſimile miraculum agens in tobalea Altaris; numero 3. Divus Petrus imperans conſecrationem Altarium, veteris Baſilicæ; numero 4. Paſchalis I. cui dormienti Beatæ Cœciliæ Corpus indicatum fuit, in Cœmeterio Præteſtati occultum. Propè quàm Apoſtolorum Paſſiones in ære fæliciter expreſſæ à Sebaſtiano Torriſano. Picturas verò Joannes Baptiſta Riccius anno 1618. & 1619. abſolvit. Balleonus pag. 324.

K Altare ſub pavimento novi Templi.

L Ambulacrum ducens ad dictum Altare à Paulo V. ornatum marmoribus, ac picturis, & in Tabula orthographicè expreſſum. In ſummitate fornicis cratem æneam habet, per quam lumen irradiat, eam formavit ſub Clemente VIII. Sebaſtianus Torriſanus Bononienſis Artis Fuſoriæ Præfectus à Pontifice electus. Balleonus ibid.

M Altare majus Baſilicæ.

N Septem marmorei gradus, non quinque, ut Ferraboſcus delineavit.

Viæ

Fig. 47. O Viæ ad ſacras Cryptas, quarum Ichnographiam in Tabula 47. hic exponimus, ne aliquid deſideretur, quod ad Templi fabricam ſpectat, ejus partes numeri adjecti explicabunt.

1. Confeſſio, ſub qua Divi Petri Corpus reconditur.

2. Altare propè Confeſſionem.

3. Foramina in pavimento Baſilicæ ad lumen tranſmittendum.

4. Sepulchrum Junii Baſſi Urbis Præfecti.

5. Simulacra marmorea Sanctorum Apoſtolorum.

6. Tabula marmorea, in qua cælaturis eminentibus, inæqualibuſque Divi Pauli exprimitur Martyrium.

7. Similis Tabula Divum Petrum cruci affixum repræſentans.

8. & 9. Imagines marmoreæ, quæ olim in Sepulchro Pauli II. & Caliſti III. extabant.

10. Statuæ DD. Petri, & Pauli.

11. Imagines marmoreæ Adami, & Evæ, quæ olim erant in Sepulchro Pauli II.

12. Simulacra Beatæ Virginis, & Apoſtolorum Petri, & Pauli, ad quorum pedes Nicolaus III. & Cardinalis Urſinus.

13. Imago Sanctiſſimæ Trinitatis inæquali cælatura in marmore exſculpta.

14. Imago Divi Pauli ex muſivo compacta.

15. Sepulchrum Conſtantis Servi Dei.

16. Sepulchrum N.

17. Inſcriptiones, & Picturæ antiquæ.

18. Locus, ubi extabant Corpora Sanctorum Leonum I. II. III. & IV.

19. Sepulchrum Cardinalis Raimundi Urſini.

20. Altare Beatæ Virginis dictæ à Porticu.

21. Statua Benedicti Papa XII.

22. Statuæ, & Picturæ.

23. Simulacrum Divi Petri ſedentis.

24. Imagines Sanctiſs. Salvatoris, & BB. Petri, & Pauli, quæ olim erant in Atrio Paradiſi.

25. Statuæ, & Picturæ.

26. Statua Bonifacii VIII.

27. Tabula marmorea.

28. Altare Beatiſs. Virginis Prægnantium dictæ.

29. Antiquæ Inſcriptiones, quas refert Illuſtr. Ciampinus pag. 104. num. 17. 18. 19. 20. & 21.


30. Carmina Beati Damaſi Papæ.

31. Fragmentum lapidis, in quo Donatio exprimitur Comitiſſæ Mathildis Beato Petro facta.

32. Imago Beatiſs. Virginis ex muſivo, olim ad Cyborium Joannis VII.

33. Simulacra Apoſtolorum marmorea, quæ olim ornabant Sepulchrum Nicolai V. & Caliſti III.

Monu-



Auctor del. et sculp.

34. Monumentum cujuſdam nobilis Catelli nomine, qui obiit anno 501.

35. Lapis continens viſionem factam devoto Viro.

36. Lapis continens donationem factam Baſilicæ à Petro Barbo.

37. Sacellum Sancti Andreæ.

38. Altare Sanctiſs. Salvatoris.

39. Sepulchrum Cardinalis Stephani Nardini.

40. Sepulchrum Carolæ Reginæ Cypri.

41. Sepulchrum N. N.

42. Altare Sanctiſs. Salvatoris antiquum.

43. Sepulchrum Infantis.

44. Sepulchrum N. N.

45. Sepulchrum Lini Papæ.

46. Sepulchrum N. N.

47. Sepulchrum N. N.

48. Sepulchrum N. N.

49. 50. & 51. Sepulchrum N. N.

52. Miracula Beati Petri expreſſa in pariete.

53. & 54. Sepulchrum N. N.

55. Scalæ à pavimento Baſilicæ ducentes ad Sacram Confeſſionem, ſub quibus eſt Altare Sanctiſs. Pietati ſacrum.

56. Sepulchrum Chriſtinæ Svecorum Reginæ.

57. Terra eruta è Sacra Divi Petri Confeſſione.

58. Statua Sancti Pauli.

59. Statua Sancti Petri.

60. Sepulchrum Cardinalis Franciſci Tebaldeſchi.

61. Sepulchrum Felicis Diaconi ſub Leone I.

62. Sepulchrum Gregorii Papæ V.

63. Sepulchrum Fratris Raimundi Togaſtæ Equit. Melit. Magiſtri.

64. Sepulchrum Othonis II. Imperat.

65. Sepulchrum Pii II.

66. Sepulchrum Cardinalis Benedicti Cajetani.

67. Sepulchrum Bonifacii VIII.

68. Sepulchrum Pii III.

69. Sepulchrum cujuſdam è Cajetanorum Familia.

70. Sepulchrum Nicolai V.

71. Sepulchrum Hadriani IV.

72. Sepulchrum Pauli II.

73. Sepulchrum Julii III.

74. Janua à Clemente VIII. extructa, per quam è Palatio Vaticano deſcendere ſecretò poterant Pontifices ad Sacram Confeſſionem.

75. Sepulchrum Cardinalis Reginaldi Urſini.

76. Sepulchrum Nicolai III.

77. Sepulchrum Urbani VI.

78. Sepulchrum Innocentii VIII.

79. Sepulchrum Marcelli II.

V Sepul-

80. Sepulchrum Innocentii IX.
81. Sepulchrum Cardinalis Petri Fonſecæ.
82. Sepulchrum Cardinalis Ardicini ſenioris.
83. Sepulchrum Cardinalis Berardi Heruli.
84. Sepulchrum Agnetis Columnæ Cajetanæ.
85. Sepulchrum nobilis Galli.
86. Sepulchrum Joannis Poggii Epiſc. Bononien.
87. Sepulchrum Franciſci Bandini Piccolominei.
88. Sepulchrum Maffioli Epiſc. Polenſis.
89. Sepulchrum Cardinalis Ardicini junioris.
90. Sacellum Sančti Longini Martyris.
91. Altare Sanctæ Mariæ de Febribus.
92. Oſſa diverſorum.
93. Sacellum Sanctæ Helenæ.
94. Sacellum Sanctæ Veronicæ.

95. & 96. Ingreſſus ad ſacras Cryptas, prout extabat antè Paulum V.

Has Cryptas Clemens VIII. in formam crucis extruxit anno 1594. & Paulus V. ſacris veteris Baſilicæ monumentis ditavit. Eorum deſcriptionem omittimus à Franciſco Maria Torrigio luculenter editam Romæ anno 1675. & ab Illuſtriſs. Ciampino de Sacris Aedificiis 1693. cap. 4. ſect. 15.

Notandum tamen hìc eſt delineationem Sacelli ſub Altare poſiti à Martino Ferraboſco vulgatam, diſſimilem eſſe ab ea, quàm Eques Carolus Fontana expreſſit lib. 5. cap. 34. Hæc enim illud exhibet, prout modò extat juxtà typum Jacobi à Porta. In illa autem paries arcuatus Altari ſubterraneo impoſitus magis elevatus oſtenditur, quem Martinus Ferraboſco excogitavit, ut lampadarum fumus in ampliori Sacello meliùs diſſiparetur; non tamen extruxit ob aliquas difficultates, quas Vaticanæ Fabricæ Præſides ſuperari non poſſe exiſtimarunt. Extat Apologia ejuſdem Martini illis oblata inter fragmenta Ferdinandi Caroli pag. 479. in Bibliotheca Equitis
Pag. 104. à Puteo ſervata.

Totam fabricæ ſtructuram affirmat Torrigius expenſis duodecim millium nummorum abſolutam fuiſſe à Maderno anno 1615. ut indicat inſcriptio inibi poſita. Anno 1617. binas januas hinc indè aperuit, ut narratur nigris characteribus in lapide propè Confeſſionem collocato, ſic:

Paulus V. Pont. Max. ad commodiorem Principis Apoſtolorum venerationem, ac ſui decorem ornavit, & portas aperuit, Pontificatus ſui anno XIII. Salutis MDCXVII.

Eodem itidem anno aliam portam publicæ Piorum commoditati aperuit in parte dexterâ, juxtà paraſtatam, ubi nunc eſt Sacellum Sanctæ He-
Torrigius pag. 16. lenæ dicatum. Tria ænea Numiſmata fuiſſe collocata die 20. Julii ejuſdem anni, affirmat Torrigius pag. 37. ejus formæ, quàm exhibuimus in noſtra Tabula Numiſmatum, cum lemmate: SACRA PETRI CONFESSIO EXORNATA.

Exhibe-

ORNAMENTVM IMPOSITVM D. PETRI CONFESSIONI SVB PAVLO V.



Hieronymus Frezza incidit

Exhibebant illa majorem Aram cum quatuor Angelis ſupra ſtylobata in quatuor ejus angulis ſtantibus, & magnam umbellam auro præfulgidam ſubſtinentibus. Tota hæc machina ex ligno compacta, ſubjecto Iconiſmo expreſſa ideam exhibebant futuræ molis, quàm ex ære, auroque excitare animo inerat Pontificis, ut loci ſanctitati par eſſet, ac ſplendidiſſimi ejuſdem Pontificis pietatem oſtenderet. *Fig. 48.*

Nihil tamen Paulo regnante effectum eſt, ſed poſtquàm Urbanus VIII. Pontificiæ Dignitatis Thiaram accepit anno 1623. umbellam firmis haſtis ſubſtentatam decoravit, quas Hieronymus Romanus ſuo ſcalpto foliato opere exornavit, & anno 1624. Simeon Obenaccius Florentinus auro circumtexit.

Deindè videns perfectum jàm Templum quoad principes partes, & inſigniora ornamenta, adeò nobile additamentum cæpit excogitare, ut decore ſuo, ac pretio æquaret reliqui operis majeſtatem, tàm neceſſarium, ut ſingulis reſpondens partibus convenienti conſenſu Templi univerſi venuſtatem, ac magnificentiam conſumaret.

Cum hæc meditaretur Urbanus antequàm fundamenta ad ſubſtentandam molem apta jacerentur, nonnullis viſum fuit opus aggredi æquè arduum, ac periculis plenum, quibus certè Pontificis mentem avertendam ab eo eſſe opinabantur; & quidem triplici potiſſimùm de cauſa. Periclitari enim, ajebant, primò erga Principem Apoſtolorum venerationem, ſi fortè, cum terra egereretur, ſacri ejus Cineres eo loco abeſſe deprehenderentur, ſub quo Fidelium Cœtus illos latere piè opinabatur, & perduelles Romanæ Eccleſiæ hoſtes negabant. Quantum dedecoris Pontificiæ Auctoritati indè emanaturum, ſi (ut olim Sixto V. accidit, cum Divi Hieronymi Corpus in extructo à ſe Sacello reperire non potuit) Divi Petri Sepulchrum non detegeretur? Secundò tanti Theſauri jacturam imminere; cum enim eodem de loco quamplurima Sepulchra nulla inſcriptione notata aliò transferenda eſſent, BB. Apoſtolorum Principis Monumentum nulla fortaſſe notâ inſignitum cum iiſdem amoveri poſſe, atque ibi impoſterum cultum præſtandum fore, ubi ſacræ ejus Reliquiæ non adeſſent. Tertiò demùm ſepulchralem urnam longa annorum ſerie facilè conſumptam poſſe Operariorum incuria in effodiendo dilacerari, atque indè pretioſos cineres dilapſos, cum terræ glebis ità confundi, ut nunquàm ſeparari, nec recognoſci ampliùs poſſent. Talia diſcrimina effugienda eſſe ſuaderi à Religione, à qua certè Sacra Divi Petri Confeſſio aliis quamplurimis ditari poterat ornamentis.

Verùm quàm debilia fuerint objecta, ne ab egregio, ac religioſo molimine Summus Pontifex dimoveretur, ea quæ ſubiiciam, ſatis oſtendunt, ac primo quidem flocci penitùs faciendas eſſe, reſponſum eſt, Hæreticorum voces, negantes Divi Petri Sepulchrum Romæ extare, contra quas unanimi conſenſu militat tùm antiquorum, tùm recentiorum Auctorum ſeries, eruditione non minùs, quàm pietate inſignium, à quibus Fidelium Orbis docetur, illud ſub Sacra Confeſſione in Vaticano reconditum fuiſſe, ad quàm ſemper venerabundus acceſſit. Illam enim, poſtquàm Beatus Silveſter cum piiſſimo Conſtantino Sepulchrum exornavit, nulla Barbarorum vis, nullæ hoſtium inſidiæ violarunt, quamvis Templi Vaticani opes fuerint multoties

depredati. Neque confuſionis periculum adeſſe, ubi Beati Petri Sepulchrum ſupra cætera conſpicuum eſſe conſtabat ob ornamenta tùm ænea, tùm aurea, quibus ab eodem Imperatore fuiſſe ditatum narravit Anaſtaſius, cum ſcripſit
„ [Conſtantinus Auguſtus ex rogatu Sancti Silveſtri loculum cum Corpore
„ Sancti Petri recondidit, ipſumque loculum undique ex ære Cyprio con-
„ cluſit, quòd eſt immobile, ad caput pedes quinque, ad latus dextrum
„ pedes quinque, ad latus ſiniſtrum pedes quinque, ſubtus pedes quinque
„ ſupra pedes quinque; ſic concluſit Corpus Beati Petri Apoſtoli, & recon-
„ didit.

His addidere, fundamenta pro columnis ſubſtinendis quatuor in angulis effodienda eſſe, decem palmis circiter à loco diſtantibus, ſub quo Beati Petri Corpus jacebat; conditum enim fuit ſub foramine, cui imminebat Salvatoris imago ex muſivo expreſſa poſt æneum cancellum, ab Innocentio III. circa ann. 1200. refectum, de quo foramine hæc habuit S. Gregorius Turonenſis: *Sepulchrum Sancti Petri ſub Altari collocatum valdè rarum habetur, & qui orare deſiderat, reſeratis cancellis, quibus locus ille ambitur, accedit ſupra Sepulchrum, & ſic feneſtrella parvula patefacta immiſſo introrſum capite, quæ neceſſitas promit efflagitat.* Hoc ipſum foramen Anaſtaſius vocavit Billicum, ſeu Umbilicum Confeſſionis, quòd à multis Pontificibus exornatum ſcimus, præcipuè à Benedicto III. *qui ad illud cooperiendum* (inquit Anaſtaſius) *fecit cooperculum ex auro puriſſimo penſans libras tres.* Quamobrem nulla ratio Sepulchrum Divi Petri è ſuo loco dimovendum eſſe ſuadebat; verùm omnia ſtudia adhibenda, ut illi cultus augeretur pretioſo ornamentorum additamento, quæ pietas Summi Pontificis excogitaverat.

Cæteros igitur Sanctiſſimos Prædeceſſores æmulatus Urbanus VIII. nobiliſſimo Mauſoleo ex ære Corinthio auro ſuperinducto Sacram Beati Petri Confeſſionem decoravit; opere inquàm glorioſo, ſæculorum laboribus lucem allaturo, ſine gloriæ conſorte, quod Joanne Laurentio Equite Bernino perfectum Pietatis Sacellum, Cœli Aerarium, & Conditorium Aeternitatis Lælius Guidiccionius appellavit. (Apud Oldoin. 505.)

Vix illud moliri cæperat Berninus, cum inſipientium hominum voces contra ipſum inſurgentes, laudes ei debitas minuere ſtuduerunt. Ajebant enim, molis opificium extrui, quod nullus anteà, quamvis peritiſſimus Artifex auſus fuerat excogitare; nimiam metalli, aurique copiam in ea conſumendam, cui majeſtas, & decor defuiſſet. Ineptè tandem in centro Baſilicæ machinam adeò excelſam excitari, à qua Paraſtatarum, Naviumque ſibi mutuò reſpondentium proſpectus occluderetur. Verùm quam fruſtrà calumnias ſuas invidia, & imperitia inferre ſtuduerint peritiſſimo Artifici, ipſum opus detexit, quod ſemper Poſterorum ſeries admirabitur. (Baldinuccius in vita pag. 12.)

(De Roma antiq.) Recenſet illud Donatus noſter lib. 4. cap. 10. ſuoque ſtylo adeò eleganter expreſſum, ut ejus verba hìc inſerere, nullo penitùs apice variato ſanius duxerim, quàm emendicata elocutione deſcribere [Tota igitur moles
„ (inquit Donatus) fuſili ex ære conſtat, auro ſubindè interlita, ut miſceat
„ perennitati ſplendorem; tortiles in ea columnæ quatuor, ternis portioni-
„ bus compactiles, infima parte in ſpiram ſtriatæ, tortuoſis, & è folioſo

caudice

„ caudice erumpentibus canalibus, exindè arbuſculis laureis ſcapum am-
„ plexis identidem conveſtitæ, quarum ramulis æneî quamquàm pueri col-
„ ludunt, & auro guttatæ interquieſcunt Apes. Nituntur columnæ ſpiris
„ æneis, hæ ſtylobatis è pario marmore, quibus proſilientes anguli retra-
„ ctum, ac veluti alveolatum ophytem marginant, virgatumque verſico-
„ loribus maculis, modò ſparſis, & errantibus, modò ſe colligentibus,
„ & convolutis. At exterioribus quadratis ex eodem marmore inſertum
„ ſtemma Barberinum eſt, ſuperſculptis Pontificiis diadematis, & clavibus.
„ Capitula columnarum Jonico, & Corinthio genere compoſita in olivæ
„ folia ſe induunt, diſpari altitudine è fundo ſubnaſcentia, reſupinato per
„ ambitum verticis labro, è quibus erumpentes cauliculi circumflectuntur
„ externos in floſculos. Super hos echinum ſpectare eſt ſculptum ovis, &
„ ſpiculis, altiorem abacum medio comantem flore (& ſi alicubi pro flore
„ Sol eſt) introrſus ſinuatum, & ſupra volutas anguloſum. Hæ porrò inter
„ echinum, & abacum emergentes, in angulis foliorum tenus latiore circulo
„ ſe demittunt, tùm arctiores in Orbes circinatæ in medium tandem flo-
„ rem, floreum quaſi oculum, deſinunt. Capitulis incumbit Epiſtylium,
„ terniſque faſciis intermiſcet aſtragalos baccis, & verticillis interſectos.
„ Hoc ſequitur Zophorus radioſo notatus Sole, quem corona ſuperfulget
„ ſuperne projecta, deorſum autem oviculis, denticuliſque cælata. Super
„ coronam, quæ quadripartita, nec ultrà, quàm pro columnarum craſſi-
„ tudine producitur, ſtatuta quatuor cælitum juvenili ſpecie ſimulacra ſunt,
„ quæ manibus laureas retinent fronde prolixa implicatione, contextuque,
„ tanquàm in encarpis advolutas, retroque pertinentes ad proximam tra-
„ bem, & quodammodò colligantes. Trabes æneæ quatuor totidem molis
„ angulis inſertæ ab iis obverſæ invicem tolluntur, anfractuque flexuoſæ,
„ tùm paulatim coeuntes, ſupertenſis palmis inauratis, nec modicè reſu-
„ pinis, nectuntur in medium ſupercilium, è quo eminens globus ſuper-
„ ſtante cruce inauratus effulget. Sub trabibus expanſa ex ære umbella,
„ & ære imminens, continuatoque margine ſummo coronæ cymatio con-
„ juncta, toto inter columnas cælo ſubtenditur, aut ipſa cælum eſt, quòd
„ divinæ Columbæ aurato radiorum circulo ſubvolantis exornat candor,
„ & fulgor illuſtrat. Extremis umbellæ oris velut aſſuuntur æneæ in flexu-
„ ram conciſæ, auroque fimbriatæ laciniæ flocco inaurato dependulo, quas
„ ad coronæ altitudinem intercolumnium implentes, ſuperorum aligeræ
„ facies, & Barberinæ apes alterno auro diſtinguunt. At medium umbellæ
„ marginem tenuerunt minores duo cœlites, quorum alter inſidet, alter
„ ſupervolat, uterque puerili forma, & habitu. Et anteriori quidem fronte
„ hìc Pontificia corona, ille Cæli, Terrarumque clavibus oneratur.
„ Iiſdem inſignibus gaudent in averſa extremitate poſteriores. Qui latera
„ tuentur hinc, atque hinc minantes Pauli gladio corruſcant. Hæc eſt ærea
„ Urbani Moles, digna quæ ad cultum Eccleſiæ Principum in auguſto
„ Templo teneat Principatum]. Hùc uſque ſupradictus Donatus.

Et ne abſentium oculis ſuum deſit oblectamentum, ejus iconiſmum hìc attulimus, ab Oldoino in ſuo primo Tomo Addit. ad Ciacconium expoſitum, non tamen tàm affabrè delineatum. Tali iconiſmo Numiſmate Urbani *Fig. 49.*

Urbani VIII. illuſtrato, reliqua ad hiſtoriam ſpectantia breviter expediamus. Et primò notandum eſt illud anno trigeſimo tertio fuiſſe cuſum, quando videlicet huic magnificæ Moli coronidem Berninus impoſuit. Studium ille ſuum, & laborem, in hac ænea Mole novem integris annis inſumpſerat, in quorum ſpatio trecentos nummos ſingulis menſibus illi erogari juſſerat Pontifex, eâque abſoluta præmium ejus virtuti non impar dùm meditabatur, variorum ſententiam exploravit, quidnam præmii loco Bernino aptiùs conveniret: catenam auream illi tribuendam neſcio quis affirmavit, cui ſagaciter magnanimus Pontifex; aurum quidem meretur Berninus; catenam verò, qui talia conſilia meditatur. Itaque Urbanus decem mille nummos Bernino elargitus, unum inſuper ex ejus fratribus in Baſilica Lateranenſi Canònicum præfecit, alterum Clericis Vaticanæ Beneficiatis addidit. Merebatur quidem hæc munera Bernini peritia cum pietate conjuncta, qua Divum Apoſtolorum Principem venerabatur; ſolebat enim affirmare, ab ejuſdem patrocinio actum quidquid in Vaticanæ Baſilicæ fabrica molitus fuerat.

Baldinuccius in vita pag. 11.

Idem pag. 66.

Aliud Numiſma Urbanus excudit anno 1626. quo ædem æneæ columnæ Aræ impoſitæ exprimuntur, diverſa tamen cum coronide; etenim columnæ quatuor arcus ſuffulciebant in crucem coeuntes, ſupra quos Salvatoris è ſepulchro redivivi ſignum imminebat. Quatuor inſuper Angelos ſtantes, eo ferè modo, quem noſtra Tabula 50. indicat è Numiſmate acceptum. Quæ omnia ligno, & papyro compacta anno 1626. futuram æneam Molem expreſſerunt. Verùm cum mentem Pontificis non explerent, & nimio æris pondere ſubjectas columnas laxari poſſe timeretur, aliam formam ſupra à nobis expoſitam Berninus excogitavit.

Fig. 50.

Fuerat etiam Pontifici oblata alia ornamenti idea, in qua collocabantur columnæ vitineæ, quibus olim Divi Petri Confeſſio extrinſecus exornabatur, ut ſuperiùs dictum eſt, ſed cum Templi Aream nimis in longum protenſa inutiliter occuparet, ineptam exiſtimavit. Illam, ne quid deſit hiſtoriæ hùc attulimus delineatam in Tabula 51. prout extat inter tabulas delineatas à Martino Ferraboſco.

Fig. 51.


Menſe igitur Aprilis anni 1631. contignationem è variis trabibus ferreis retinaculis cum tranſverſis minoribus lignis invicem benè compaginatis, ad altitudinem capitulorum contexuerant. Ejus prototypus extat adhùc in officina lapidicina ejuſdem Vaticanæ Baſilicæ. Hæc lignea compago fuit bifariam diſtributa; ſenas utrinque Antennas quadratas primùm poſuere ad libellam erectas, quas pluribus hinc indè minoribus trabibus, Anteridum inſtar diſpoſitis, ſuffulciebantur; ſingulis deindè conjugatas alias trabes impoſuerunt, ſupra quas trajectis, trabeculis, tabuliſque contignationem effecere, annexis inſuper trochleis, quibus ænea pondera columnis imponenda facillimè extollerentur. Pluſquàm bis mille nummos argenteos pro hac machina ſolutos fuiſſe Torrigius affirmat, eaque perfecta die 8. Maii ejuſdem anni ablata fuiſſe lignea ornamenta, de quibus ſupra diximus, & 6. Junii alia impoſita, quæ die 28. ejuſdem menſis à Pontifice viſa, & probata unius ferè anni curriculo miro opificio Berninus ænea conflavit.

In MS.

Omnibus poſteà ritè diſpoſitis menſe Julio 1632. in ampla Baſilicæ Porticu,


TABVLA 49.

ÆNEA MOLES QVA D. PETRI ARAM
VRBANVS VIII. EXORNAVIT



Alexander Specchi delin. et Sculp


ÆNEA MOLES QVAM EQ. BERNINVS IMPONERE MEDITABATVR ALTARI D. PETRI



Hieronymus Frezza incidit

TABVLA 51.

ALIVD ORNAMENTVM MARMOREVM CVM COLVMNIS VITINEIS ANTIQVÆ BASILICÆ



Alexander Specchi del. et sculp.

Porticu, die Veneris 25. Novembris æneum capitulum columnæ, ſtatuæ Longini proximæ, impoſitum fuit, die 3. Decembris aliud Divæ Helenæ ſignum reſpiciens, die ſexta tertium propè ſtatuam Sancti Andreæ; die denique undecima quartum in angulo, ubi eſt Divæ Veronicæ ſimulacrum. Vacuitates capitulorum cæmentis opplevere, quibus expletis Angelorum ſimulacra addiderunt, & trabes abietinas æreis laminis circumtectas, quibus epiſtylium, zophorus, coronix, totaque umbella componitur, & die 28. Junii 1633. totum opus omni ex parte abſolutum apparuit.

In tàm nobili Mauſoleo aurum ſuperinductum quadraginta mille nummos aureos æquaſſe refert idem Torrigius, totum autem opus pluſquàm centum mille nummos ſibi vendicaſſe. Ad opus verò conficiendum trabes æneas Pontifex ſuſtulit antiquas ex Pantheonis porticu, quæ toties irruentibus Barbaris adhùc ſupererant inconcuſſæ, cujus rei in eadem porticu legitus inſcriptio his verbis exarata: In MS.

Urbanus VIII. Pontifex Maximus.

Vetuſtas ænei lacunaris reliquias, in Vaticanæ columnas, & Bellica tormenta conflavit, ut decora inutilia, & ipſi propè Famæ ignota, fierent in Vaticano Templo Apoſtolici Sepulchri ornamenta, in Hadriana Arce Inſtrumenta publicæ ſecuritatis. Anno Domini MDCXXXII. Pontificatus IX.

Totum illud æs libras æquabat quinquaginta mille ſupra quadringentas & ducentas quinquaginta, clavorum pondus erat 9374. duas verò columnas cum baſibus & capitulis quinquaginta quinque mille octingentas & nonaginta ſex libras habere die 1. Martii anno 1627. cognovit Berninus cum ſociis Artis Fuſoriæ peritis, Angelo Rubeo, & Ambroſio Lucenti Romanis. In libris Computorum, & Expenſarum Fabricæ anni 1627. enunciatur totam hanc æneam Molem, præter aurum, quo fulget, lib. æquaſſe 186392. ideſt centum octoginta ſex mille, trecentas nonaginta duas. Ex tanta igitur operis magnitudine, non modò admirabilitatem cæpit Auctoris poteſtas, ſed Sanctorum Cinerum veneratio incrementum, & loci ſublimitas majeſtatem. Quippè obverſatur mentibus intuentium eorum in Cælo ſedes triumphalis, quorum ſepulchrali ſplendore oculi perſtringuntur. Torrigius pag. 143.

Nec facilè dictu eſt, quantum Romanorum Pontificum pietas eluceſcat in luminibus, quæ in conſpectu Aræ noctu, diuque in honorem Principis Apoſtolorum perſeverant. Quod ſi moris fuit antiquiſſimi cereas faces, & lychnos penſiles accendere antè Sanctorum imagines, ut perpetui luminis alimento, æternæ, qua perfruuntur, gloriæ monimentum eſſent, ex documento Joannis Baptiſtæ Caſtilionei; profectò Divi Petri gloria in iiſdem clariſſimè ſignificatur. Narrat Bibliothecarius in vita Sancti Silveſtri Conſtantinum Imperatorem diœceſim Orientis donaſſe Beato Petro, à quibus oleum, & balſamum copiosè excipiebatur, pro lampadarum alimento, quæ antè Altare Beati Principis Apoſtolorum rutilabant appenſæ, de quibus in epiſtola Beati Petri Damiani ad Cadaloum Pſeudo-papam habetur, quòd Antiq. Mediolan. pag. 141.

eam

Apud Baron. anno 1061 „ eam poſſeſſionem accepta pecuniâ quidam Pontifex diſtraxit, canonemque aromatis, quem accipere ſolebat, amiſit; quare aliquantò poſt cum idem Papa prædicto Sacroſancto Altari quaſi devotus aſſiſteret & oraret, ecce quidam terribilis, & grandævus ſenex, in cujus etiam facie barbaraſium videbatur, elato bracchio colaphum ipſi vehementer incuſſit & ait. Tu extinxiſti lucernam meam antè me, & ego extinguam lucernam tuam antè Dominum, moxque diſparuit, ille verò protinus corruit, & paulò poſt diem clauſit extremum.

Propterea certatim piiſſimi Pontifices Apoſtolorum Principi cultum luminibus addidere, inter quos S. Gregorius Magnus aliqua prædia Baſilicæ „ dedit pro dote lampadarum, ut intelligas (ait Spondanus) quàm abundans in eadem Eccleſia eſſe ſoleret copia lampadarum incenſarum, quarum dumtaxat uſui tot, tantaque inſervire deberent oliveta.

Scribit Maphæus Veggius Beatam Mathildem donaſſe prædium centum milliariis circumſcriptum, ut Baſilica Sancti Petri luminibus adhibitis decoraretur. Idem affirmat, tempore Alexandri III. quo ipſe vivebat, noctu, diuque centum & quindecim lampades ardentes extitiſſe.

Anaſtaſius refert Gregorium II. mille aureos ad eundem finem tradidiſſe, & Hadrianum I. feciſſe Pharum majorem in typum crucis, qui pendebat antè Presbyterium, habentem 1370. candelas. Leonem III. feciſſe Polycandilum *porphyreticum* (ideſt æreum rubeſcens) pendens in pergula antè Confeſſionem in catenulis aureis, quæ penſabant libram unam. Fecit idem Pontifex Ceroſtatas majores fuſiles ex argento puriſſimo, quæ ſtabant antè Confeſſionem penſ. libras centum nonaginta octo.

Symmachus anno 498. Confeſſionem ornavit viginti lampadibus argenteis, quarum ſingulæ quinque libras ponderabant. Ormiſda trabem poſuit argenteam librarum 1400. ut lampades illi appenderentur ſexdecim, penſ. ſingulæ libras quindecim. Hilarus addidit viginti quatuor, Simplicius ſexdecim. Zaccharias coronam fecit argenteam centum viginti librarum, & pro ejus alimento viginti libras auri donavit. Gregorius XIII. duodecim alias argenti eleganti ſtructura fabrefactas tradidit. Leo IV. donis Divo Petro oblatis addidit quadraginta receptacula argentea, inſtar coronarum fabricata, in quibus lampades antè Altare appenderentur. Fecit etiam Phara ærea, quæ ſedent ſuper veſtibulum ſacri Altaris, numero duodecim.

Ex Anaſtaſ.

Franciſc. Sodo deſcr. de Eccleſ. MS.

Anaſt.

Nec una inerat ſpecies lampadarum, ſed diverſimodè extructa, ex qua diverſitate diverſa etiam nomina ſortiebantur; hinc Caniſtra, Regna, Coronæ, Bottri, Turres, Canthari, Phari, & Delphini dicebantur; quas omnes diligenter alere tenebantur Sacerdotes, quos Manſionarios appellabant, vel Cubicularios, prout affirmat Anaſtaſius in Sancto Leone. Hic conſtituit ſupra Sepulchra Apoſtolorum Cuſtodes, qui dicuntur Cubicularii ex Clero Romano, & clariùs in epiſt. 12. Zacchariæ Pontificis, in qua dicitur ex diverſis candelis Eccleſiæ oleo collecto in ſecretiori Eccleſiæ loco ad figuram interioris Tabernaculi inſiſtente, indeficienter cum multa diligentia inſpectæ ardeant ità, ut oleum ipſum ſufficere poſſit ad tertium diem, de quibus candelis Sabbato Sancto ſumptus ignis per Sacerdotem renovetur.

Narrat

Narrat Torrigius anno 1615. tredecim tantùm lampades perpetuò arſiſſe, in venerationem fortaſſe Chriſti Domini, ac duodecim ejus Apoſtolorum. Paulus V. deindè anno 1616. aliam argenteam addidit in quatuor alias minores diſtinctam, cujus pondus ſeptuaginta librarum erat, cum dote olei, hæc verba inciſa præſeferentem: MS. cap. 55.

PAULUS V. PONT. MAX.
ANNO DOMINI MDCXVI.
PONTIF. XII.

Crevit deinceps lampadarum numerus, ardentque hoc tempore ob Pontificum, aliorumque piorum Virorum obſequium ergà Divum Petrum centum ac decem lumina extrà Confeſſionem, intrà verò undecim alia in argenteis thecis, æreis, auratiſque copiæcornibus inſertis. Quorum numero in nullo alio Templo Romæ invenitur æqualis, ea potiſſimùm ratione (ait Cap. 13.
„ Petrus Mallius) quoniam hæc Divi Petri Baſilica omnium Eccleſiarum eſt
„ Caput & Speculum, nàm à Beato Petro Fidei lumen ſumpſit omnis Ec-
„ cleſia. Fuit enim (ut dixit Beatus Gregorius in moralibus) Chriſti Re-
„ ſurrectionis primus Prædicator; decet namque Beatum Petrum præſentis
„ Eccleſiæ Principem in Orbe, tanquàm totius Mundi Dominum venerari,
„ & ibi Sacroſanctæ Fundamentum Eccleſiæ eſſe, ubi erant mundanæ Mo-
„ narchiæ Principatus, & ubi mundani erroris major excreverat numerus,
„ ibi Chriſtianæ Salutis potior inveniretur medicina". Et, uti dixit Theodoretus Cyrenſis Epiſcopus in epiſtola ad Leonem Papam: SEPULCRA APOSTOLORUM TOTUM MUNDUM ILLUMINANT.

CAPUT XXV.

De aliis Baſilicæ Ornamentis ab Urbano VIII. & Innocentio X. additis.

NEC in ſola jàm dicta ænea Mole Sepulchro Apoſtolorum impoſita Urbani magnificentia celebratur. Plurima ſunt, quæ in Baſilica eam ſpirant argumenta. Anno enim 1630. marmoribus variis incruſtavit quatuor ingentia loculamenta, quæ in Pilis maximo Emiſpherio ſuppoſitis vacua etant, ac in eiſdem ingentes Statuas marmoreas viginti & duobus palmis alta addidit. Inſpiciatur Tabula 30. in ea numerus 48. indicat loculamentum, in quo Veronica effigiem dolorum Regis, quem in Urbem portavit, ſpectatorum oculis exponit in linteo. Eam ſuo ſcalpro incæpit efformare Franciſcus Mochus in monte Varchio Torrigius pag. 206.
natus die 24. Septembris anno 1631. die verò 29. Novembris 1632. abſolvit, eidemque hæc inſcriptio addita fuit:

SALVATORIS IMAGINEM VERONICAE SUDARIO EXCEPTAM, UT LOCI MAJESTAS DECENTER CUSTODIRET, URBANUS VIII. PONTIF. MAX. MARMOREUM SIGNUM, ET ALTARE ADDIDIT, CONDITORIUM EXTRUXIT, ET ORNAVIT.

Hanc Mochi Statuam ſummis laudibus voce, & calamo celebrarunt quamplurimi, nonnulli tamen errori tribuendum eſſe affirmabant, quod currentis effigiem expreſſerit, non verò ſtantis, ut ſtatuam decet, cujus nomen à verbo *ſto*, ſive *ſtatuo* Latini derivant.

Martinell. de Sept. Eccl. pag. 38.

Die 26. Octobris 1633. in parte oppoſita, à numero 49. indicata, collocata fuit Statua Longini Centurionis, qui Lanceam præfert beata Cuſpide præfixam, quæ latus Domini aperuit, cum hac ſequenti inſcriptione:

LONGINI LANCEAM, QUAM INNOCENTIUS VIII. PONT. MAX. A BAJAZETE TURCARUM TYRANNO ACCEPIT, URBANUS VIII. STATUA APPOSITA, ET SACELLO SUBSTRUCTO IN EXORNATUM CONDITORIUM TRANSTULIT.
Eam exſculpſit Eques Laurentius Berninus.

Die 15. Aprilis 1634. in alio loculamento, à numero 50. expreſſo, hunc titulum poſuere:

PARTEM CRUCIS, QUAM HELENA IMPERATRIX E CALVARIO IN URBEM ADVEXIT, URBANUS VIII. PONT. MAX. E SESSORIANA BASILICA DESUMPTAM, ADDITIS ARA, ET STATUA HIC IN VATICANO COLLOCAVIT.
Statuam effinxit Andreas Bolgius, Helenam, videlicet Auguſtam, quæ Imperii ſceptrum cum vexillo Crucis commutavit.

Alia ex parte, ubi numerus 51. Simulachrum Sancti Andreæ Apoſtoli inhiat Crucem, cui bracchium injecit, ſcalpro efformatum à Franciſco Quercino (vulgò il Fiammengo) ſub hac inſcriptione:

S. ANDREAE CAPUT, QUOD PIUS II. EX ACHAJA IN VATICANUM EXPORTANDUM CURAVIT URBANUS VIII. NOVIS HIC ORNAMENTIS DECORATUM, SACRISQUE STATVAE, AC SACELLI HONORIBUS COLI VOLUIT.

Antequàm marmoreum illud efformaret Franciſcus, cæmentis expreſſum in loculamento illi ſtatuto à Præfectis Fabricæ, in quo nunc Divæ Helenæ ſimulachrum adeſt, ſpectatorum oculis expoſuit, quo viſo, probatoque à Summo Pontifice Urbano, transferri aliò curavit, ut ſcalpris egregium opus perficeret; at infauſto cum eventu, nàm cæmentitium opus

multis



a Francisco Mocho in marmore exculpta
a Carolo Patacchia delineata
et ab Hieronymo Frezza ære incisa an. 1696. Romę



Ab Equite Laurentio Bernino exculptus
a Carolo Patacchia delineatus
et a Hieronymo Frezza ære inciſus anno 1696. Romę.



ab Andrea Bolgio exculpta
a Carolo Patacchia delineata
et ab Hieronymo Frezza ære incisa an. 1696. Romę.



a Francisco du Quesnoy uulgo il Fiamingo exculptus
a Carolo Patacchia delineatus
ab Hieronymo Frezza ære incisus an. 1696. Romę.

Hieronymus Frezza incd.

multis in partibus laxari cæpit, incuria demùm, ſeu invidia Operariorum nobilem Artificis ideam obliteravit. Non tamen animo cecidit Franciſcus, ſed novam ideam molitus, ut illam in marmore exprimeret, operi ſe totum addixit. Quinque annorum ſpatium in Statua exſculpenda, futuris annorum periodis nunquàm ſatis celebranda, conſumpſit, eâque abſoluta ingenti mœrore gaudii loco animum cumulavit. Statuam enim in loculamento, quud num. 51. indicavimus collocari juſſerunt Fabricæ Præfecti, quippè qui Sanctiſſimæ Crucis imagini ab Helena oſtenſæ digniorem locum convenire decreverunt, oppoſitum verò Divi Apoſtoli Simulacro. His, aliiſque curis exagitatus egregius Artifex, ac penitùs conſumptus vivere tandem deſiit, immortale tamen apud Poſteros nomen adeptus in ſaxo.

Hæc omnia viginti millia nummorum pretium ſuperarunt. Fuerunt hæ Statuæ à Bartholomæo Tortoletto carminibus deſcriptæ, quæ in ſua Roma ex ethnico ſacra refert Martinellus. Illas nos cælo expreſſas exponimus quatuor in Tabulis, è prototypis fideliter delineatas, ut celeberrimorum Sculptorum certamina in iis efformandis inſpici poſſint, & ſimùl pietas excitari. His Sanctorum ſignis juſſit Urbanas Aras dedicari ſubſtructis in cellis, quibus Tabulas appoſuit depictas ab Andrea Sacco, ſed cum loci humiditas paulatim eas obliteraret, muſivo opere eleganter expreſſit ſub Innocentio XI. Fabius Chriſtophorus. Pag. 282. *Fig.* 52. 53. 54. & 55.

Statuarum loculamentis alia quatuor ejuſdem magnitudinis imminent, cum pluteis marmoreis, inducta auro, columnis cochlydibus, epiſtyliis & coronis cum infantibus aligeris inſtructa. Singulis anterioribus ſingula ſunt repoſitoria, quibus Veronicæ Linteum, fruſtum Dominicæ Crucis, Lancea, aliæque Sanctorum Reliquiæ pio cultu ſervantur. Ob hæc tantaque Urbanæ magnificentiæ, & in Vaticanam Baſilicam collata decora, ſuas partes eſſe duxit Illuſtriſs. & Reverendiſs. Canonicorum Clerus aliquod grati animi ſignum indicare. Quapropter die 12. Novembris 1635. in Capitulo, ut ajunt, congregatus, omnium conſenſu ſequens Decretum perpetuis tabulis conſignavit:

„ Cum Sanctiſſimus Dominus Noſter Urbanus Pont. Max. qua ergà
„ Beatum Petrum fulget pietate nuper ad ſacram rem ſolemni ritu haben-
„ dam, apud Aram maximam, quam idem Pontifex ingenti ſumptu, ac
„ ſuperbo opere toti Orbi admirandam erexit, ſacras veſtes ad omnem
„ Miniſtrorum, & Altaris ornatum tam albi, quàm rubri coloris, auro,
„ argentoque eximiè elaboratas donaverit; Capitulum, & Canonici hujus
„ Sacroſanctæ Baſilicæ novis quotidiè muneribus, & beneficiis, honeſtati,
„ & aucti, gratis animi impulſu ità ſanxerunt. Natalis Sanctitatis Suæ fe-
„ ſtivus ſingulis annis, quamdiù vixerit, ut lætus ab univerſo Baſilicæ
„ Clero votivo aliquo ſacro apud eamdem Aram celebretur, quo B. Petri
„ ſuffragantibus meritis incolumis diu, ac beatus, hoſtium Eccleſiæ con-
„ tuſa ſuperbia, tranquilla pace fruatur. Cum verò coronam gloriæ, &
„ & diadema decoris in æternitate recipiet, tunc gaudiis Angelorum Cæ-
„ tibus, & ſupernis Civibus conceſſis deſiderium tanti Pontificis, de Baſi-
„ lica optimè meriti, lugubri anniverſario ſacro perpetuo conteſtetur.

Hæc ſunt, quæ de Sacra Confeſſione, in quo Principum Apoſtolici Senatus Corpora requieſcunt maximis ſumptibus exornatà, cæteriſque adjacentibus ornamentis breviter exarare calamus potuit: opus enim eſt hujuſmodi, ut qui oculis non ſubjecere, mente complecti vix poſſint, ut verbis utar Pauli de Angelis. De Baſil. Vatic.

Quandoquidem ſub maximo Tholo Baſilicæ verſamur ſupradicta ornamenta à Bernino extructà inſpicientes, operæ pretium erit hìc indicare rimulam, ferè digiti craſſitiem æquantem, quæ in parte Tholi interiori producitur à coronice magni tympani ad circulum uſque, quo patet Laterna Tholo impoſita. Eam licèt annis elapſis, ſed incerto tempore ſua ſpontè fatiſcentem, cum neſcio quis è vulgò imperitus recognoſceret anno 1680. bellicum canere contra Berninum cæpit, ſuâque crebra obmuratione veluti tympano copias comparare ſtudebat, à quibus tanti Viri fama apud Poſteros minueretur. Illi enim tribuendam eſſe, ajebat, proximam Vaticanæ Fabricæ ruinam, quàm Tholi rimulæ indicabant, utpotè qui operam ſuam ſub Urbano VIII. peſſimè impenderit in magnis loculamentis ad ſacras Reliquias cuſtodiendas marmoribus exornandis, ſcalis in Paraſtatis Tholum ſubſtinentibus extruendis, aditibuſque aperiendis, per quos itur ad mœniana, è quibus ipſæ Reliquiæ populo certis anni diebus oſtenduntur. His vocibus inter ignarum vulgum quotidiè percrebeſcentibus, addita eſt diſſertatio Summo Pontifici oblata, quæ tanto malo remedium efflagitabat, ne unius Artificis inſcia temeritas, tot Pontificum expenſæ, Artificumque inſignium labores penitùs diſſiparentur. Percupidus itaque prudentiſſimus Pontifex Innocentius XI. veritatis explorandæ, Illuſtriſs. Præſuli Joanni Carolo Veſpiniano Vaticanæ Fabricæ Præfecto præcepit, ut peritiſſimorum Urbis Architectorum operâ uteretur, qui Tholum, & Baſilicæ partes diligenter recognoſcerent, omnibuſque examinatis, ſuam quiſque ſententiam de infauſto omine enunciaret. Verùm omnibus accuratiſſimè inveſtigatis fallacem contra Equitem Berninum accuſationem compererunt, atque fabricæ molem firmiſſimè permanſuram. Totam examinis ſeriem expoſuit Philippus Baldinuccius in vita ejuſdem Equitis Bernini à pag. 82. uſque ad 102. Illam adeat curioſus Lector. Nobis pauca hæc delibare ſufficiat, videlicèt: Parietum rimulas antiquas fuiſſe, ex ipſa fortaſsè mala fabricæ conſtructione provenientes. His adde ejuſmodi ſcalas adituſque, per quos ad mœniana loculamentorum itur extitiſſe in Paraſtatis anterioribus, in quorum altero ſacrum Veronicæ Velum cuſtoditur, in altero verò Caput Divi Andreæ, antequàm Berninus eadem loculamenta marmoribus exornaret, quod evidenter patet ex relatione tranſlationis harum Sacrarum Reliquiarum, quàm recenſuit in ſuo tractatu de Sacro Chriſti Sudario MS. Jacobus Grimaldus, Pag. 86. ubi hæc habet ſub titulo:

Delatio Sanctiſſimi Sudarii, Lanceæ, & Capitis Sancti Andreæ Apoſtoli in novum Templum Sancti Petri.

Die prima Martii anno Domini 1604. abſoluto opere ſuggeſti in novo Templo Sancti Petri nobiliſſimis, politiſque marmoribus, poſitis in dextera para-







FIG. X.







Hieronymus Frezza incidit

paraſtata majoris Altaris ejuſdem Principis ſub maximo Tholo, undè populo celeberrima Sanctiſs. Salvatoris Noſtri Imago, quæ Veronicæ dicitur, ac Lancea, quà Latus ejus effoſſum eſt publicè oſtenderentur, Illuſtriſſimus, & Reverendiſſimus Dominus D. Evangeliſta Pallotta Cardinalis Cuſentinus dictæ Baſilicæ Archipresbyter, nolens Chriſtianum Populum, diebus his Sanctis ad has Reliquias inviſendas in maxima multitudine confluentem, ſpirituali ſolatio carere, accelerato opere, & ad finem perducto, ſtatuit dicta feria 5. Hebdomadis Reliquias præfatas, & Sancti Andreæ Apoſtoli Caput ex Archivo Baſilicæ in dictum ſuggeſtum, & locum transferre [Igitur die „ Lunæ 20. Martii 1606. idem Illuſtriſſimus Cardinalis poſt celebratam „ Miſſam in Sacrario, benedixit capſam cypreſſinam, ſericis pannis veſti- „ tam, pro recondendis ipſis Reliquiis. Deindè ſe contulit ad locum, & „ ſuggeſtum præfatum, eumque ſimiliter benedixit, & aſperſit aqua, idem „ fecit in altero ſuggeſtu alterius Paraſtatæ, ubi hodiè ſervatur Caput San- „ cti Andræ Apoſtoli; deindè narrat cæremonias, quibus tranſlata ſunt ex „ Archivo Reliquæ, & collocatæ in dextera paraſtata; & rursùs reſumit „ Grimaldus, Anno 1612. in Apoſtoli Sancti Andreæ vigilia 29. Novem- „ bris Dominus Marcellus Phylonardus Canonicus ſtola indutus idem San- „ cti Andreæ Caput à dextera Paraſtata ad Suggeſtum ſiniſtræ excelſæ pilæ, „ ritu privato detulit]. Itaque ſi Beati Andreæ Caput ad talem Suggeſtum tranſlatum fuit à Paulo V. deputatum, ut indè Populo oſtenderetur, profecto tam in dextera, quàm in ſiniſtra Paraſtata erant Loculamenta cum ſcalis, per quas Canonici debuerunt aſcendere ſacris veſtibus induti, Sacras Reliquias piè deferentes: nec potuiſſent ea, quæ par erat, reverentia deferre, ſi per ligneas ſcalas, ſeu funium beneficio aſcendere debuiſſent. Erant inſuper aditus, per quos è ſcalis ad Suggeſtus, ſive Mœniana poſſent commodè tranſmeare. Licèt enim eximius ille Architectus loculamenta exornaverit, nullam Paraſtatis detrimentum intulit, imò potiùs addidit fulcimentum.

Ut hæc omnia manifeſtè pateant, adeamus Tabulam 56. in qua loculamentorum ichnographiam delineavimus. AA. oſtendit loculamentum inferiùs ab Antiquis Architectis in Paraſtata relictum. BB. indicat marmoream veluti veſtem, qua loculamenti cavitatem exornavit Berninus. C. baſim pro ſtatuis collocandis. D. ſcalam antiquam, per quàm ad Confeſſionem Sancti Petri dabatur deſcenſus. Alia figura oſtendit characteribus EE. antiquum loculamentum ſuperiùs inferiori omninò reſpondens. F. indicat additamentum marmoreum, quo Berninus loculamenta decoravit. G. cavitatem, ſeu ſpatium demonſtrat, inter antiquum parietem, & marmoreum ornatum à Bernino prudenter relictum, ut nempè à lateritio pariete noxiam marmorum humiditatem arceret. Scalas quidem extruxit Berninus in duabus tantùm inferioribus Templi paraſtratis è regione oppoſitis aliis duabus, quibus ſub Paulo V. ut retulit Grimaldus jàm inerant ſcalæ; verùm puteos non aperuit, imò eos anguſtiores reddidit. Quatuor enim lateribus conſtabant, quorum latiora pal. novem, anguſtiora verò ſeptem cum tribus unciis æquabant, nunc verò angulis novo pariete oppletis à Bernino circularem figuram habent, diameter ſeptem palmis expletur, ut in ſubjecta Figura X. dilucidè apparet. Ex quibus patet, quàm immeritò Bernini gloriam minuere

Fig. 56.

Non in tribus, ut ſupponit Baldinucc. pag. 90.

Baldinuccius in vita pag. 90.

conata

conata fuerit, ſeu imperitorum quorumdam invidia, ſeu invidorum inſcitia.

Conſtat inſuper à veritate aberraſſe Auctorem noſtri ævi, cæteroqui præclarum, cum anno 1650. ſcripſit [In Vaticanæ Baſilicæ ſtructura ſub
„ Urbano Pontifice duos ſuperveniſſe errores non benè ab Architectore præ-
„ viſos, ut eventus monſtravit, quorum alter fuit, ut quatuor anguli Ec-
„ cleſiæ, quibus tota Tholi machina innititur (contra monimenta à Bona-
„ rota relicta circa hanc Vaticanam Molem) fuerint illi omnes in medio
„ intùs perforati, ut cochleares gradus perficerentur, quibus aſcenſus ad
„ ſuperiora alia loculamenta aperiretur, ac etiam Aræ in inferiori parte
„ quarumlibet pilarum dedicarentur, ex hoc autem facta Tholi diſſolutio,
„ & aperitio, in media ſui parte, quamvis deindè reſtaurata, ſeu occultata,
„ quod damnum iu tanta Mole reparari impoſſibile vix creditur ne futuris
„ temporibus forſan deterius contingat.

Jo. Baptiſta Caſalius de Urb. ſplendor. cap. 22.

Innocentius autem X. Prædeceſſorum in Vaticana exornanda Baſilica ſtudioſiſſimus æmulator, ſuam tanto operi magnificentiam, liberalitatemque deeſſe haud paſſus eſt, in cujus conſtructione ſæcula deſudarunt, & quod ſæculorum omnium miraculum eſt; nàm ipſe ſecundo Pontificatus anno interiorem partem Templi ornare cæpit non minore magnificentia, variis lapidibus pretioſis artificiosè commiſſis, ne quid poſthac deſiderari contingat, ſuprema ornamenta conquiſivit, dùm excelſos hinc indè parietes, qui Sacella ambiunt, aptatis è vario colore marmoribus, miroque artis ſtudio in unum compactis obtexit, ibique inventore Franciſco Maria Torrigio, trophæorum inſtar venerandas Beatorum Pontificum, qui Martyrii palma præfulgent, imagines marmori inſculpendas curavit, adjectis palmis, liliis, infantibuſque marmoreis, quæ omnia Nicolaus Sale Gallus exſculpſit. Geminas minores naves, ſeu ambulationes condecoravit columnis è Sabinorum ſaxo albo rubro, vulgò *Cottanello*, à loco, ubi effoditur, capitulis, baſibus, arcubuſque tholo ſubſtinentibus. Binas ſingulis arcubus adjecit ſtatuas ex opere marmorato, quarum primam in parte ſiniſtra compegit Franciſcus Roſſius, ſecundam Joannes Dominicus Roſſius, ſeu Chivizanus; tertiam, & quartam Coſmus, & Franciſcus Fancellus, quintam Lazarus Morellus, & ſextam Joannes Baptiſta Marcellus. In parte autem dextera prima à Dominico Præſtinoro confecta eſt, ſecunda à Bartholomæo Cennino; tertia, & quarta à Nicolao Menghino; quinta, & ultima ab Andrea Bolgio, & Ambroſio Bonvicino. Pavimentum demùm verſicolori marmore ſubſtravit, ut uno, eodemque tempore, & exornandæ Baſilicæ, & antiquitati ſimùl proſpiceret, eidem pavimento Rotam illam porphyreticam veluti nobile monimentum reſtituendam curavit, cujus in Cæremonialibus libris ſæpè mentio recurrit, dùm de Romanorum Imperatore coronando agitur; quippè ſupra illam coronandus ſiſtebatur, ubi precibus ab Epiſcopo Cardinali ſolemniter repetitis, ad ſacrum Apoſtolicæ Confeſſionis locum ducebatur. Ejus Rotæ in Paſchalis Papæ geſtis fit mentio.


Baldinuccius in vita Bernini pagina 81.

Arringus lib. 2. cap. 9.


Hæc omnia Innocentius egit anno 1648. & 49. dirigente Equite Bernino, ut, recurrente Jubilæi anno quinquageſimo ſupra milleſimum ſexcenteſimum, Vaticani Templi decus, & gloria, omnibus ferè numeris abſo-

luta,

FACIES INTERIOR BASILICÆ VATICANÆ IN QVA
IANVÆ PATENT CVM ORNATV AB INNOCENTIO X. ADDITO



Hieronymus Frezza incidit



Arnoldus Van Westerhout incid.



Arnoldus Van Westerhout incid.



Arnoldo Van Westerhout Sculp.

luta, perennes Apoſtolorum triumphos Nationibus, ex toto Orbe terrarum in Urbem confluentibus, inculcaret, venerationem ingereret, atque intuentium oculis incomparabilem Pontificum Romanorum munificentiam tot notis, quot monimentis perpetuò obteſtaretur.

Quæ autem iſta fuerint abſque alia deſcriptione indicat Tabula ſubjecta, in qua ornamenta Paraſtatis adjecta delineari curavimus, omniaque comprehendit ſequens inſcriptio ſupra mediam majorem portam collocata, & à Patre Famiano Strada Societatis Jeſu rerum ſcriptarum elegantiá celeberrimo concinnata: *Fig.* 57. Paulus de Angelis de Eccl. Vat.

BASILICAM
PRINCIPIS APOSTOLORUM
IN HANC MOLIS AMPLITUDINEM
MULTIPLICI ROMANORUM PONTIFICUM
AEDIFICATIONE PERDUCTAM
INNOCENTIUS X. PONT. MAX.
NOVO CAELATURAE OPERE
ORNATIS SACELLIS
INTERJECTIS IN UTRAQUE TEMPLI ALA
MARMOREIS COLUMNIS
STRATO E VARIO LAPIDE
PAVIMENTO
MAGNIFICENTIUS TERMINAVIT.

In hoc columnarum ornatu quindecim millia nummorum impendit Innocentius; mille inſuper nummos in ſingulis Paraſtatis exornandis. Ex libr. Fabricæ.

CAPUT XXVI.

De Porticu à Paulo V. excitata.

EXEUNDUM jàm nobis eſt è Baſilica, de qua ſatiùs fuiſſet ſilere (ut ille dixit de Carthagine) quam pauca dicere. Tot enim, ac tanta ſunt ejus ornamenta, ut ſi ſingula calamo perſequi velimus, paginæ ipſæ ac dicendi vires deficerent. Priſcorum Athenienſium mores Demoſthenes ſuorum temporum moribus longè præferebat: *Nàm publica*, inquiebat, *ædificia, & præſertim Templa tàm multa, tàm magnifica, tàm ornata nobis reliquerunt, ut quibus ſuperarentur, nullus relictus eſſet locus.* Verùm palidoniam caneret, ſi hanc Vaticani Templi ſtructuram perluſtraret. Pauca quidem, & tenui pennicillo deſcripſi, ut qui Romæ non adſunt, aliquam notitiam habeant hujus operis tàm immenſi, tantaque admiratione digni, in quo quadringentos ferè ultrà mille integros annos Summorum Pontificum induſtriæ immenſas opes certatim inſumpſere, ut Principis Apoſtolorum merita toti Orbi terrarum palàm Saluſt. de bello Jugurt. in princ. Leo Bapt. Albertus lib. 9. cap. 1.

palàm oſtenderent, eùmque ut Cæli Cuſtodem debito cultu in terris venerarentur.

En igitur patet antè fores Baſilicæ ampliſſima Porticus à Paulo V. adjuncta, juxtà morem Antiquorum. Hanc Porticum Madernus non delineavit, ut Michael Angelus Bonarota præſcripſerat apertam, & columnis extructam, ut in Tabul. 15. 17. & 19. delineavimus, & antiquum Pantheon oſtendit, ſed amplis paraſtatis circumſcriptam, inter quas quinque aditus relinquuntur in fronte, januis Baſilicæ omninò reſpondentes, duoque alii in extremis hinc indè partibus arcuato pariete ſubiiciuntur. Ejus medietatem exhibet ſequens Tabula 58. Ichnographica, in qua omnium partium menſuras numeris adjectis indicavimus, producitur namque tota Porticus, juxtà Fontanæ obſervationem palmis 318. & palmis 57. dilatatur. Aliis deindè in Tabulis 59. & 60. ejuſdem Porticus per longum diſectæ Scenographiam, & utriuſque extremitatis ingreſſum, ut Pauli V. pietas, ac magnificentia clariùs eluceſcat ſingulas ejus partes litteræ appoſitæ ſic indicabunt:

Fig. 58. *Libr.* 15. *cap.* 18. *Fig.* 59. & 60.

In Tabula 59.

AA. Januæ in mediam navim Baſilicæ ingreſſum præbentes.
B. Janua, quæ Sancta dicitur, Anno Jubilæi ſolùm aperta.
CCC. Feneſtræ Baſilicam luce irradiantes.
D. Ingreſſus in Porticum ſuperiorem.
E. Ingreſſus in Porticum inferiorem.
F. Porticus pro Turri Campanaria ſubſtinenda.
G. Initium ſcalæ ad Aulam Regiam ducentis.

In Tabula verò 60.

A. Mœnianum pro Benedictionibus.
B. Porticus ſuperior.
C. Feneſtræ Baſilicam reſpicientes.
D. Januæ Baſilicæ.
E. Porticus inferior.
F. Primum Baſilicæ Sacellum.
G. Tectum ſupra Porticum.
H. Ambulacra, & tranſitus ad cubicula inter muros Baſilicæ.
I. Hipetrum, cum balauſtris, ſupra quæ Statuæ Apoſtolorum.


Hypæthrum ad coronam palmos continet 57. à corona ad fornicem palmos 26. totaque ſimùl altitudo palmos 86. Latera in ea ſunt commixtis marmoribus antiquis, & 20. columnis inſtructa, quibus ſex aliæ canaliculis diſtinctæ addidit Madernus ad ornatum januarum, per quas ad navim medianam itur, annis 1618. & 1619. collocatis, ſuntque illæ, quæ olim parietes Baſilicæ Conſtantinianæ ſuſtinebant, Paraſtadibus, ac ſuperjacto epiſtylio exornatæ. Marmorata teſtudinis opera Martinus Ferraboſco, ut refert Fontana,

Turrigius MS.


TABVLA 58.

ICHNOGRAPHIA PORTICVS BASILICÆ A PAVLO V. ÆDIFICATÆ

A. Locus destinatus portę Sanctę
B. Scala Regia ab Alexandro VII. extructa
C. Basis supra quam statua Constantini magni equo insidentis
D. Aditus ad Palatium Pontificium
E. Porticus Alexandri VII.
F. Sacellum S.^{mi} Crucifixi




TABVLA 59.



Hieronymus Frezza incidit

EIVSDEM PORTICVS EXTREMITAS



Hieronymus Frezza incidit

Fontana, concinnavit. Torrigius tamen affirmat eorum artificem fuiſſe Jacobum Peruſinum, eique ſoluta viginti ſcuta pro ſingulis decempedis. Plaſticum autem opus item inauratum, quod res geſtas Principum Apoſtolorum admiranda majeſtate exprimit Joannes Baptiſta Riccius Novarienſis compoſuit anno Pontificatus Pauli decimo quinto, ut Grimaldus refert, cui addidit 36. ſimulacra Sanctos Pontifices referentia, in laxamentis collocata, quæ inter feneſtras, & fornicem interjacent circumflexa, videlicet SS. Linum, Clementem, Anacletum, Evariſtum, Alexandrum, Sixtum, Teleſphorum, Hyginum, Pium, Anicetum, Soterum, Eleuterium, Victorem, Zephirinum, Cæleſtinum, Urbanum, Caliſtum, Pontianum, Anterum, Fabianum, Cornelium, Lucium, Stephanum II. Sixtum II. Dionyſium, Felicem, Eutichianum, Cajum, Marcellinum, Marcellum, Euſebium, Miltiadem, Liberium, Julium, Marcum, & Silveſtrum.

Quandoquidem de plaſtico, ſeu marmorato opere, quo Porticus exornatur nobis ſermo eſt, non injucundum erit, hìc referre quonam pacto, poſt antiquorum uſum, reſtitutum nobis fuerit, quod longa temporum ſeries, ac hominum oblivio ex officinis removerat. Ejus inventorem fuiſſe Lazarum Bramantem affirmat Vaſarus par. 3. a. pag. 39. Donatus tamen in ſua Roma Joanni Utinenſi, prout in ejus vita idem Vaſarus enarrat par. 3. pag. 33. hoc pulchrum inventum attribuit in luculenta, elegantique enarratione, quam iiſdem ejus verbis hìc inſero [Julius II. inquit ille, conduxe- Lib.4.cap.9
„ rat non ignobiles artifices, operamque ſtrenuè liberali Principi illi loca-
„ verant. Cum lumina illius ævi ſupervenere Raphael Sanctius Urbinas,
„ & Michael Angelus Bonarota, ille Pictor incomparabilis, & inſignis
„ Architectus, hìc Sculptor, Pictorque, & Architectus eximius. Remotis
„ ergò cæteris Raphael, ſecretiores Aulas, & Conclavia, uſque ad miracu-
„ lum coloravit. Bonarotæ oblatum Sixti Sacellum, in quo Pontifices ſa-
„ crorum cæremonias cum Patrum Senatu obire ſolent, ut ejus fornicem
„ per lunulas ſuſpenſum pictis jàm parietibus appingeret. Fecitque admi-
„ rabili opere. Aliquanto poſt, Paulo III. Pontifice, interiori fronti ejuſdem
„ Sacelli novam picturæ claritatem induxit. Iconem extremi Judicii, &
„ Chriſtum Dominum venientem in nube majeſtatis expreſſit. Ea tempe-
„ ſtate ignota Romanis hypogea, & concameratas cryptoporticus in anti-
„ quo Titi Cæſaris Palatio, ac Thermis Eſquiliarum effoderat, inſita mor-
„ talibus perveſtigandi cupido; quam latens aurum accendit, aut ſi quid
„ artefactum auro pretioſiùs celant cuſtodes ruinæ. Apparebant parietinæ
„ plaſticis toreumatis loricatæ. Hæc porrò, quamvis tot antè ſæculis ſe-
„ pulta, adhùc tamen vegeta, & integra vetuſtatem ſub terra, quaſi è tutò
„ non ſenſerant. Grotiſcæ vocantur, quòd in Cryptis repertæ ſunt. Erant
„ in comitatu, & contubernio Raphaelis plurimi picturæ candidati, quos
„ ille ſpe artis addiſcendæ alebat; inter eos Joannes Utinenſis, juvenis
„ promptus, & ſagax, traductoque ad poſteros novo plaſticæ invento nobi-
„ litatus. Is in Cryptas cum Magiſtro frequenter ventitabat, manumque
„ Plaſtarum veterum commendabat aſſiduè. Jamque prodigioſas illas ſemi-
„ hominum, monſtrorumque figuras, & habitus rubricâ retulerat in mem-

 branas,

„ branas, ſed materiam, qua formarentur odorari non poterat. Calci ad-
„ dendum aliquid conſtabat, ſabulum, pulviſque puteolanus ruber, &
„ paulò craſſior reiiciebatur. Contudit lapidem Tyburtinum: livebat calci
„ permixtus, nec figurata lævigabat. Marmoris contuſi candidum, & cri-
„ bro excretum pulverem macerata cum calce ſubegit, ac mollivit. Nunc
„ verò formando, lævigandoque habilem expertus, deprehendit. Non
„ alium intritæ uſum fuiſſe veteribus plaſtis. Nàm ad eam diem mixtura
„ neſcio qua è gypſo, calce, pice, & cera eliquata, contritoque laterculo
„ parietes leverant. Hoc triſti temperamento elaborabant inæquale tecto-
„ rium, ut auri bracteolas ſuperinducerent. Igitur receptum vetus, germa-
„ numque marmoratum ad Leonis X. porticus primò traductum eſt].
Hactenùs Donatus.

Supra medium Porticus aditum Giotti Naviculam collocavit Berninus ſub Alexandro VII. & in oppoſito arcuato intervallo, quòd Templi Portæ imminet lapideam Tabulam, in qua idem Berninus, jubente Innocentio X. inſculpſit Chriſtum Petro Claves porrigentem.

CAPUT XXVII.

De Templi Januis.

E QUINQUE Templi Januis palmorum 16. & unciarum 3. latitudinem habentibus, & 33. unc. 2. altitudinem, tres columnis ex veteri albo cæruleo marmore canaliculis ſtriatis exornantur. Fuerunt olim æneæ hæ Baſilicæ fores, deindè ab Honorio I. anno 630. argenteæ, qui Pontifex, ut narrat Bibliothecarius, inveſtivit
„ regias Januas ingreſſu Eccleſiæ majores, quæ appellantur medianæ ex
„ argento, quæ penſant lib. noningentas ſeptuaginta quinque. Eas poſteà
Saraceni circa annum 846. argento nudarunt. Sed Leo IV. anno 850. ex
„ Anaſtaſio iterùm erexit, multiſque argenteis tabulis luciflui, ſalutiferiſ-
„ que hiſtoriis ſculptis decoravit, & in meliorem ſpeciem, quàm pridem
„ reparavit, ut omnes, qui eamdem Baſilicam ingredi volunt laudes Deo
„ Omnipotenti, Sanctoque ſuo Præſulatui referant, & expoſcant, ut multa
„ annorum ſuæ vitæ curricula oſtendantur, qui tanti fulgoris opere, tan-
„ toque pulchritudinis pondere aulam Dei argento penſ. libras ſeptuaginta
„ ornavit]. Et Maffæus Veggius lib. 4. [Leo IV. imitatus id, quod de
„ Templo Salomonis memoriæ proditum eſt, cujus portas argento utique
„ apertas, atque à Tito Imperatore poſteà bella, quod contra Judæos ſu-
„ ſcepit, igne ſuccenſas fuiſſe Egeſippus ſcribit, hanc portam tabulis ar-
„ genteis præmunivit] quàm deinceps argenteam appellatam fuiſſe idem
„ Veggius affirmat; ejuſque ornamentum duraſſe uſque ad tempora Ale-
„ xandri III. (ſcilicet ad annum 1160.) poſtmodùm corruptam, deforma-
„ tamque, gravem in modum ſemper fuiſſe, adeoùt, & nomen, quo ar-
„ gentea vocabatur amiſerit.

Euge-

„ Eugenius deindè IV. anno 1440. hanc portam priſtino decori reſti- „ tuit, ductam ex ære magno ſumptu, miro artificio expreſſis ibi magnis, „ & præſtantioribus rebus geſtis ſuis, non quidem ex argento, proſpiciens „ altiùs, ne fortè aliquando, quemadmodùm ſuperioribus temporibus in- „ fanda prædonum cupiditate violaretur, cui & impreſſa ſunt epigrammata „ in teſtimonium geſtarum ejus, quæ nos addidimus hujuſcemodi:

Hæc ſunt Eugenii monimenta illuſtria Quarti,
Excelſi hæc animi ſunt monimenta ſui.

Item aliud:

Ut Græci, Armeni, Aethiopes, hìc aſpice ut Indi
Romanam amplexi ſint, Arabeſque Fidem.

Vaſarus refert Eugenium IV. anno 1431. cum audiſſet Florentiæ æneas fores extrui à Laurentio Ghiberto pro Templo Divi Joannis Baptiſtæ, harum fabricam commiſiſſe Antonio Filareto, & Simoni fratri Donati Florentini Sculptoris, qui labores ſuos duodecim annos integros in eis conſtruendis inſumpſere; poſt quos anno 1445. die 14. Auguſti in portis collocarunt. Blondus addit aurum æri fuiſſe ſuperinductum. In parte interiori hæc verba leguntur ab Artifice inſculpta: CAETERIS OPERAE PRETIUM, FASTUS, FUMUSQUE MIHI. Inſuper permultæ ſunt icunculæ choreis ſigna lætitiæ ob opus abſolutum indicantes. Par.2.pag. 254.

Harum meminit Leo Baptiſta Albertus, ubi ait [Nos Romæ ad „ Petri Baſilicam vidimus, cum ab Eugenio Pont. Max. valvæ reſtituerentur, ubi hominùm manus injuriam rapiendo argento, quo olim fuerant „ veſtitæ, non intuliſſent, ſolidas, & integerrimas annos plùs 550. perdu- „ raſſe, nàm ſi rectè annales Urbis Romæ interpretamur, tot ab Hadria- „ ni III. Pont. temporibus, qui eas poſuit, ad quartum Eugenium ſunt]. Sed corrigit Leonis Alberti errorem Torrigius, ſubſtituens Hadriano III. Leonem IV. qui eas januas argenteas reſtituit. De re ædif. lib.2.cap.16

Illas deſcribit Illuſtriſs. Ciampinus cap. 5. Veter. Moniment. aſſeritque earum altitudinem palmorum eſſe 33. latitudinem verò $16.\frac{1}{4}$. & jconem exponit, in cujus vertice hæc verba leguntur inſculpta: PAULUS V. PONT. MAX. RESTAURAVIT ANNO PONTIFIC. XV. De quo Pontifice ſcribens Jacobus Grimaldus in MS. pag. 189. ait [Anno XIII. „ Paulus V. portas magnificentiſſimas marmoreas Vaticanæ Baſilicæ dedit, „ atque liminibus ſub magnis lapidibus cinericiis graniti Orientalis duriſ- „ ſimi complures ad ſubjectam formam æreos nummos poſuit, & octo dies „ antè feſtum Apoſtol. Petri, & Pauli anno 1619. Pontific. XV. valvas „ æneas, ab Engenio IV. fabrefactas, metallo auctas, ut altiores novis „ portis redderentur, & aptarentur, optimè reſtitutas, medias, ut olim „ erant collocavit]. Expreſſit deindè nummos Grimaldus ſub liminibus poſitos, fueruntque illi, qui imaginem ejuſdem Pontificis præſeferebant, in adverſa verò facie frontem Templi Vaticani. In Arch. Vatic.

Cæteras Januas idem Eugenius IV. ligneis tabulis munivit, in quibus Salvatoris, Beatiſs. Virginis, ac SS. Petri, & Pauli imagines exſculpſerat Frater Antonius Ordinis Prædicatorum, Eugenium inſuper genuflexum, paſſiones eorumdem Apoſtolorum, Sanctam Plautillam, Divum Paulum Plautillæ velum reſtituentem, Eugenium itidem diadema Sigiſmundo Imperatori imponentem, unionem Græcorum cum Romana Eccleſia, Oratores Aethyopicos antè Pontificem genuflexos, plurimaſque ejus temporis hiſtorias, addita hac inſcriptione:

Torrigius de Cryptis Vatic. pag. 155.

Has portas ligneas fecit Frater Antonius Michaelis de Viterbio Ord. Prædicat. Anno Domini 1433.

Eas iterùm confecit Paulus V. anno 1606. ex trabibus, quæ veteris Baſilicæ tectum ſuſtinebant.

Torrigius MS. apud Canonicam Cappellam.

Ubi olim erat Janua, quæ Romana vocabatur, extat Porta, quæ Sancta dicitur, clauſa pariete, in quo Crux ænea aureis radiis circumdata, quàm Joannes Baptiſta Calandra Vercellenſis formavit, illa à Summo Pontifice poſt viginti quinque annos Jubilæo recurrente aperitur, de qua plurima dicenda ſunt in tractatu de Numiſmatibus Pontificiis.

Idem.

Porticum autem abſolutam fuiſſe anno 1614. die Decembris duodecima affirmat Torrigius datis lætitiæ ſignis campanarum ſonitu, ac æneorum tormentorum ſtrepitu, deindè ab Clemente X. ejuſdem Porticus pavimentum ornatum fuit mixtis marmoribus egregiè compoſitis, faſciis itidem, clipeiſque interſparſis, in quibus cælata ejus Pontifici ſtemmata Eques Berninus ſategit exornari.

Ferreis verò cancellis clauſit Madernus, quos æneæ fibulæ obfirmant, ne importunis horis pervia ulli eſſet; ſed die tantùm ad ſacras actiones, & devotis Fidelibus pateret. Sicut enim Porticus prophanis Baſilicis Servorum gratia antiquitùs additas fuiſſe refert Leo Baptiſta Albertus, ità ſacris Chriſti-fideles addiderunt, ut in eis publicè Pœnitentes primi ordinis ſtarent, antè fores Eccleſiæ, ait Cardinalis Bona, nempè ii (addit Illuſtriſs. Ciampinus) qui ad pœnitentiam admiſſi palàm crimina confitentes, cilicio, & cinere horridi, ploranteſque veniam, ac preces ab introeuntibus expoſcebant. Eratque ibidem locus egenis mendicantibus attributus; licèt enim illis, ſicut & cæteris Fidelibus precum cauſa Templi fores paterent, non tamen intrà Templi parietes ab orantibus eleemoſynam petere permittebantur, ne ſacra agentibus, Deumque precantibus moleſti eſſent. Propterea ait Divus Chryſoſtomus [Antè Eccleſias, & Martyrum monumenta pro „ foribus pauperes ſedent, ut nos ex hujuſmodi ſpectaculo multùm capia„ mus utilitatis]. Et Gregorius Nazianzenus [Petitionum gemitus internis „ Templi cantibus ex adverſo reſpondent, atque adversùs myſticas voces „ miſerabilis luctus excitatur.

De re ædif. lib.7.cap.14 Rer.Liturg. lib.1.cap.20 Vet. Monim. pag.14

Bona ibid.

Homil.28. ad Pop.Antioch.

Oratio de amor. pauper.

CAPUT

CAPUT XXVIII.

De Porticu ſuperiori, & Mœnianis.

SUPRADICTA Porticus alteram habet Porticum pari magnitudine ſuperſtructam, multis etiam Paraſtatis, Epyſtilio, Zophoro, & Coronice ordinis compoſiti ornatam. A lateritio pavimento ad coronam 64. palmis aſſurgit, ab iſta ad fornicem 36. Paries Porticum à Baſilica dividens quinque vitreas feneſtras habet. In ejuſdem Porticus aditibus duo inſunt veſtibula, quæ binas turres campanarias præſtolantur. Illorum alterum meridiem verſus Sancti Officii Domum reſpicit, alterum verò ad Pontificias Aedes perducit. Omnium ejus partium menſuras, ac delineationem clariùs ſuprapoſitæ tabulæ ſubiiciunt.

In ea extantibus Podiis, ſeu Mœnianis ſoliti Pontifices triplicem capere Coronam, & plaudentem Populum ſalutari prece, ſignoque luſtrare. Quandoquidem Mœniana ſcripſimus, non inutile erit ejus nominis originem commemorare. Notat Nardinus, quod Feſtus docet, Mœniana appellata fuiſſe à Mœnio Cenſore, qui primus in Foro ultrà columnas tigna projecit, quo ampliarentur ſuperiora ſpectacula. Aſconius in Divinat. ait: Lib.5.c.4.
„ [Mœnius cum Domum ſuam venderet Catoni, & Flacco Cenſoribus, „ ubi Baſilica ædificaretur, exceperat jus ſibi unius columnæ, ſuper quàm „ tectum proiiceret, & provolantibus tabulis indè ipſe, & poſteri ejus ſpe„ ctare munus Gladiatorum poſſent, quòd etiam tùm in Foro dabatur]. Ex illo igitur Columna Mœnia vocitata eſt, cauſis hujuſmodi. De quibus fuſiùs agunt Alexander ab Alexandro cap. 11. lib. 9. & Cælius Rhodiginus lib. 28. cap. 10.

At longè diverſa, ut dictum eſt, de cauſa Mœniana Paulus V. extruxit, ut nempè ſacram Benedictionem ſtatutis temporibus Fidelibus elargirentur Summi Pontifices, ac Sacri Romani Pontificatus inſignia coram plaudentibus Populis reciperent, quæ omnia antiquitùs peragi ſolebant apud Baſilicam Salvatoris in campo Laterano à Conſtantino Magno extructam, deindè è feneſtris, quæ ſupra fores Vaticanæ extabant, juxtà conjecturam Illuſtriſs. Ciampini. Poſt annum verò 1497. in Mœnianis, quæ Alexander VI. abſolvit, & Paulus II. excitaverat (non verò Innoc. VIII. ut Scriptor quidam alioqui eruditiſſimus affirmavit) opus dirigente Juliano Architecto è Pago Majano Fæſulanæ Diœceſis, ut Vaſarus refert, quòd abundè demonſtrarunt ærea Numiſmata ſub eodem Paulo II. cuſa, quæ in fundamentis reperta fuiſſe ſub Paulo V. affirmat Torrigius. Duodecim illa erant in triplicem ordinem diſtributa, & quindecim paraſtatis, columnis ſuperadditis exornata, prout repræſentatur in noſtra Tabula 61. juxtà exemplar delineata, quòd extat in pariete Bibliothecæ Vaticanæ coloribus fideliter expreſſum. Cap.4. De Sac. Ædif. Par.2.pag. 259. Pag. 109. Crypt. Vat. *Fig. 61.*

Ut autem Porticum hanc Paulus excitaret anno 1610. enarrat Grimaldus die 21. Octobris poſt everſam Baſilicam everſas etiam fuiſſe ædes magnas Innocentii VIII. ſub num. 5. indicatas, in quarum primo ordine

magnum

magnum Rotæ Auditorium, Regiſtra Pœnitentiariæ, Bullarum, Supplicationum, & Plumbum. In ſecundo Dataria, Secretaria Brevium, & Magiſtri Domus habitatio. In tertio ſuperiori aula nobiliſſima, cum multis cubilibus laquearibus aureis, & picturis ornatis, quibus Carolus V. & alii Principes excepti ſunt, antè longa Porticus cum paraſtatis Tyburtinis, ſupra quam mœnianum ſimile ſurgebat antè magnum atrium Palatii, retrò atrium Baſilicæ, à capite Sacellum Pauli III. infrà quod erat Camera Apoſtolica, locus ad recipiendos cenſus Cameræ Apoſtolicæ debitos, ſubtus erat Eccleſia Sancti Vincentii, prophanatas tres naves fornicatas habens, cum 18. columnis magnis. Ad pedes mœnianum marmoreum ad Benedictiones ab Alexandro VI. magnificentiſſimè extructum, & Turris Campanaria erat, in his lapidea ſtemmata Sixti IV. & Innocentii VIII.

Palatium in ſummo graduum, reſpiciens Eccleſiæ Porticum, erat: Domus item ſub num. 6. antiquiſſima Cardinalium Archipresbyterorum à Cardinali Pallotto munita, & ornata picturis, quàm Cardinalis die 1. Auguſti excindendam Fabris reliquit, hæc opera Joſephi Ciceri hominis in hoc hoc genere inſignis, qui à dicta fronte lapſus interiit, unico ictu concidit ſucciſſis murorum pedibus. Leo III. hoc ædificavit Palatium Hoſpitium
Anaſt. fol. 206. Peregrinorum cum Balneo. Habebat Palatium 80. cubicula. Reſtituerat olim illud Riccardus Oliverius Cardinalis Conſtantienſis, ut verſus illi marmorei in fronte Palatii teſtes:


Quàm benè ſtare vides, quondam diſiecta jacebam,
Et decus hoc facies fert modò culta novum.
Riccardus normanna tuus Conſtantia Præſul
Cardineæ ſtruxit gloria magna Togæ.
Presbyter ut Veneto Paulo regnante ſecundo,
Primus in hac Petri, qui fuit Eccleſia.

Die inſuper 1. Septembris anni 1610. è Turri Campanaria à Leone IV. facta, demittere cæperunt Campanas. Inter mœnianum ad Benedictiones, & Palatium Archipresbyteri erat facies anterior, Baſilicæ ſupra 35. gradus marmoreos, & in facie opus muſivum antiquiſſimum. Hæc facies habebat tres portas marmoreas 1. 2. & 3. cum nomine NICOLAI V. ducentes in atrium Baſilicæ, ornatas quatuor magnis columnis Aegyptiaci lapidis, ſupra portas hæ cernebantur imagines operis teſſellati. In medio Salvator ſedens in gemmata ſede cum libro in manibus aperto, in quo: EGO SUM RESURRECTIO ET VITA, in quadam rota ſtellis ornata. Hinc indè ſupra caput Salvatoris tres Angeli, in quolibet latere manus verſus Salvatorem extendentes, & inſpicientes, infrà duo Angeli rotam tenentes. Sub rota extabat muſivum fulgori ſimile. A dextris duæ imagines Sanctorum offerentes coronas Salvatori, à ſiniſtris aliæ duæ. In Zophoro hæc legebantur: CHRISTE TIBI SIT HONOR PAULUS QUOD DECORAT OPUS. Hoc enim muſivum fecit Sanctus Paulus I. ut notat Anaſtaſius]. Hactenùs dixi verbis ſupradicti Grimaldi.

Duplici

TABVLA 61.

FRONS TEMPLI ET PALATII VATICANI SVB SIXTO V. DELINEATA



Alexander Specchi delin. et Sculp.

Duplici ſupradicta Porticu ædificata, Baſilicæ frontem deeſſe non permiſit Pauli V. magnificentia [Quamobrem anno 1608. die Martis 15.
„ Julii hora duodecima cum tribus quartis (ſunt verba ejuſdem Grimaldi) Pag. 121.
„ coram Illuſtr. & RR. DD. Aloyſio Rainalduccio, Bernardino Paulino,
„ Camillo Brino, & Paride Pallotto Canonicis fuit dictis anno, die, & hora,
„ poſitus primus lapis Tyburtinus ad conſtruendam frontem novi Vaticani
„ Templi juſſu, & impenſa S. D. N. Pauli V. pulſatis campanis Baſilicæ,
„ & bombardis exploſis. Fuerunt in maceria, & ſub Tyburtinis lapidibus
„ dùm facies conſtrueretur poſita multa, & plura Numiſmata ærea unius
„ ferè hoſtiæ forma cum imagine Sanctiſs. Domini Pauli V. nudato capite,
„ pluviale induti, & litteris in giro: PAULUS V. BURGHESIUS RO-
„ MANUS PONT. MAX. ANNO SAL. MDCVIII. PONTIF. III.
„ Ex alia parte Templum Divi Petri, cum lemmate: ET PORTAE
„ INFERI NON PRAEVALEBUNT. Supremum verò lapidem impo-
„ ſuerunt anno 1612. addita hac inſcriptione: IN HONOREM PRIN-
„ CIPIS APOSTOLORUM PAULUS V. BURGHESIUS ROMA-
„ NUS PONT. MAX. AN. MDCXII. PONT. VIII. Quàm ſi fortè
„ cenſorio oculo Zoilus quis legerit, pauca circa illam ſubdere exiſtima-
„ mus, ne prudentiſſimi Pontificis ſapientiam damnare audeat, ac ſi Petro
„ Templum ineptè dicarit, cum ſoli Deo verè, & propriè Templa omnia,
„ ac Altaria erigantur, ut docet Divus Auguſtinus de Civitate Dei lib. 8.
„ cap. 27.

Pluribus igitur de cauſis Sanctorum nomina Templis tribuuntur, & nominibus Sanctorum Baſilicæ ornantur, vel quia Deus illis in locis Sanctorum miniſterio illuſtria quædam potentiæ ſuæ opera præſtitit, vel quia illi ſuo Sanguine loca illa Deo ſacrarunt, vel denique, quia Sanctorum virtutes ibidem ad Dei gloriam deſideramus celebrare. [Honoramus, ait Hie- (Apud Duran. lib. 1. cap. 3.)
„ ronymus, reliquias Martyrum, ut eum, cujus ſunt Martyres adoremus. (Epiſt. 13. ad Ripariũ.)
„ Servos, ut honor Servorum redundet ad Dominum, qui ait: *Qui Vos*
„ *ſuſcipit, Me ſuſcipit. Marc. 9*] Item Sanctus Auguſtinus [Sancto- (De Eccl. dogm. c. 73.)
„ rum Corpora, & præcipuè Beatorum Martyrum reliquias tamquàm
„ Chriſti membra ſinceriſſimè honoranda, & Baſilicas eorum nominibus
„ appellatas, velut loca ſancta Divino cultui mancipata, affectu piiſſimo,
„ & devotione fideliſſima adeundas credimus, Si quis contra hanc ſenten-
„ tiam venerit, non Chriſtianus, ſed Eunomianus, & Vigilantianus cre-
„ ditur]. Sanctus Leo Papa [Chriſtiani priuſquàm ad Beati Petri Baſili- (Serm. 7. de Nat. Dom.)
„ cam, quæ Uni Deo vero, & vivo eſt dedicata, &c.] Et Sanctus Augu-
„ ſtinus [Non Martyribus Templa, Sacerdotia, Sacra, & Sacrificia con- (Lib. 8. de Civit. Dei cap. 27.)
„ ſtituimus, quoniam non ipſi, ſed Deus eorum nobis eſt Deus. Honora-
„ mus ſanè memorias eorum tanquàm Sanctorum hominum Dei, qui uſ-
„ que ad mortem ſuorum Corporum pro veritate certarunt, ut innoteſceret
„ vera Religio.

Hiſce, pluribuſque rationibus ritè inſculptam Divo Petro inſcriptionem oſtentat Baſilicæ frons à Maderno delineata, & quidem magis longitudine extenſa, quàm altitudine ſublimis. Non enim altiores metas illi tri-
„ buit, ne Tympanum Tholi intuentibus deliteſceret. Columnas habet,

quarum

quarum diameter palmos duodecim comprehendit, altitudinem ſimùl cum Baſi, & Capitulo 123. palmi explent. 26. verò Epiſtylium, Zophorum, & Coronidem. Supra hanc alium impoſuit ornatum, mixtis, adeòque diſſonis partibus redundantem, quem aliqui Atticum, ſed ſpurium ordinem appellarunt. Anguſtum ſupereminet pluteum, ſupra quod poſita ſunt Simulacra XII. Apoſtolos referentia. Ea annis 1613. 14. & 15. exſculpſerunt Artifices varii, ſub Porticibus Bibliothecæ Vaticanæ. Opus anaglyphum, quòd mediano imminet aditui, & Chriſtum refert Divo Petro Claves tribuentem Ambroſius Bonvicinus Mediolanenſis exſculpſit, quem falsò Malvicinum dicit Titus pag. 5. Cæteræ ejus partes ſtylo clariùs, quàm calamo oculis ſubiicientur in Tabula 62. ortographica, quæ hanc Baſilicæ frontem exactiſſimè delineatam exhibebit. In quibus omnibus conſtruendis pluſquàm ſexcentum millia nummorum Paulus inſumpſit.

Balleonus pag. 171.

Fig. 62.

CAPUT XXIX.

De Turribus Campanariis.

TALEM Frontem exhibuit Pontifex duplici Numiſmate, in quorum altero verò anno 1608. ſui Pontificatus V. ut verbis utar Jacobi Grimaldi, duo Campanilia lateribus frontis appoſita non erant, quia poſt abſolutam frontem judicatum eſt ad ipſam latiorem, & auguſtiorem reddendam fore neceſſe utrique lateri frontis binas Turres Campanarias, altiſſimas, & magnificentiſſimas connectendas, atque excitandas, quamobrem initium fundandi dederunt, à parte Palatii Apoſtolici, lapides Tyburtinos ad porticus latitudinem à ſolo ad culmen uſque imponendos.

MS. pag. 189.

Alterum verò anno 1613. Pontificatus XV. cuſum hæc additamenta exhibebat. Placet hìc fuſiùs referre, quæ Grimaldus ſcripſit de fabrica harum Turrium pag. 180. [In fundando, inquit, novo Campanile Carolus „ Madernus Architectus voluit omnimodè reperire argillam ſolidam, & „ magno labore, ut infrà dicetur, terram egeſſerunt palmis Romanis 135. „ & ibi firmamentum, ut dicunt, invenerunt. Hæc ad memoriam notare „ placuit. Tota illa pars auguſtiſſimæ frontis, quæ à Porta Templi du„ cente in Sacellum S. Gregorii ad Palatium Apoſtolicum ſe in longum pro„ trahit profunda pal. plùs minùs 67. eſt fundata ſupra optimam argillam. „ A dicta porta S. Gregorii ad novum uſque Campanile, quòd modicum „ eſt ſpatium ex improviſo in totam profunditatem, & abyſſum ſe con„ vertit, ut certè mirandum ſit valdè, & notatu dignum. Carolus Archite„ ctus in fundando angulo novæ frontis ad meridiem cum centum quinque „ palmis jàm terram egeſſiſſet, nec ſoliditatem inveniſſet, palis adegit totum „ terrenum, interſtitia palorum ſilicibus, & lateribus optima ex calce „ complanando, ac ſupra palos ipos plateam Tyburtinam fecit, in qua ſtat „ totum fundamentum angulare; frontem altam ad duas hominum ſtaturas

Ex Arch. Baſil. Vatic.

per

FRONS BASILICÆ VATICANÆ
A PAVLO V. ÆDIFICATA



Hieronymus Frezza incidit

„ per longum medium tanquàm catenis glutinavit magnis lapidibus Tyburtinis; magnam denique in eo fundando adhibuit diligentiam. Verùm, „ ut arbitror, cùm de ipſo angulo dubitaret, ſtatuit Campanile profundiùs „ fundare uſque ad argillam virginem, effoſumque eſt pal. prædictis 135. „ immenſum aggerem tantæ moli ſubmittendo, & quantum Nolarium occupat ad ſubjectam plantam ſolidum totum, magna licèt impensâ, optimi, & generoſiſſimi Principis Pauli V. Pontif. Max. ſummis viribus „ perficiendo, ut profundiſſimus, & latiſſimus lapidum acervus foret humerus validiſſimus ipſi angulo, & toti fronti. Hujus igitur Nolarii fundandi initium ad Dei gloriam, & Janitoris Aetherei honorem Cæmentarii dederunt die 1. Auguſti ipſi glorioſo Principi Apoſtolorum ſacra, „ hora 19. feria 4. A ſolo viæ publicæ, ducentis ad Aedem Campi Sancti, „ & Palatium Sancti Officii, cuſtodiamque Equitum lævis armaturæ invenerunt viam antiquam ſilice ſtratam profundam palmis 50. Romanis].

Palmis centum tota terra mota erat, quod, ut arbitror, fuiſſe ibi profundam vallem multò antè, quam Circus extrueretur, ad argillam effodiendam, à proximis montibus repletam. Palmorum igitur 90. & 100. circiter, quibus replementum apparebat; magna profunditas! admiratio non modica.

Egeſta igitur terrâ palmis centum & ſex, Architectus dubitans, ne lignorum machina rueret, & periculum fronti effodiendo juxtà illam inferret, ſex puteos in quolibet fundamento ad ſubjectam plantam fieri mandavit, quos profundos palmis 29. ſemis, & alios plùs, minùs profundiores, & altiores uſque ad ſolidam argillam fecerunt, puteos in imo optima calce cum ſilicibus, & poſteà lapidibus repleverunt, idem fecerunt in quolibet interſtitio, ſive ſpatio inter puteos ſito, & ſic in Dei nomine ad culmen uſque fundamenta ipſa calce, & lapidibus, non ſine magno labore ſunt jacta. Die, noctuque, diebus feſtis, & in magnis Solemnitatibus, etiam nocte Natalis Domini evacuatores aquarum de nocte, die verò terræ effoſſores continuè deſudabant. Quintum fundamentum angulare Campanilis palmis 100. effoſſum ruinam nocte ex improviſo cum minaretur, venit Architectus magna trabe per tranſverſum ad terræ planum appoſita, ligatiſque funibus per imum fundamentum trabiculis, & fulcimentis lignorum ruinæ contulit. Vicinæ Domus ſtatim ruinas dederunt, Eccleſia Campi Sancti undique rimoſa, Domus, in qua panis, & vini eleemoſyna à Summo Pontifice erogatur, tanquàm melogranatum aperta. Jàm ſunt menſes 11. ſemis, quibus continuò labore, & indicibili ſumptu huic arduo operi inſudant.

Jactis hujuſcemodi fundamentis, perductaque mole uſque ad frontis cacumen, ut exhibet Numiſma, Turres pro campanis collocandis Paulus V. non abſolvit, hac potiſſimum de cauſa, quòd labile fundamentum judicatum fuerit, ineptumque ad novum pondus ſubſtinendum, quòd Madernus delineaverat. Earumdem exemplar hùc attulimus, è tabula acceptum, quàm Matthæus Greuter Romæ ſculpſit anno 1613. aliaque diverſa illi adjunximus à Martino Ferraboſco delineata in Tabulis 13. & 14. quas de Templo Vaticano Illuſtriſs. D. Jo. Baptiſta Coſtagutus ſenior anno 1620. typis edi curavit. *Fig. 63.*

Sed cum nulla earum Turrium ſpecies in praxim redacta fuerit ſub Paulo Pontifice, Urbanus VIII. qui apprimè compertum habebat, quantum eſſent Campanilia non ad ornamentum dumtaxat, ſed ad ſacrum Templi uſum neceſſaria, Purpuratis Fabricæ Præfectis commiſit, ut ea excitari curarent. In memoriam enim revocabat eruditiſſimus Pontifex excelſam Turris molem, quàm anno circiter 780. Hadrianus I. excitaverat, referente Anaſtaſio [Eum Pontificem, ex nimia fervoris dilectione pro honore Beati Petri Apoſtolorum Principis, & ornatu ipſius Sancti Patriarchii conſtruxiſſe, atque ædificaſſe ibidem noviter Turrem miræ pulchritudinis decoratam cohærentem Porticui, quæ deſcendit ad Balneum, ubi & deambulatorium, ſcilicèt ſolarium ſuum, cancellis æreis nimis pulcherrimè conſtrui feciſſe].

Quàm quidem Turrim ad uſum campanarum excitatam fuiſſe aliqui ſibi perſuaſerunt, hoc tamen æquè incertum, ac incertum eſt, quòd refert Illuſtriſs. Coſtagutus de Templo Vaticano pag. 10. anno ſcilicèt 1167. duas Turres campanarias hinc indè ad Baſilicæ januas extitiſſe collocatas, fortaſsè eo argumento ductus, quòd inibi Sacellum eſſet, appellatum Sanctæ Mariæ ad Turres; ſed cum diceretur etiam Sanctæ Mariæ in Turri, ut notat Illuſtriſs. Ciampinus, nihil certum eruitur. Eas quidem mente conceperat Nicolaus V. erigendas propè magnificam Baſilicam, quàm ab eo excogitatam deſcripſit Manettus, ubi ait [In utraque hujus veſtibuli extremitate ſingulæ Turres è pulchris marmoribus in altum ultrà centum cubitos erigebantur. Quæ quidem ad munitionem Templi, & ad oportunam Canonicorum horarum pulſationem ſimùl famulabantur. Pro comperto quidem habemus Leonem IV. Sum. Pont. anno 850. unicam Turrim pro campanis extruxiſſe, dicente Anaſtaſio: *Fecit etiam ibi in Eccleſia S. Petri ipſum Campanile, & poſuit campanam, cum malleo æreo, & cruce aurata*. Eam tamen ab Heraclio Imperatore anno 610. ædificatam fuiſſe eruditiſſimus Pompejus Sarnellus affirmat in Baſilicographia cap. 50. probatque ex Numiſmate reperto in fundamentis anno 1610. quo anno ſub Paulo V. diruta fuit ad novum Eccleſiæ additamentum extruendum, & ipſius Heraclii imagine inſignito; ſed meo quidem judicio fallaci argumento ductus. Potuerunt enim condi Numiſmata ſub Heraclio cuſa in fundamentis, quæ juſſu Leonis locabantur, ut pluries factum ab aliis novimus.

(Cap. 4. De Sac. Ædif. pag. 84.) (In ejus vita MS.) (Pag. 133.)


De illa ſcribens Blondus, ait: *Talem Turrim Campanariam omnium primam in Orbe terrarum fuiſſe*. Quòd intelligi debet, vel quia cæteris ſua pulchritudine præerat, vel quia altitudine cæteras ſuperabat. Illam affirmat Angelus Rocca, antè quam aliæ erigerentur, Baſilicæ Vaticanæ fuiſſe adjunctam. Verùm ex pluribus monumentis ſatis, ſuperque pro comperto habuimus, antè annum 431. Sanctum Paulinum Nolanum Antiſtitem aliam Turrem pro campanis extruxiſſe, & Sabinianum Papam antè annum 605. campanarum uſum Eccleſiis præſcripſiſſe,

(Cap. 12. de campanis.) (Sarnellus cap. 50.)

Cæterum, quo tempore cæperit in lucem dari campana, minimè convenit inter Scriptorum Cœtus. Baronius in tomo primo quinquageſimo & octavo anno campanas in uſu fuiſſe teſtatur, tùm ſcilicèt, cum pax Eccleſiæ data. Nàm antè Conſtantini tempora Fideles in unum per Curſores, &


(Martin. Polon. lib. ordin. Rom. cap. 1. de offic. Cuſt.)

Diaco-



TVRRIS CAMPANARIA
A MARTINO FERRABOSCO
EXCOGITATA

TVRRIS CAMPANARIA
A CAROLO MADERNO
DELINEATA





DIVERSA TVRRIS PRO CAMPANIS
A MARTINO FERRABOSCO
DELINEATA

Alexander Specchi del. et sculp.

Diaconos cogebantur, uti memoriæ proditum eſt à Divo Ignatio, qui anno ab Orbe Redempto 93. vixit, in epiſt. 11. Cujus verba apud Baronium ipſum leges, nullo permiſſo tintinnabuli publico uſu, ſæviente in Chriſti-fideles odio. In eadem ſententia fuit Maggius libello de Tintinnabulis cap. 2. Poſtquàm autem odia Ethnicorum Principum refrixerant, mentionem fecerunt inter alios campanarum Audovenus, qui anno 650. vitam Sancti Eligii Epiſcopi conſcripſit. Polidorus Virgilius lib. de Inventoribus rerum ſexto adſcribit inventum Fabiano Pontifici, qui floruit anno 606. Joannes Antonius Caſtellionæus antiquit. Baſilicæ Vicentinæ faſciculo 2. par. 1. ex D. Hieronymo, qui vixit anno 422. & in Regulis Monachorum cap. 33. campanæ meminit. Qui autem campanæ uſum à Sancto Paulino Epiſcopo manaſſe contendunt, id ipſum affirmare neceſsè habent, cum is S. Hieronymi coetaneus fuerit. Imò anno 360. tintinnabula tractare dicuntur Meletiani Hæretici Theodoreto Epiſcopo Cyrenenſi auctore, qui vixit anno Domini 450. lib. 4. Hæretic. fabularum. Svetonius in vita Auguſti oſtendit tintinnabula in uſu fuiſſe cum viveret, nempè tempore, quo Chriſtus natus eſt. Rursùs apud Polybium Hiſtoricum Græcum, qui vixit 200. annos antè Chriſtum natum, ejuſdem inſtrumenti facit mentionem, ut ejus antiquiſſima planè origo cenſenda ſit; Eccleſiaſticus quidem, ſeu Sacer campanæ uſus potiùs, quàm ejus inſtrumenti inventum Sancto Paulino communiter adſcribitur, prophanum tamen uſum antè Chriſtum natum multis annorum centuriis cæpiſſe liberè aſſerendum eſt, cum etiam in Thermis, & aliis Urbium locis ad varia munia apud Ethnicos receptum fuiſſe conſtet. Obſervat Aloyſius Novarinus in Encyclopedia Epiſtolari, funes, qui campanis ſervirent, offerri alicubi ſolitos publico Civitatis nomine, ut campanæ, cum tempeſtates ingruerent, ſonum ederent [Ea quoque cauſa „(ait Joannes Bollandus 22. Januarii de Sancto Dominico Abbate juxtà „Soram) Fulginates, quotannis ad Sancti Dominici Monaſterium ſum„ptu publico mittere ſuperioribus ſæculis conſuevere, nummos aliquot, „pannum laneum, in veſtes Monachorum, ac funes impellendis Eccleſiæ „campanis. Patet id ex Archivis Fulginienſibus, conſtatque quamdiù id „Senatus nomine perfectum eſt, nihil Urbi à grandine, aliave aeris inju„ria detrimenti allatum.

Concil. Tolet. cap. 2. de offic. Cuſt.

Ep. 132.

Manſit ſupradicta Turris à Leone IV. ædificata uſque ad ann. 1303. ſed deindè detrimentum ingens paſſa eſt liquatis campanis flammarum vi, quas fortuitò poſt Principis Apoſtolorum feſtum ventus excitaverat; ſed illas ſtatim Bonifacius VIII. reddidit ære addito majores, ut conſtat ex codice Archivi Vaticani, in quo Benefactorum nomina referuntur. Inter eas, quas ignis liquavit una numerabatur à Gregorio IX. anno 1231. Pontificatus ſui IV. Baſilicæ conceſſa, de qua Anaſtaſius ità ſcripſit: *Cæteras Urbis & vaſtitate corporis, & boatu ſonoritatis excedit.*

Apud Rainald. tom. 3. pag. 408.

Rutilius Alberinus in ſua hiſtoria univerſali MS. refert, anno 1333. fulminis impetu eam Turrim multis in partibus laceratam fuiſſe, campanis tamen integris remanentibus. Ciacconius in Clemente VI. narrat, anno poſt Virginis partum 1352. paulò antè ipſius Pontificis mortem, dirum cometem fulſiſſe, & quatriduum antè ejus obitum quarto nonas Decembris

Apud Ill. Ciamp.

Turrim Cymbalariam Sancti Petri (ſic eam appellabant) fulmine cælitus tactam, magnaque ex parte culmen ejus diſiectum, & vi ignis campanas fuiſſe fuſas; ſed anno 1353. alias loco earum, & quidem majores Innocentius VII. ſubſtituit, quarum maximam refert Torrigius ponderaſſe libras ſeptendecim mille his verbis inſcriptam:

In nomine DOMINI, MATRIS, PETRIQUE, PAULIQUE.
Accipe devotum, parvum licèt, accipe munus,
Quòd Tibi CHRISTE, datum, PETRI, PAULIQUE triumphum
Explicat, & noſtram petit, populiſque ſalutem
Ipſorum pietate dari, meritiſque refundi.
ET VERBUM CARO FACTUM EST.
Anno milleſimo trecenteſimo cum quinquageſimo
Additis & tribus, Septembris Menſe colatur,
Ponderat & millia decies ſeptieſque librarum.

In alia verò ponderante mille centum & decem libras, ſequentia verba legebantur:

In nomine PATRIS, & FILII, & SPIRITUS Sancti. Amen. Ad honorem DEI, & Beatæ MARIAE Virginis, & Beatorum Apoſtolorum PETRI, & PAULI.
VERBUM CARO FACTUM EST.
Solve jubente Deo, Terrarum PETRE catenas,
Qui facis, ut pateant Cæleſtia Regna Beatis.
Hæc Campana, cum alia majori ponderante 16000. poſt conſumptionem ignito fulgure Anno præcedente, fuſa eſt Anno DOMINI M CCCCC LIII. Menſe Junii.
Ponderat hæc M X. & centena librarum. Amen.

Torrigius MS. de Vatic. Baſil.

Cæteræ fuerunt mole, ac pondere minores. Sub Nicolao IV. aliam Campanam formarunt cum hac inſcriptione:

Anno DOMINI MCCLXXXVIII.
Ad honorem DEI, & B. MARIAE Virginis, & S. THOMAE Apoſtoli, tempore Fratris Joannis de Leodio Miniſtri factum fuit hoc opus de legato quondam Domini Riccardi Domini Papæ Notarii.
Guidottus Piſanus me fecit.

In alia verò ſic legebatur:

Nomine DOMINICO PATRIS, PROLISQUE, SPIRATI.
Ordine tertiam PETRI primæ ſuccedere noſcant
Per dies paucos quotquot ſub nomine dicta
Sanctam Eccleſiam colunt in agmine Trino.

In

In ultima hæc verba videbantur:

Mentem ſanctam ſpontaneam honorem DEO, & Patriæ liberationem.
Ave MARIA gratia plena, DOMINUS tecum,
Benedicta Tu in Mulieribus, & benedictus Fructus Ventris Tui.

Tyberius Alpharanus, citatus à Paulo Aringo, indicat eandem Turrim reſtitutam eſſe anno 1574. ſub Gregorio XIII. ſcribens [Dùm fundamenta denuò jacerentur, ab effodientibus inter cætera perelegans quoddam cubiculum Sacelli inſtar repertum fuiſſe]. Antiquæ Turris formam in noſtra Tabula 5. exhibuimus, qualem ſub Sixto V. Pictor expreſſit in Bibliotheca Vaticana, quadrilateram, ſenis feneſtris in ſingulis faciebus apertis, quas columnæ bifariam dividunt. Rotundo vertice, non tamen acuminato, & pyramidali, ſed Tholi inſtar abſolvitur, ſupra quem Crux inerat cum Gallo æneo, & aurato (qui in Archivo Baſilicæ adhùc ſervatur) juxtà morem antiquum, de quo Alciatus in Emblemate: Rom. Subterr. libr. 2. cap. 3. pag. 215.

Inſtantis, quòd ſigna canens det Gallus eoi,
Et revocet Famulas ad nova penſa manus,
Turribus in ſacris effingitur --- --- ---

Et Gulielmus Durandus in Rat. Divin. Offic. declarat, ideò ſacris Turribus impoſitum, ut Prædicatores deſignaret [Gallus enim, qui profundæ noctis pervigil horas ſuo cantu dividit, dormientes excitat, diem appropinquantem præcinit, ſed priùs ſe ipſum alarum verbere ad cantandum excitat, optimè illos exprimebat]. Pompejus Sarnellus addit [Ut in mentem Peccatorum revocaretur Divi Petri fletus, ac veniæ ſpem conciperent, à proxima Cruce, in qua Divinus Homo pro eorum ſalute mortem obivit. Lib. 1. c. 1. n. 22. In Baſilicographia pag. 134.

Itaque Urbanus, ne Baſilicæ hoc utile ornamentum deeſſet, cum extremos frontis angulos ejus ſubſtructioni fundatos locum maximè idoneum cenſeret, illud primùm in auſtrali angulo ad occaſum divergente juſſit imponi. Berninus igitur ſua, qua pollebat Architectonicæ artis peritia molem feſtinanter extruxit, poſtquàm Pontificiis oculis ſubjecerat ejus exemplar ligneum, quòd adhùc in officina Fabricæ ſervatur.

Primo lapides poſuerunt die 26. Januarii anno 1638. ſub quibus ſingulis in angulis ærea Numiſmata condidere. Duplici tùm Columnarum, tum Paraſtadum ordine illud componebatur, quorum primus Corinthium, duobus ultrà ſeptuaginta palmis elevatum, præſeferebat; ſecundus verò Compoſitum, in quo primum ſtylobata quatuordecim palmorum collocata, Paraſtadas, Columnas, Scapos, Zophorum, & Coronidem in ſpatio palmorum quadraginta ſex cum dimidio comprehenſa ſubſtinebant. Totum opus abſolvebat alius ordo Atticorum regulis delineatus, palmorum quadraginta quinque. Qui omnes in unam ſummam redacti, palmos ſeptuaginta ſeptem cum dimidio ultrà centum conficiebant. Hùc uſque nobiliſ- Baldinuccius in vita pag. 24.

ſimum

ſimum opus è Tyburtino lapide perduxerat Berninus, eidemque Pyramidem ligneam impoſuerat Pontificiis inſignibus, Candelabris, & Statuis Doctorum Romanæ Eccleſiæ ornatam, ut tanquàm abſolutum antè finem oculos intuentium expleret. Ejus Iconem Tabula ſequens 63. legentibus præbet ab exemplari ipſiuſmet Bernini acceptam, cui addidimus menſuras quales Eques Carolus Fontana ſimili iconiſmo appinxit, ubi ſic loquitur:

Fig. 63.

Lib. 5. c. 1. pag. 262.

„ [Dicta Campanaria Turris ab ordine parvo, & fronte, ex qua avulſa fuit uſque ad ſecundam altitudinis menſuram aſcendebat palm. 155. & à præfato ordine, uſque ad crucis cuſpidem palm. 247. & à frontis gradibus uſque ad crucem palm. 450. & à plateæ planitie uſque ad dictam crucem palm. 447.] In quibus menſuris patet magnum diſcrimen eſſe inter illas, & menſuras à D. Philippo Baldinuccio ſupra relatas. Hìc enim affirmat tres illos ordines centum ſeptuaginta ſeptem palmis commenſurari, Eques verò Fontana dempta pyramide ſuperimpoſita cum cruce palmorum quinquaginta quinque, eoſdem in ſpatio palmorum centum & nonaginta duorum comprehendit. Cui nàm horum fides ſit adhibenda judicet Lector.

Inſidebat moles inſtabili fundamento tanto ponderi ſubſtinendo inepto. Madernus enim, qui (ut ait Fontana lib. 5. cap. 4. pag. 259.) *ſpreta Plaſticorum officinâ artem Architectonicam ſibi immeritò vindicavit*. Brevi tempore poſt ædificationem inſcitiæ ſuæ argumenra cognovit in Porticus compagibus, in quibus tum ob fundamenta ſaxorum congerie inconſultò oppleta, tùm etiam ob aquas è vicino colle irruentes, paulatim humo prolabente, multi hiatus, ac rimulæ apparuerunt. Quamobrem quadraginta & duos puteos altiſſimos, & capaces fodit, juxtà porticus, & frontis fundamenta, quos deindè optimis cæmentis opplevit, ut refert Grimaldus. Cum igitur magis, ac magis ſemper in dies rimulæ relaxarentur, proximæ ruinæ metum incutiebant, illamque procul dubio futuram, ajebant, ob novum ſaxorum pondus à Bernino additum.

MS.


Hinc bellicum canere contra illum invidia cæpit. Præproperam nimis illius fidem multi damnabant, eoquòd antè molis impoſitionem fundamenti latebras propriis oculis non perluſtraſſet, ut, omnibus diligenter inſpectis, operi ſtabiliret perennitatem. Nec defuere, qui Summi Pontificis prudentiæ detraherent, quæ in ſola Bernini ſolertia cum tanto jacturæ diſcrimine fiduciam poneret; illum, ajebant, non minori animi audacia, quàm artis peritia præditum eſſe: nec ommittebant Romæ verecundiam, quæ cum Viros ſemper omni arte, Architectonica præſertim inſignes, aluiſſet, tunc temporis unico Bernino Vaticani fabricam dirigente, eorum inopiâ laboraret.

Cum ergò, ut indicatum eſt additæ Turris mole fornicum, porticuſque rimulæ magis in dies relaxarentur, & ob eam cauſam in Berninum conceptam non pauci excitarent invidiam, molem totam illico evertendam ſuadere conati ſunt, ne tota Templi facies, imò porticus ipſa, tot impenſis à Paulo excitata, ruinâ, quàm minitabatur, penitùs deperiret. At ſurdo ceciniſſent, & faſtigium, quòd deerat, operi incæpto impoſuiſſet Berninus, niſi mors è vivis abripuiſſet Urbanum. Verùm eo defuncto, &

Inno-

TABVLA 64.

TVRRIS CAMPANARIA AB EQ. IO. LAVRENTIO BERNINO
SVB VRBANO VIII. EXCITATA ET SVB INNOCENTIO X. DESTRVCTA



Hieronymus Frezza incidit

Innocentio X. ad Pontificale Solium evecto, cum publicis acclamationibus novæ aliquorum querelæ ingeminatæ ſunt, ac motus novus bellicum canere iterùm cæpit contra Berninum, invidiâ aliquorum certò aſſerente proximam ruinam ob ejus cauſam imminere. Quamobrem pluribus convocatis Cardinalium, & Peritorum Comitiis, de ratione diſceptatum eſt, qua obviam tanto iretur diſcrimini, ſed in varias ſententias diviſis. Aedificium funditus evertendum ajebant aliqui, alii verò ingentium lapidum molibus jactis, novam, ac tutiorem baſim illi ſubſtruendam; columnarum novo ornatu fulciendum affirmabant nonnulli.

Cæſar Braccius Archidiaconus Montis Polytiani anno 1644. edidit Senis tractatum, quem Innocentio X. Summo Pontifici inſcripſit, in quo primùm damnavit delineationem Maderni, poſteà Turres minores propoſuit, & frontem delineavit majorem, cum hac inſcriptione:

FACIEM TEMPLI A PAVLO V. IN HONOREM PRINCIPIS APOSTOLORVM ERECTVM, INNOCENTIVS X. PERFECIT ANNO SAL....... PONTIF.......

Martinus Longus ſingulari peritiâ Architectus impreſſit anno 1645. diſſertationem de ejuſmodi Campanilis inſtauratione, quàm eidem Summo Pontifici obtulit, docuitque viam, à ſe excogitatam eam Turrim incolumem ſervandi, fultus exemplo Salomonis, à quo ſuo Templo ſubſtructa moles fuit, quæ validiſſimi inſtar aggeris relaxatas Templi compages ſubſtineret, ut refert Villalpandus. Sic Longus amplam è Tyburtinis lapidibus plateam primùm ponere excogitavit ea in parte, in qua Turris fundamentum paulatim in lubrico colle labebatur, deindè novis ſemper molibus ſuperadditis, veluti pyramidem circa illud efformare ad plateam uſque, in qua Porticus Paraſtatæ aſſurgebant. His alias ingentes columnas addere, quibus fulcimentum, & decor augeretur.

His omnibus ritè perpenſis, objecta diluit Berninus apud Pontificem, qui remedia potiùs adhibenda, quàm molem deſtrui peroptabat. Aſſerebat ille, ſe ab imprudentiæ nota liberum, cum poſt accuratum examen, fidem præſtiterit Joanni Colarmeno, & Petro Paulo Drio primariis fabricæ Opificibus, qui operam ſuam ſub Paulo V. in fundamentis poſuere. Aſſerebantque, illa eſſe ad molem ſubſtinendam aptiſſima: ſe paruiſſe Decreto Congregationis ſuper Fabricâ deputatæ poſt dictum examen emanato: Hiatus ex eo provenire, quòd recens fabrica ſuo pondere aliquantulum ſubſideret; ac pro comperto ſibi eſſe eam perpendiculariter elatam, ad nullam partem inclinare, rectis undique lateribus ad libellam diligenter examinatis, quòd non accidit, cum alicujus fabricæ partes ob fundamenti inſtabilitatem ab aliis relaxatæ diſſolvuntur. Baldinucc. in vita.

Verùm cum ſemper in dies magis dehiſceret moles extructa, partium relaxationes longè majores judicatæ ſunt, quàm ex ſubſidentia fuiſſent (in ea enim ſciſſuræ fiunt exiguæ, ob partium ſcilicèt tenuem contrahentiam) quàm ob cauſam Pontificis juſſu anno 1647. magnifica mole citâ dejectione Templi faciem exonerarunt.

Quare

Pag. 202. Quare falsò ſcripſit Pacichellus: *Quòd invalidè fundatæ Vaticanæ Turres magnificæ Urbano VIII. feliciter regnante ceciderunt.*

Duodecim circiter millia nummorum in labore conſumpta fuiſſe aſſe-
Lib. 6. cap. 2 rit Fontana, poſtquàm in ejus operis conſtructione centum millia & ampliùs Urbanus VIII. erogaverat. Conquærente poſtmodùm ipſo Innocentio X,
Pag. 29. ut refert Baldinuccius in vita Equitis Bernini, quòd imperiti cujuſdam Adminiſtri ſuaſione importuna ad eam demolitionem præcipiti decreto properaſſet.

Verùm ne hujuſcemodi decor auguſtæ Templi fronti deeſſet, novæ Turris Campanariæ duplicem ideam propoſuit Eques Franciſcus Rainaldus Romanus Architectus peritiſſimus, quàm Coronidi frontis impoſuiſſet, ablato ordine (ut pondus minueretur) quem Atticum ſpurium vocarunt Periti. Illam Tabulâ eneâ 65. & Tabula 66. ſub numero 1. inſculptam propoſuimus ex auctoris delineatione acceptam, apud Hæredes ſervatâ, ne tanti Viri ſpecioſum inventum è papyraceis monumentis longo temporis
Fig. 65. decurſu obliteraret oblivio. Aliam etiam Turrim delineatam obtulit Pon-
& 66. tifici Cæſar Braccius in noſtra eadem Tabula 66. ſub num. 2. expreſſam.

Non abſimilem ejuſmodi Turris ideam nuperrimè propoſuit Eques Fontana in libro 4. de Templo Vaticano cap. 9. & lib. 5. cap. 4. addidit methodum, qua potuerant fabricæ incolumitati proſpicere, & vacillans Turris firmiter contineri in declivi ſitu; ſubſtruendo, validiſſimi aggeris inſtar, molem ad ſubſtinendum aptam; quæ methodus licèt modò inutilis videatur Turri jàm penitùs dejecta, eam tamen immeritò deſtructam clariſſimè demonſtrat, quæ tantopere ad Baſilicæ decorem, & elegantiam conferebat.

CAPUT XXX.


De Scalis antè Baſilicam poſitis.

NUNC de Scalis, per quas ad Baſilicam datur aſcenſus aliqua delibabimus. Eas à Conſtantino Imperatore fabricatas fuiſſe narrat Panvinius his verbis [Gradus marmoreos antè Baſilicam fecit Conſtantinus]. Juxtà veterem morem, qui Baſilicas in excelſo ut plurimum loco collocabant, narrante Aulo Gellio [Quintum
De Sept. Urb. Eccl. „ Catulum in Capitolii reſtitutione voluiſſe Aream Capitolinam deprime-
pag. 39. „ re, ut pluribus gradibus in Aedem conſcenderetur, ſuggeſtuſque Templi
Lib. 2. c. 10. „ Jovi dicati, pro faſtigii magnitudine altior fieret]. Et Livio libro 8.
„ [Annium Latinorum Oratorem, cum commotus ira ſe ab veſtibulo
„ Templi citato gradu proriperet lapſus, per gradus capite graviter offenſo,
„ impactum imò ità eſſe ſaxo, ut ſopiretur.

Lib. 3. cap. 2 Docet Vitruvius in conſtructione Templi non quærendum eſſe an gradus Templis ſint apponendi, ſed tamquàm neceſſariam partem eos poni debere, quòd non parum faciat ad majeſtatem, & dignitatem Templi, ſi

à cætero

ALIA TVRRIS CAMPANARIA AB EQVITE FRANCISCO RAINALDO DELINEATA



Hieronymus Frezza incidit

Frons Basilicæ Vaticanæ cum Turri Campanaria ab Equite Rainaldo delineata

Eadem frons cum diuersa Turri Campanaria a Cesare Braccio excogitata



Alexander Specchi delin. et Sculp.

à cætero Urbis ſolo extet. Canonicus Romanus in deſcript. Vatic. Baſilicæ præfatos gradus conſtructos fuiſſe tradit ex Romuli demolito Sepulchro, quod tamen Marlianus lib. 5. cap. 22. ſuæ Typographiæ Urbis Romæ, non Romùli, ſed Scipionis Affricani fuiſſe ait. Eos numero triginta ſex fuiſſe affirmat Torrigius, ſed veriùs Severanus, cui adhæret Illuſtriſs. Ciampinus fuiſſe tantùm triginta quinque, in quinque ordines ità diſtributos, ut quemlibet ordinem ſeptem gradus occuparent, exiguuſque areæ tractus illos diſtingueret. Omnes autem graduum ordines ducentos palmos ſua longitudine juxtà areæ, atriique latitudinem adæquabant. Latitudine verò omnes ſimùl cum interjacentibus areolis ab ima telluris Planitie ad Aream magnam ſuperiorem palmos nonaginta quinque. Notat Illuſtriſs. Ciampinus, ideò quemcumque ſcalarum ordinem ſeptem conſtare gradibus, eò quod Architecti in graduum diſtributione imparem numerum obſervent.

Num. 48.
MS. Pag. 43. & 48. cap. 4.
Pag. 9. de vocis correct.

„ [Natura enim (ait ille) ſemper cum aſcendimus, ad ſiniſtrum pedem
„ primo movendum nos inclinat, & in eodem gradum plerumque ſiſtimus; undè ſi gradus pares ſint, dexter pes in ultimo ſiſtit gradu, ſiniſter verò remanet ſuſpenſus, quaſi ipſe vellet aſcenſum terminare.
„ Quare aſcendens quamdam patitur moleſtiam, quia cum Natura ſiniſtro
„ pede velit quietem invenire, illa nequaquàm fruitur.

Omnibus graduum ordinibus imminebat Area maxima, quàm Veſtibulum, ſeu Suggeſtum Baſilicæ antiqui dixere, & Suggeſtum Areæ ſuperioris Sanctus Leo appellavit, ut diſtingueret ab aliis inferioribus areis. Poſt Conſtantinianum Imperium annis pluſquàm octoginta ſupra centum elapſis, Symmachus Pontifex circa annum 500. ut refert Anaſtaſius, *eoſdem gradus ampliavit, & alios gradus conſtruxit ſub tigno dextrâ, lævâque*. Ubi notandum eſt *Tigni* vocabulo ſignificari ab Anaſtaſio Contabulationem, ſive Tectum: Tignus enim dicitur à Tegendo: eaque de cauſa conſtructos eos gradus fuiſſe opinatur Illuſtriſs. Ciampinus, *ut in umbraculam diei ab Aeſtu, & in ſecuritatem à pluvia pro majori Populi orantis commoditate inſervirent*. Cum narret Bibliothecarius Chriſti-fideles antiquitùs devotionis gratia aſcendere illos conſueviſſe, & multotiès flexis genibus.

Livius 48.
Serm. 7. de Nat. Dom.
Cap. 4. pag. 39.
In Gregorio IV.

Et Dominus Abbas Carolus Bartholomæus Piazza in ſua Ephemeride Vaticana Carolum Magnum Romam profectum vivente Hadriano I. Pontifice Summo, & Divi Petri Baſilicam petentem hanc ſcalam genuflexum aſcendiſſe; quam tamen piam actionem Baronius non refert, dicens tantùm *illum omnes gradus ſingillatim ejuſdem Sanctiſſimæ Beati Petri Eccleſiæ deoſculatum eſſe*. Quem pium uſum, ut Alexander VI. excitaret, ſingulos gradus flexo poplite, & devotè aſcendentibus, ſeptem indulgentiæ annos ipſum conceſſiſſe affirmat Torrigius.

Pag. 65.
In MS.

Annò ſuccedente ſeptingenteſimo nonageſimo quinto Leo III. eos gradus vetuſtate conſumptos reſtituit. Et narrat Torrigius Benedictum XII. anno ſui Pontificatus V. (qui fuit à partu Virginis 1338.) comiſiſſe Antiſtiti Anagnino eorum Tignorum demolitionem, quorum fabricam Joannes XXII. anno 1316. iterùm perfici Canonicis Baſilicæ conceſſit.

Bibliot. & Severanus pag. 48.
In MS.

Poſt annum octingenteſimum decimum ſextum, quo Leo III. harum

ſcalarum Reſtitutor, ut diximus, ex hac vita migravit, anni ferè ſexcenti & duo ultrà quadraginta effluxerant, quibus Chriſti-fideles ex toto Terrarum Orbe ad Sacra Apoſtolorum Limina accedentes, eos gradus aſſiduè conſcenderunt, cum Pius II. illos multis in locis vel amotos, vel confractos reſtaurari juſſit, prægrandibus Statuis Sanctorum Apoſtolorum ad infimas graduum extremitates hinc indè collocatis, ut eorum venerationem in ipſo primo limine conciliaret. Eas è marmore formavit Minus Feſulanus Sculptor ſub eodem Pio II. de quibus ſcribens Ciacconius, ait adventaſſe Romam Deſpotam Moreæ Demetrium, qui Caput Sancti Andreæ detulit ſub eo Pontifice, eumque procerum fuiſſe, & pulchrum aſpectu, ad cujus exemplar Papa Paulus II. (intellige Pium II.) Statuam ingentem marmoream Sancti Pauli, quæ extat ad ſcalas Sancti Petri effingi fecit.

Oldoin. pag. 1025. Vaſar. par. 2 pag. 298. To. 2. pag. 1076.

Aedificata poſteà Baſilicâ à Paulo V. anno 1616. ii gradus redacti fuere ad viginti quatuor, & quidem fronti Baſilicæ proximiores, quorum longitudo palmorum erat nonaginta, & SS. Petri, & Pauli Symulachra Pii II. juſſu in iis poſita expoliri, ornari, & ejus Pontificis nomine reſtitui curavit, addita in baſibus inſcriptione, videlicèt ſub Petri Statua:

PAULUS V. PONT. MAX. VETERUM SCALARUM GRADIBUS ADMOTIS NOVAE BASILICAE RESTITUIT ANNO DOMINI M DC XVII.

In circuitu ejuſdem baſis:

PETRO CAELI JANITORI PAULUS V. PONTIF. MAX. ANNO XII.

Sub Simulachro autem Divi Pauli:

PAULUS V. PONT. MAX. SCALIS ANTIQUIS RESTITUTIS INSTAURAVIT ANNO DOMINI M DC XVII.

Et in circuitu:

PAULO VASI ELECTIONIS PAULUS V. PONTIF. MAX. ANNO XII.

Non tamen veteris ſcalæ altitudinem hos 24. gradus coæquaſſe exiſtimandum eſt. Antiquitùs enim Forum Vaticanum, ſicuti totum Romanum Solum, humiliùs fuiſſe pluribus è monimentis conſtat. Porrò arguitur primò ex horario Obeliſco, cujus umbra Gnomonis inſtar, Solares curſus in ſubjecta planitie Campi Martii quondam indicabat, poſteà verò ipſi ſubjectus deliteſcens. Secundò, ex collocatione Templi Agrippæ, ad quod per gradus Romani conſcendebant, & Columnæ Trajanæ, multorumque ædiciorum, quæ prætermittimus, ne à Vaticano Campo diſcedamus, in quo Obeliſci tota pars Leonibus ſubjecta tempore Sixti V. prorsùs latebat ſub ſolo,

ſolo, deindè ſupra aggeſtam humum ab Equite Dominico Fontana palmis circiter 33. elevatus, ut apparet in Tabula ſcenographica, quàm Eques Carolus Fontana expoſuit in ſuo libro de Templo Vaticano pag. 117.

Alexander demùm VII. ſcalas quoque aliter, quàm Paulus V. conſtruxit, & ad viginti & unum gradus illas reduxit in triplicem ſeriem diſtributos, quarum quæque ſeptem continet, & quidem proximiores Templo, ſunt è lapide Tyburtino, reliqui remotiores in duplicem ordinem diſpoſiti è pario marmore. Hos intermediat ſemicircularis gradatio, per quàm Pontificis, & Regum Sedilia facilè convehuntur, aſcenditque ſingulis annis Tributarius Regni Neapolitani Mannus in ſolemni Apoſtolorum Principis Feſto. Hanc declivem gradationem numidico lapide ſtravit Berninus, gradibus ità ſagaciter incurvatis, ut cum rectis gradibus, licèt altioribus, ſimùl aptè conjungerentur, planámque intermediam aream parum ſuperarent; Symulachris inſuper SS. Petri, & Pauli novam baſim ſubjecit, ut illa eminentiori in loco collocata Populi venerarentur.

CAPUT XXXI.

De Porticibus ab Alexandro VII. extructis.

E BASILICAE gradibus in ſubjectum Forum ſi oculos convertamus ampliſſimum Theatrum ſeſe offert, quòd Alexandri VII. quatuor Numiſmata nobis indicarunt, quorum duo anno 1661. ejus Pontificatus VII. cuſa, ſiniſtram Theatri partem Palatio Pontificio proximam præferunt. Totum verò alia duo anno duodecimo in lucem edita. In unico ex illis epigraphe eſt:

VATICANI TEMPLI AREA PORTICIBUS EXORNATA.

Singula inſuper hanc aliam oſtendunt:

FUNDAMENTA EJUS IN MONTIBUS SANCTIS.

Quàm aptè eruditiſſimus Pontifex hanc inſcriptionem addiderit, ex ipſis Baron. ann.
proximis collibus coniici clariſſimè poteſt, Vaticano ſcilicèt, & Janicu- to. 1. an. 69.
lenſi, quorum glebas, non ſolùm ſacer Martyrum cruor ſaturavit, tunc
„ quando (referente Tacito lib. 15.) pereuntibus edita erant ludibria,
„ ut Ferarum tergis contecti, laniatu canum interirent, aut crucibus affi-
„ xi, aut flammandi, aut ubi defeciſſet dies in uſum nocturni luminis ure-
„ rentur, hortos ſuos ei ſpectaculo Nero obtulerat, & Circenſe ludicrum
„ edebat, habitu aurigæ permixtus plebi, vel curriculo inſiſtens]. Sed Apoſtolorum ipſe Princeps, ac ejus Sepultura reddidit ſacros, omniaque penitùs ethnicæ Religionis monumenta delevit.

Igitur Alexander VII. Porticum Vaticanam, quàm 150. fermè ab

hinc annis unà cum ipſo Principis Apoſtolorum Templo deſignatam à Nicolao V. nullus Anteceſſorum aggredi auſus fuerat, ipſe à fundamentis incæptam ad umbylicum penè produxit. Eximium certè, atque inſigne opus, quòd *nullis veteris Romæ ſecundum* dixit in ſuo marmore Piſano Chimentellius. Cap. 19.

Præſcripſerat jàm Michael Angelus Bonarota peramplam Porticum in parte occidentali Baſilicæ emicycli formam in medio habentem, & in duo alia bracchia hinc indè extenſam, è quibus omnia Baſilicæ latera inſpici à circumeuntibus commodè poſſent. In foro verò orientali antè Baſilicam aliam duplicem Porticum collocare excogitaverat ſub Paulo V. Carolus Madernus, additis hinc indè januis cum paribus ornamentis extructis, quarum altera ad Palatium Vaticanum, altera verò ad Canonicorum Aedes daret ingreſſum. Sed utriuſque ideam mente tantùm conceptam nullus abſolvit, & ne penitùs illis demortuis deperiret, Sixtus V. in pariete Bibliothecæ Vaticanæ coloribus exprimi juſſit delineationem Bonarotæ, utriuſque verò delineationem Ichnographicam æreis in tabulis incidi curavit Illuſtriſs. Coſtagutus, illamque in noſtris paginis indicamus in Tabula ultima.

Aliam Porticum excogitavit Maderno defuncto Papyrius Bartolus in triplicem contignationem diviſam, & quadratam formam habentem, cujus Iconiſmum Matthæus Greuter incidit, in quo Fontem à Paulo V. extructum in linea, forum bifariam ſecante, collocabat.

Fig. 67. Non abſimiles ſub Alexandro VII. delineavit Eques Franciſcus Rainaldus, alteram quidem in quadrilateram ſpeciem, inflexam, alteram verò in elypſim arcuatam. Utriuſque Ichnographiam ſequens Tabula 67. repræſentat.


Plures eodem tempore Pontificiis oculis Berninus expoſuit, primam peralellogramma efformabat, quòd in ſequenti Tab. 68. tranſverſis lineis
Fig. 68. expreſſam damus ſub numero 15. & orbicularem figuram ſub numero 14. ut in eadem Tabula repræſentatur, qua veluti corona cingeretur Obeliſcus à Sixto V. antè Baſilicam erectus; ad utriuſque fabricam Domus quamplures punctatim à nobis delineatas opus erat evertere.

Cæteras Tabulæ partes numeris exſculptis indicabuntur:

1 Ingreſſus Palatii Pontificii.
2 Domus Sanctæ Inquiſitionis.
3 Janua Urbis, vulgò di Cavallegieri.
4 Palatium Familiæ Cæſiæ.
5 Via ad Templum Sancti Spiritus.
6 Aedes Cyborum, & pro Pœnitentiariis.
7 Archivum Urbis.
8 Via antiqua Civitatis Leoninæ.
9 Ejuſdem Civitatis Via nova.
10 Templum Sanctæ Catharinæ.
11 Fons à Paulo V. extructus.
12 Locus Obeliſci.


Domus

ICHNOGRAPHIA AREÆ VATICANÆ CVM PORTICIBVS DVPLICI INFLEXIONE DISPOSITIS AB EQVITE FRANCISCO RAINALDO




Scenographia Porticus


Auctor delin et sculp.


TABVLA
68.
pag. 188. 2.
Idea Porticus
quam Eques Berninus
moliri meditabatur
in Area Vaticana
Scala Decempedarum
10 20 30
Auctor del. et sculp.


TABVLA 69. DELINEATIO PORTICVS AB EQVITE BERNINO INVENTA



Auctor del. et sculp.



Auctor del. et sculp.



Auctor del. et ſculp.

13 Domus diverſorum.
14 Ichnographia Porticus rotundæ.
15 Ichnographia Porticus quadrilateræ.

Verùm cum in circulari Theatro centrum non obtineret Obeliſcus utramque hanc Porticus ſpeciem tanquàm diſſonam accuratiſſimus Pontifex rejecit.

Quamobrem àliàs excogitavit ferax Bernini ingenium, non quidem circulari linea abſolutas, ſed ovata, quarum centrum Obeliſcus occupabat. Duas delineatas exponimus ex Auctographo ipſius Bernini in Bibliotheca *Fig. 69. & 70.* Excellentiſs. Principis Ghiſii aſſervato. Duobus veluti bracchiis in utraque continuata Porticus AA. rectèque extenſa frontem Baſilicæ complectitur; ſed ſcalæ antè fores diverſimodè collocatæ videntur, & Area inſuper Fori diverſis lineis BB. ex Tyburtino, pario, & ſiliceo lapide reticulata, adjectis pulcherrimis Fontibus CC. pluribuſque in locis, videlicèt in II. Gentilitio Ghiſiæ Domus ſydere, cujus radii marmoream cratem efficiebant, ad imbrium aquas hauriendas, ut indè per ſubterraneos ductus in Tyberis alveum faciliùs excurrerent.

Alia denique in Tab. 71. illam expreſſimus, quàm cæteris ſagaciſſimus *Fig. 71.* Pontifex prætulit, ut magnificentiorem, ac excelſa Baſilicæ mole omnium digniſſimam. Nec humanæ gloriæ ſtimuli ad arduum alioqui opus piiſſimi Pontificis animum induxere, ut non nemo venenato livoris calamo auſus eſt affirmare. Apage procacem mentem, quæ de tanto Pontifice hæc temerè audes agitare. Adi tabulam æneam, in qua ejus Porticus Ichnographiam ſub ipſo Alexandro VII. exſculpſit Romæ Joannes Baptiſta Bonacina publica ex auctoritate, ac æquiſſimi ſuper Typographis deputati Tribunalis cenſura. In ea ſcalpro inciſa leges hæc verba:

„ Cum & Hyeme ob vim pluviarum, & Aeſtate ob Solis vehementiam acceſſus per Plateam ad Vaticanum Divi Petri Templum, & Apoſtolici Palatii functiones ſit valdè incommodus, & penè intolerandus, complures Summi Pontifices Porticum ibi excitare cogitarunt. Hoc eodem publici boni ſtudio permotus Summ. Pont. Alexander VII. ac etiam, ut magnificentiam Templi augeretur, ejuſque proſpectum eminentiorem redderet, hanc Porticum erexit, quaternis columnarum ordinibus diſtinctam, tribuſque ambulationibus intùs apertis, ut & peditum, & curruum commoditati conſuleret.

Hoc ipſum innuit Inſcriptio, quàm doloris Caſtro poſt Alexandri mortem eruditus calamus appinxit his verbis:

„ Vaticani Templi Sanctitatem Maximus Alexander, ut Generi humano auguſtiorem redderet, circumduxit admirandam Porticum, quàm Theatrum dixeris, ubi geſtum facit cum Majeſtate Religio. *Relazione dell' Eſſequie, per Pavolo Moneta.*

His

Pag. 716. in addit. ad Ciaccon.

His adde, quæ Auguſtinus Oldoinus retulit [Cum autem tempore
„ contagioſæ luis, vetito commercio plebecula diurno quæſtu vivere aſ-
„ ſueta inopia conficeretur, præter eleemoſynæ largiora ſubſidia præclaram
„ iniit ejus non inutiliter paſcendæ rationem, inſtituta ſubſtructione Por-
„ ticus Vaticanæ, quàm centum quinquaginta fermè ab hinc annis, unà
„ cum ipſo Principis Apoſtolorum Templo deſignatam, nullo tamen ſupe-
„ riorum Pontificum aggredi auſo, ipſe à fundamentis incæptam ad umby-
„ licum penè perduxit.

Disiectis igitur pluribus Aedium partibus, quæ Porticus fabricæ impedimento erant, inter quas præcipuè fuerunt Domus Cyborum nobiliſſima, & Raphaelis Sanctii ab eodem conſtructa, & picturis exornata, die 25. Auguſti anno 1660. Ipſe Pontifex Sacro Cardinalium Cœtu ſtipatus coram Romanæ nobilitatis Proceribus, ac Populi frequentiſſima Turba primum lapidem poſuit, ac plurima Numiſmata, quorum altera pars Pontificis, altera verò ipſius extruendæ Porticus Speciem oſtentabat.

Martinell. in Roma ricercata giornata 1.

Quadruplici columnarum ſerie Porticus conſtat, in quarum ſingulis, non quidem inſunt quadraginta columnæ, adeòque omnes ſimùl 320. ut Rever. Abbas Mabillon enunciavit in pagina 50. to. 1. Muſæi Italici; ſed triginta duæ, & omnes ſimùl 128. quibus ſi totidem ex adverſa parte addantur efficitur numerus 256. Ex tribus ambulacris inter columnas circumductis, quæ medium ſitum occupant, duplo majorem habent latitudinem pro rhedis excipiendis, quàm illa, quæ utrinque adjacent, Populo liberum iter præbentia. Quadraginta octo inſuper Paraſtatæ interjacent, ubi præcipuè in aream Porticus aditus patent, quibus aliæ 24. prominentes columnæ ſunt additæ.

Quadruplicis ordinis columnæ tantam craſſitiem habent, ut extenſis bracchiis tres Viri eas penè dimetiantur, illa tamen craſſities eſt inæqualis, nàm extima intimam ſuperat, licèt columnis omnibus inſit æqualis altitudo, illis præſcripta ab Architecto, ad ſubſtinenda æqualia ornamenta. Harum Baſis etruſcas leges oſtendit, Columnæ, Epiſtylia, Zophori, & Coronix Jonicas, Doricas verò Capitula. Ambulacris mediis fornicem in circularem formam extructi imminent, ſub quibus magnis characteribus hæc inſcriptio legitur expreſſa ea in parte, ubi in orientem abſolvitur:

IN UMBRACULUM DIEI AB AESTU.

IN SECURITATEM A TURBINE, ET PLUVIA.


Cæteris minoribus lembi ſpeciem referentes. Supra Epiſtylia Balauſtra inſiſtunt Paraſtatis interjectis, ſingulisque columnarum ſpatiis reſpondent Signa è Tyburtino lapide, alta ſingula palmis tredecim, exhibentia complures SS. Pontifices, & Martyres, quorum Sacræ Reliquiæ in Baſilica piè coluntur. Ubi præcipua ſunt oſtia Ambulacrorum, inter Statuarum ſeriem Alexandri VII. Gentilitia Stemmata, ſubjecto ejus nomine conſpiciuntur.

Porticum inter & Templi frontem duo recta ambulacra protenduntur, quorum dexterum Clemens IX. perfecit ſiniſtrum Alexander, per quod ad Pala-


TABVLA 72.

EIVSDEM PORTICVS PARTES CVM MENSVRIS


Pars exterior porticus rectę





Ianua ducens ad porticum rectam



Pars interior eiusdem porticus







Auctor del. et sculp.

Palatium itur Pontificium, utrumque Paraſtatis exornatur, ac feneſtris, & in ſubjectam Fori aream declivi proceſſu facilem deſcenſum præbent, gradus inſuper ſunt adjecti, ubi utrinque janua eaſdem ambulationes intercludit. Eam Columnæ ordinis Corinthii, cum Epiſtylio, Zophoro, & Corona exornant, ſupra alteram SS. Petri, & Pauli, alteram verò Redemptoris, & Divi Petri extant imagines.

Totius Porticus menſuras luculenter recenſuit in ſuo libro 5. de Templo Vaticano cap. 27. Eques Fontana.

Illum adeat ſtudioſus Lector. Hìc tantùm illa referemus, quas Bernini juſſu Italico idiomate retulit in ſua Ichnographica Tabula Joannes Petrus Bonacina:

Diameter longitudinis lineæ exteriores Columnas conjungentis	palm.	1052. $\frac{1}{2}$.
Linea latitudinis	palm.	905.
Longitudo lineæ inter inreriores columnas	palm.	899. $\frac{1}{2}$.
Latitudo	palm.	752.
Latitudo Ambulationis exterioris	palm.	12. $\frac{10}{12}$.
Ambulationis mediæ	palm.	23. $\frac{1}{3}$.
Ambulationis interioris	palm.	12. $\frac{10}{12}$.
Diameter Columnæ exterioris	palm.	7. $\frac{2}{12}$.
Interioris	palm.	6. $\frac{1}{2}$.
Altitudo Baſis, Columnæ, & Capituli	palm.	57. $\frac{1}{2}$.
Altitudo Epiſtylii, Zophori, & Coronicis	palm.	14. $\frac{4}{12}$.
Altitudo Baſis, ſupra quàm extant Statuæ	palm.	9. $\frac{1}{2}$.
Altitudo Statuæ	palm.	13.

Addit Fontana fundamentum eſſe palm. 13. profundum.

Verùm hæc omnia in adjecta Tabula 72. numerorum beneficio oculis clariùs exhibentur. Tota autem ampli Theatri moles octingenta quinquaginta millia nummorum abſumpſit. *Fig.* 72.

Debitas Bernino laudes ob hujus admirandæ Porticus fabricam minuere non nemo conatus eſt, opponens primò, quòd à Bonarotæ delineatione diſceſſerit. Secundò, quòd malè Theatrum illud ità collocarit, ut ejus major diameter paralella eſſet Baſilicæ fronti; ſic enim illa, ſcilicèt linea A B in expoſita Tabula 71. indicata reſponderet omninò longitudini Baſilicæ, illique conjungeretur. Omnes in Elypſeos ambitu comprehenſi, ubique ejuſdem Baſilicæ frontem inſpicerent, ac Mœnianum, ubi Pontifex ſacras Benedictiones impertitur, quòd certè quamplurimis celatur in Area A C D ut conſideranti patebit. Verùm in tali delineatione uſus eſt ſumma ſagacitate Berninus; cum enim in parte Boream reſpiciente Aedes Pontificiæ ſitum occuparent, ad hanc partium diſtributionem illum coegerunt, ac ne idem Palatium deſtrueret, talem Porticus ſpeciem prudenter excogitavit. His adde, quòd refert in ejus vita Philippus Baldinuccius, videlicèt ea ratione hanc Porticum collocaſſe, ut nempè Pontificio Palatio magis adhærendo Fori proſpectus eidem pateret, ac aditus Scalis regiis directè reſpondens. Pag. 28.

CAPUT

CAPUT XXXII.

De Fontibus in Foro collocatis.

IN amplo expoſitæ Porticus Theatro centrum obtinet Obeliſcus, & aquarum Fontes hinc indè diſpoſiti Vaticanum Forum condecorant: qui certè ſilentio haud poſſunt præteriri. De his igitur primò aliqua delibabimus, deindè de Obeliſco fuſiùs tractaturi.

Sunt itaque Fontes antè Templum non tantùm ad ornatum, ſed ad utilem, ac piiſſimum uſum extructi. Illos primùm antè Tabernaculum Dei collocari ipſe Deus imperavit Moyſi, cum dixit: *Facies, & labrum æneum cum baſi ſua ad lavandum*, ut ſcilicèt, inquit Abulenſis, *ad aquam continendam, qua lavarentur primò Sacerdotes, antequàm ad Sacra accederent, ſecundò partes Victimarum, quæ imolabantur*, quo ritu voluit eoſdem admonere internæ puritatis, ut meminiſſent Sacerdotes ſibi deinceps non humi, ſed per æthera incedendum eſſe, ait Philo de Victimis. Id imitati ſunt Gentiles in ſuis prophanis Sacris. Undè illud Heſiodi: *Illotis manibus Sacra tractare eſt nefas*. Hinc & Sacerdotes novæ Legis in Miſſa manus lavant, quin & omnes Chriſtiani olim ingreſſuri Eccleſiam lavabant manus, tùm ut puritatis internæ admonerentur, tùm quia manibus excepturi erant Sacram Euchariſtiam, eâque de cauſa pro Foribus Eccleſiæ poſitum erat, ut vas aquæ ad purificationem, cujus loco poſteà remanſit vaſculum aquæ benedictæ poſitum in ingreſſu Eccleſiæ.

Exod. 30. 18. — Apud Cornel. à Lap. ibid.

Teſtatur hunc antiquiſſimum morem Sanctus Paulinus, qui vixit anno 410. hoc carmine:

Ep. 12.

Sancta nitens Famulis interluit atria lymphis
Cantharus, intrantumque manus lavat amne Miniſtro.

Et loquens de Divi Petri Baſilica, Fontem deſcribit in Atrio quadriportico collocatum; ſic enim ad Alethium ſcribit epiſtola, non trigeſima prima, ut dicitur in Biblioth. Patrum tom. 27. pag. 96. ſed epiſt. 33.

„ Juveni præclaro (inquit Divus Paulinus) qui pro defuncta Uxore „ Ruffina filia Sanctæ Paulæ epulum præbuit omnibus Romæ Pauperibus „ in Baſilica Apoſtolorum Principis. In atrio cantharum Miniſtro mani„ bus, & oribus noſtris fluenta ructantem faſtigiatus ſolido ære Tholus „ ornat, & inumbrat, non ſine myſtica ſpecie quatuor columnis ſalien„ tes aquas ambiens. Decet enim ingreſſum Eccleſiæ talis ornatus, ut quòd „ intùs Myſterio ſalutari geritur, ſpectabili pro Foribus opere ſignetur &c.] Declaratque pluribus ſtructuræ ejus Fontis myſterium. Quæ omnia Sancti Damaſi operi tribuuntur, cum antè ipſum aquæ diſperſæ nullius uſus, ſed detrimenti eſſent Mortuorum Sepulchris, ipſi nimirùm Cœmeterio Vaticano.

Baron. to. 4. anno 384. Pontif. 18. nu. 19.

Hunc

Hunc Fontem circa annum 500. exornatum fuiſſe à Symmacho Pontifice refert Anaſtaſius, inquiens: *Cantharum Beati Petri cum quadriporticu marmoribus ornavit, & ex muſivo Agnos, & Cruces, & Palmas ornavit*. Explicat hæc ornamenta Pompeus Ugonius, referens, fuiſſe à Symmacho additas quatuor columnis porphyreticis à Sancto Damaſo poſitis, quatuor alias, quæ æneum tectum, cum Pavonibus pariter æneis, quos accepit, referente Panvinio, è Mole Hadriani. Pag. 95.

In eundem Fontem penitùs areſactum ob aquam deperditam, quàm Sanctus Damaſus adduxerat, Aquam, Sabbatinam vulgò dictam, Hadrianus Pontifex corrivavit circa ann. 780. ut ſcribit Anaſtaſius, his verbis: „ [At verò jàm per evoluta viginti annorum ſpatia Forma, quæ vocatur „ Sabbatina, nimis confracta exiſtens, per quàm decurrebat aqua per Cen„ tenarium in atrio Eccleſiæ Beati Petri Apoſtoli, ſimùlque & in Balneo „ juxtà eandem Eccleſiam ſito, ubi Fratres noſtri Chriſti Pauperes, qui „ ad accipiendam eleemoſynam in Paſchalem feſtivitatem annuè occurre„ re, & lavari ſolebant. Aqua ex eadem forma neque in atrium B. Petri, Pag. 62. „ neque infrà Civitatem decurrebat, dùm ipſa Forma, ut dictum eſt, di„ ruta extitit ob centum arcus ipſius Formæ magnæ altitudinis conſtructos, „ & è fundamentis demolitos, atque deſtructos, ut jàm nulla ſpes vide„ retur eſſe eoſdem arcus, vel fractam Formam reædificandi, atque reſtau„ randi, ipſe Beatiſſimus, ac Sanctiſſimus Præſul aggregans multitudinem „ Populi per ſemetipſum ad fabricandum, atque reſtaurandum eandem „ Formam præparavit, & tantam curam, ac ſollicitudinem in ejuſdem For„ mæ fabrica exhibuit, quòd etiam noviter à fundamento eam renovavit, „ atque reſtauravit, & confeſtim Centenarium illud, quòd ex eadem Forma „ in atrio Eccleſiæ Beati Petri decurrebat, dùm per nimiam neglectus in„ curiam plumbum ipſius Centenarii furtim jàm plurima ex parte exindè „ ablatum fuiſſet, reliquum plumbum conquaſſatum protinus iſdem præ„ cipuus Paſtor addita multitudine plumbi ipſum Centenarium noviter fe„ cit, & Deo auſpice aqua in atrio Beati Petri, ſimùlque & in præfato „ Balneo, verùm etiam & intùs Civitatem, idem in Genuculo, ubi Molæ „ macinabant; ſicut antiquitùs abundanter decurrere fecit]. Hactenùs Bibliothecarius de Fonte in Atrio Baſilicæ aquam Sabbatinam emanante, de qua plura dicenda erunt in explicatione Numiſmatis Pauli V. qui eam iterùm Romæ reſtituit

De eodem Fonte ſcripſit Petrus Mallius, quæ ſequuntur [In Paradiſo „ Sancti Petri eſt Cantharum, quod fecit fieri Symmachus Pont. colum„ nis porphyreticis ornatum, quæ nimirùm columnæ tabulis marmoreis „ cum Gryphonibus connexæ pretioſo cælo æneo coopertæ cum floribus, „ & Delphinis deauratis aquas fundentibus. In medio verò hujus Can„ thari in eo eſt Pinea ænea, quæ fuit coopertorium cum Sinco æneo, & „ deaurato ſuper Statuam Cibeles matris Deorum in foramine Pantheon, „ in qua videlicèt Pinea ſubterranea fiſtula plumbea ſubminiſtrabat aquas „ per foramina muri omnibus indigentibus eá, & per ſubterraneam fiſtu„ lam quædam pars fluebat ad Balneum Imperatoris juxtà Aguleam.

Alium Fontem porphyreticum, apud gradus Baſilicæ poſitum fuiſſe

à Symmacho Pontifice narrat idem Mallius: *Ad Chriſmatis Unctionem feria ſecunda poſt Paſcha faciendam*. De quo etiam Severanus centum ferè
Pag. 48. „ poſt elapſos annos ab Hadriani Pontificatu Nicolaus I. præclara ergà „ Pauperes præditus pietate, ut Anaſtaſius affirmat, ob eam Claudorum, „ atque Cœcorum, nec non & diverſis pœnis affectorum in Porticu Beati „ Petri Apoſtoli jacentium, ad oram Tyberini fluminis, ad ſitim auferen„ dam, non poſſe greſſus conſpiciens tendere, ac diverſarum gentium, „ quæ undique pro ſceleribus Apoſtolica Limina propriis expetebant, uti„ litatem divinitùs attendens, juſſit minimè corpori ſuo parcens, For„ mam Aquæductus, qui multis à temporibus ruerat, & ad Beatum Pe„ trum Apoſtolum ob hoc aqua non ducebatur, in meliorem, quàm fuerat „ certamine quamplurimo revocari ſtatum, ità ut non ſolùm hominibus „ profuerit debilibus, ſed etiam omnibus Eccleſiam Beati Principis Apo„ ſtolorum adeuntibus præcipuum opus extiterit].


Præter dictos Fontes, quos in Atrio Quadriportico, & propè Scalas Pontifices extruxerunt, alium duxit Innocentius VIII. in medium Forum,
Pag. 283. quem olim apud Antiquarios celebrem fuiſſe affirmat Floravantes Martinellus in Roma Sacra. Ejus meminit Torrigius, citatque verba Diarii MS.
Pag. 578. quæ ſunt [Innocentius VIII. anno 1490. ædificavit in Platea Sancti Petri „ Fontem marmoreum cum lapidibus figuratis cum duabus urnis rotun„ dis una ſuper aliam cum magno artificio, prout videri poteſt, quem „ poſteà Alexander VI. in meliorem formam ædificavit gentilitio ſtemmate „ decoratum].

Poſtquàm verò Paulus V. aquam olim dictam Trajanam, ſeu, ut alii nominarunt, Sabbatinam, reſtituit, non quidem à lacu Sabate acceptam, ſed in agro Braccianenſi è ſaluberrimis fontibus collectam, veteribus aquæ Alſietinæ ductibus reſtitutis, noviſque additis anno 1612. Pontificatus ſui VII. eamque è ſuo nomine Paulam appellavit; in Civitate Leonina plures egregios fontes extruxit, quorum duo antè frontem Baſilicæ Vaticanæ extiterunt; alter quidem muro inſertus Palatii Pontificii ſub Navicula muſivo opere expreſſa, quinque è tubis aquam eructans commoditati Peregrinorum, alter verò in ipſo Foro celſiſſimè aſſurgens trecentis palmis ab Obeliſco diſſitus, ſpumanteſque globos eiiciens, pro quibus trecentas aquarum uncias Janiculo deductas ad ejus Fontis amœnitatem deſtinavit. In hoc Fonte, ad altitudinem ſexaginta quatuor palmorum elato, porphyreticum labrum è marmore numidico primùm decidentes imbres recipit, è quo poſteà in ſubjecta vaſa dilabuntur amnium inſtar adeò copiosè proſiliendo, ut inter elegantiſſimos, uberimoſque Fontes totam Italiam decorantes, hìc primùm ſibi vendicet locum in Vaticana Platea, à Carolo Ma-
Pag. 87. derno ſub Paulo V. collocatus. Illum Hieronymus Pretus inſignis Poeta ſequenti carmine eleganter expreſſit:


Ondoſa

TABVLA 73.

FONS SVB PAVLO V. EXTRVCTVS IN AREA VATICANA



Eiusdem Fontis Ichnographia



Alexander Specchi delin et Sculp.

ONDOSA Mole ogn' hor d'acque feconda
Appiè del Vaticano il capo eſtolle
L'alto di ſpuma è biancheggiante, e l'onda,
Benche gelida ſia, gorgolia, e bolle.

Quaſi corona il marmo orna, e circonda,
Miſto à perle ſtillanti argento molle,
Cade un fiume d'intorno, e l'aria inonda,
E par, che procelloſo ondeggi un colle.

Meraviglie di PAVOLO: I marmi, i monti
Nuovo Encelado Santo innalza, e muove,
E trahe nuovo Mosè da Pietre i Fonti.

E mentre è il Ciel ſereno, il noſtro Giove,
Che i torrenti ſotterra al cenno hà pronti,
Gl' innalza, e ſenza nube i nembi piove.

Eundem Fontem Alexander VII. è ſuo loco amotum in eo collocavit ſitu, indicato in noſtra Ichnographia Porticus ſub littera O aliumque ſimilem Fontem conſtrui juſſit in oppoſita parte meridiem reſpiciente; verùm ob ejus obitum hæſit opus; ejuſque conſtructio etiam toto Clementis IX. Pontificatu neglecta fuit. Verebantur enim Fabricæ Præfecti ne aqua ſufficeret, quàm è lacu Braccianenſi in Ductus Pauli V. immittere meditabantur ad ſimilem Fontem efficiendum. Omnibus tamen, quæ ad perennitatem aquarum pertinebant ritè examinatis ab Eminentiſſimo Joanne Coſtaguto, tùm Clericorum Cameræ Apoſtolicæ Decano, & Aquis Præfecto, ſtatutum fuit conſimilem poſſe conſtrui, eamque ob rem brevi temporis intervallo ſua, qua pollet, ſolertia Eques Carolus Fontana illum excitavit, ac D. Petri feſto die, ob æquitationis tempore aquæ fœlici, ac perenni curſu, publicoque cum plauſu è plumbeis fiſtulis emanarunt. Quibus plurimas ob cauſas eidem Fonti ſublatis, & poſteà ab Innocentio XI.redditis, dùm fœlici, perpetuòque curſu decurrunt, tùm Romani, tùm Advenæ delectantur. Et ne abſentium oculis ſuum deſit oblectamentum, ejus Fontis Iconem ad vivum expreſſi in ſequenti Tabula 73. ſubjecimus. *Fig. 73.*

His circa Fontes apud Baſilicam Vaticanam extructos delibatis, ad Obeliſcum oculos convertamus.

CAPUT XXXIII.

De Obeliſco à Sixto V. in Foro Vaticano erecto.

MEDIUM videtur hìc occupare ampli Fori locum, in quo Sixtus V. feliciter illum collocavit. Verùm ſi exactè ejus menſuras accipiat ſtudioſus indagator, ducatq; lineam à centro magni Tholi per medium januæ Baſilicæ, qua forum Bifariam dividatur, animadvertet centrum Obeliſci ab ea diſtare quindecim palmis cum dimidio, Boream verſus collocati, ut refert Joannes Petrus Bellori in vita Dominici Fontanæ, cui talem errorem tribuerunt aliqui. Eques tamen Carolus Fontana in ſuo tractatu de Vaticano Templo affirmat talem errorem derivaſſe ex delineatione Caroli Maderni. Ità enim ille conjunxit ſub Paulo V. additamentum Baſilicæ alteri parti à Bonarota ædificatæ, ut non rectam lineam efformaret, ſed ad Meridiem deflecteret, qui error ſatis apparet cum inſpicitur hinc angulus acutus indè verò obtuſus, ubi Paraſtatæ Sacello Gregoriano conjunguntur. Ego tamen puto non ab eorum Virorum imperitia talem errorem irrepſiſſe, verùm ab Artificum incuria, fundamenta ponentium à linea diametrali aberrantia, vel quia eam lineam omnium partium directricem malè poſuerint, à pariete intermedio adhùc extante impediti.

Pag. 155. Lib. 5. cap. 8

Erectionem ejus Obeliſci plures Auctores ſuis in paginis retulerunt, inter quos præcipuè Eques Dominicus Fontana adjectis Iconiſmis, in quibus machinas delineavit ad ejus erectionem adhibitas. Anno demùm proximè elapſo 1694. Eques Carolus Foutana in opere, quòd texuit de Templo Vaticano libro 3. duodecim Tabulis adjectis eaſdem luculentiùs com-
„ prehendit, adactus, ut ipſe ait, non tàm à mutua ſanguinis affinitate,
„ ſed ne ejus Viri monumenta, æreis tabulis incendio abſumptis, penitùs
„ interirent.

In earum prima tabula expreſſit Obeliſcum in antiquo Circo collocatum, deindè in Area antè frontem Baſilicæ.

In 2. Succulam, ſeu machinam tractoriam duobus vectibus trajectam, circa quàm ductorius funis obvolvitur.

In 3. Planitiem, in qua Trabium compago collocabatur, ac Ergatæ ad amovendum Obeliſcum aptæ.

In 4. ipſam Trabium compaginationem.

In 5. totam lignorum coagmentationem, ac ipſum Obeliſcum ferro munitum, & Poliſpaſtis.

In 6. Obeliſci primam amotionem à loco antiquo.

In 7. methodum, qua beneficio Trochlearum, & Peritrochiorum Obeliſcus ſupra ligneum ſtratum jacuit.


In 8. Obeliſcum jacentem in tramite aggeribus ſuffulto, ſupra quem ad novum locum erectionis deductus eſt.

In 9. ligneam compaginem circa ſtylobatam collocatam, ſupra quàm Obeliſcum poſuerunt.

In 10.

TABVLA 74.

PROSPECTVS LATERALIS ANTIQVÆ BASILICÆ ET LOCVS VBI ERAT OBELISCVS ANTE PONTIF. SIXTI V.



In 10. Obeliſcum cum Trochleis, atque Ergatis diſpoſitis ad ejuſdem erectionem.

In 11. Suggeſtum, in quo jacebat ad motionem aptatum, Polyſpaſtorum, ac Cylindrorum beneficio.

In 12. Succulas in Foro diſpoſitas ad erectionem.

Illas adeat curioſus Lector, nos interim breviſſimam, omnia tamen comprehendentem, enarrationem de hujus Obeliſci erectione ſubteximus, ne Vaticanæ Baſilicæ decus præcipuum negligamus, non quidem ad inutilem pompam, ſed Divini Nominis gloriam à Sixto V. magnis ſumptibus collocatum.

Itaque inter Obeliſcos, quos Romani Imperatores in Urbem ex Aegypto tranſtulerunt non infimus ille fuit, quem in Circo Vaticano erexit Calligula. Illum fuiſſe à Pherone Seſoſtris filio, ac Aegyptiorum Rege fabricatum demonſtrare conatur in ſuo Commentario de Obeliſco Petrus Angelus Bargæus, ac Soli ſacratum, deindè fractum, cum humi deponeretur; nàm Obeliſcum Pheronis fuiſſe centum cubitorum affirmat Plinius; Vaticanus autem quadraginta octo cubitos æquare. Confirmat ſuam opinionem ex Plinio, ubi hæc ſcribit: *Abies admirationis præcipuæ in navi, quæ ex Aegypto Caii Principis juſſu Obeliſcum in Vaticano Circo ſtatutum, quatuorque truncos lapidis ejuſdem ad ſubſtinendum eum adduxit.* Lib.17.c.40

Scripſit Joannes Palatius in vita Sixti V. *Totilam Gothorum Regem hunc, & alios evertiſſe, & ſolo æquaſſe.* Pater Claudius du Molinet ad Numiſma VIII. Sixti V. narrat Sixtum decreviſſe illum Cruci conſecrare tunc neglectum *humi jacentem, ruderibuſque, ac terrâ penè obrutum, ac deliteſcentem.* Sed claudicat utriuſque relatio. Poſtquàm enim Gothi cum Totila Romam aggreſſi Obeliſcos Arietum impetu ſuis è baſibus dejecerunt, unicus in ſolo Vaticano ſtetit incolumis, ut colligitur ex Horoſio lib. 7. cap. 37. & ex Baronio. Quippè etiam Alaricus Gothorum Rex cum Romanæ opes diriperentur, juſſit omnem ſacram ſupellectilem SS. Petri, & Pauli Baſilicis reddi, & Chriſti-fideles ad eos confugientes voluit illæſos, qua de cauſa proximus Baſilicæ Obeliſcus priſtinam ſervavit integritatem. Vide etiam Baron. ad ann. 547. tom. 7. To.5. ann. 410.

Inſidebat quidem propè fabricam, ſtylobatis ſub ageſta humo deliteſcentibus, immerſus, ut refert Mercatus uſque ad priſcam Caii inſcriptionem, quæ exſculpta legebatur circa baſim Obeliſci his verbis. Fol.366.

DIVO CAES. DIVI JULII F. AUGUSTO TI. CAES.
DIVI AUG. F. SACRUM.

Sed tamen erectus, ut apparet in Tabula 74. eo modo delineatus, ut extat in Bibliotheca Vaticana. *Fig.* 74.

Lapidem ex quo conſtat, appellarunt Tebaicum; è Fodina enim in Tebaide ſita erui ſolebat hìc lapis. Eum dixerunt etiam Sienitem à Syene Fodinis propinqua. Et eumdem Henricus Salmuth vocavit Ophytem in notis ad Pancirolum. Lætus lib. 11. par: 2. Italica voce nominat *Pirope-* Tit.31.

cido,

cido, quæ ſignificat illum maculis igneis aſperſum eſſe, & vulgò dicitur *Granito Orientale*. Summo ejus acumini conjungebatur Globus æreus auro circumtectus, qui Julii Cæſaris cineres continuiſſe ferebatur, ſed falsò. Morem enim fuiſſe apud antiquos Aegyptios, ac Romanos globos æreos collocandi in verticibus Obeliſcorum, affirmat Mutius Panſa tract. de Vaticana Bibliotheca, ut indicarent, vitam Hominum in Obeliſco expreſſam, paulatim minui, ejuſque finem cum Cælo conjungendum, à Globis ſuperimpoſitis expreſſo. Quàm etiam ob cauſam Globos imponebant columnis milliaria indicantibus, ut ſcilicet hoc ſalutari documento Viatores omnes erudirent. Cæterùm cineribus Cæſaris illum ſemper caruiſſe Dominicus Fontana deprehendit, cum ſine ulla partium compoſitione, ac penitùs vacuum illum recognovit.

Pag. 104.

Cùm ergò inter omnes Obeliſcos, qui Romæ ornamento fuerant, unicus hìc Vaticanus integer, & erectus, ſed humili in loco deliteſceret, prout apparet in Tabula ſuprapoſita, in Vaticana Bibliotheca delineata, ubi Sixtus V. coloribus exprimi juſſit, nonnullis Pontificibus inceſſit cupido illum, ex antiqua baſi dimotum, ſitu nobiliori decorandi [Inter omnes „ primùm Nicolaus V. arduum hoc opus moliri animo agitavit, de quo „ Manettus in ejus vita MS. hæc commemorat. Ampliſſima, & ornatiſ„ ſima Area, & ut Græci dicunt Platea, quàm in Vaticana regione medi„ tabatur, ingentiſſimum illum, ac maximum Obeliſcum in ipſo areæ me„ ditullio è regione ad intermediam prædicti veſtibuli portam in hunc mo„ dum pulcherrimè ſimùl, atque devotiſſimè collocabat, nàm pro quatuor „ puſillis æneiſque Leonibus, quibus Coloſſus ipſe non pro baſibus, ac „ ſubſtentaculis paulò ſuperficie Soli altioribus utitur, quatuor magnas toti„ dem Evangeliſtarum Statuas, ac ſolido, liquefactoque ære in ſtaturam „ humanam fabrefacta conflatas, in ſuperficie Soli diſtantibus inter ſe pro„ portionibus, ſecundùm Coloſſi latitudinem ponebat; ſuper quibus æneis „ Statuis diverſis invicem figuris, juxtà varias cujuſcunque perſonæ condi„ tiones, perpolitiſſimè ſculptis Coloſſea moles ſubſtentabatur. In ſummi„ tate verò ipſius Coloſſi alteram JESU Chriſti Salvatoris noſtri Statuam „ dextera ejus manu auream Crucem bajulantis, ex ære confectam accom„ modabat]. Hùc uſque Manettus.

Poſt Nicolaum V. Julius II. à Bramante, Paulus III. ab Antonio Sangallo. Julius III. à Michaele Angelo Bonarota ad locum, ubi nunc eſt transferri peroptarunt, demùm Gregorius XIII. idem opus ipſo vivente perficiendum ſperavit. Nec defuerunt, qui ſæpè animo agitaverint, qua ratione, quo ſumptu, quibuſve machinis tàm immanis moles è ſede, in qua fuerat poſita, integra evelleretur, & in Area Vaticana ſic ſtatueretur, ut auguſtiſſimi Templi veſtibulum non modò ornare, ſed etiam venerari videretur, idque quo minùs fecerint, cauſam omninò fuiſſe poſſumus exiſtimare, quòd partim ſumptu deterriti, partim Artificum inſcitiæ diffiſi, vel immatura morte ſublati, vel aliò animum traduxerint, & à pulcherrimi facti gloria revocaverint. Stabat itaque Trabs illa ſaxea obſcuro in loco, videbaturque quotidiè ab externis Nationibus non omninò ſine Chriſtianæ pietatis detrimento. A ſacris enim Altaribus in ſui admirationem omnium

Anton. Pigafetta tractat. de Obeliſc. impreſs. ann. 1586.

oculos

oculos convertebat, quorum etiam plerique Cæſaris cineres venerabantur, quos in ſphæra illa inaurata Obeliſco impoſita incluſos eſſe, ſed falsò, ut diximus, ex vulgi opinione ſibi perſuaſerant. Quamobrem, ne diutiùs cum tanto nominis Chriſtiani dedecore, tàm antiquum antiquæ impietatis, & flagitiorum monumentum ſupereſſet, atque, ut animos Hominum potiùs ad verum Dei cultum induceret Sixtus V. à ſua ſede evellendum exiſtimavit, & impoſita illi Cruce in celebri loco ſtatuendum. Ab hac adeò laudabili cogitatione nullæ difficultates, neque rei Nummariæ, quæ exhauſto penitùs Aerario, ſummæ erant, neque magna Annonæ penuria, qua vehementer laborabatur, deterrere Sixtum potuerunt, quo minùs opus tàm laborioſum, & à nullis anteà tentatum, aggrederetur. Vulgò non deerant, qui illum reprehenderent, Veſpaſiani auctoritate muniti, qui Artifici cuidam pollicenti ſe in Capitolium magnas quaſdam Columnas exigua impenſa perducturum, reſpondit, velle ſe plebeculam paſcere. Optimè ille quidem, ſi ut Obeliſcum transferret, in paſcenda plebe, Eum ſeſe, quem eſſe oportebat, non præſtitiſſet. Nemo enim fuit, qui negaret Sixtum in ullo defuiſſe, undè quiſquam ſe copiosè aleret, nec à reliquis operibus ceſſatum fuit, in quibus plurimorum inopia quotidiano victu ſubſtentabatur ingenti vi pecuniarum, quàm amantiſſimus Pater erogabat.

Duas igitur partes incredibili ſapientia in opere adeò inſigni excitando implevit Sixtus, quarum altera eſt, ut uno, eodemque tempore beneficentiſſimum Patrem, & Summum Principem ſe oſtenderet; altera ut Crucem ejus apici imponendo Religioſiſſimi Sacerdotis, & Pontificis Maximi perſonam gereret. In quibus quidem omnium bonorum conſenſu tantus extitit, quantus ne deſiderari quidem à quoquam potuit.

Pietatem Sixti celebrat Coſmus Gozus in ſuo Dialogo Romæ impreſſo anno 1586. affirmans ſapientiſſimum Pontificem ſignificaſſe in quadrangulo Obeliſci lapide Eccleſiæ Fundamentum, in Leonibus ejuſdem, firmitatem, quatuor Montibus, quibus incumbit totidem Mundi partes illi ſubjectas. In Cruce verò impoſita Redemptorem omnibus dominantem; in Stella Cruci ſubjecta Virginem Deiparam, per quàm Orbi toti Divina gratia perfunditur. Apud Martinell. pag. 15.

Itaque animum ad exornandam Urbem, & ad pietatem in Hominum mentibus imprimendam, cum ſe totum adjeciſſet Pontifex, ejus juſſu quamplurimi ſua mente agitarunt, qua ratione, quibuſve machinis tàm immanis moles è ſede, in qua erat, integra evelleretur, & in Area Vaticana ſtatuerent. Joannes Petrus Bellori in vita Dominici Fontanæ aſſerit ejus generis peritos Architectos Quingentos Romæ conveniſſe, quorum ſinguli ſuas ideas obtulerunt ad tantam Molem amovendam. Extat Opuſculum Romæ impreſſum anno 1583. in quo Camillus Agrippa Mediolanenſis methodum expoſuit transferendi Obeliſcum ab antiquo ad novum locum, & quidem ſtantem, abſqueeoquod humo primùm proſterneret: additque à multis diverſas excogitatas fuiſſe. Aliqui enim eam facilè aſportandam opinabantur Vectis beneficio, alii validis Helicum viribus, aliqui denique Rotæ denticulatæ auxilio, qua paulatim ad terram deprimi poſſet, iterùmque extolli. Inter hæc Pontifici operam ſuam obtulit Bartholomæus Ammanatus Pag. 145.

natus Architectus Romam miſſus à Magno Ethruriæ Duce, qui tamen integrum anni ſpatium ſibi concedi rogabat, ut operi perficiendo maturè ſtuderet; Dominicus etiam Fontana ligneam machinam Pontificiis oculis ſubjecit, in qua beneficio Trochlearum parvus Obeliſcus è plumbo conflatus pari facilitate deprimi, ac elevari poterat. Eodemque artificio fragmenta Obeliſci ex Mauſoleo Auguſti dimovit, aliòque tranſtulit, ut omnibus excogitatam à ſe methodum futuri operis comprobaret.

Hìc antequàm adeò arduum opus aggrederetur, multa mente agitavit ad optatum finem conſequendum, ſingulari primùm exploravit induſtriâ, quantum ponderis munita Spartis, & Trochleis unica Ergata circumacta quadrigæ viribus movere poſſet, comperitque, vicena circiter ponderis millia quamlibet attrahere. Quamobrem quadraginta Ergatas præparavit efferendis octocentenis millibus librarum, quas ineſſe in lapide Obeliſci deprehenderat. Inſuper binos Vectes ad reliquum onus decies centenarum & quadraginta trium millium, quingentarum triginta & ſeptem librarum, quas dabant munimenta tùm ferrea, tum lignea Obeliſco addita.

Dominicus Fontana pag. 10.

Rejectis igitur cæterorum Artificum inventis, Dominici Fontanæ ideam probavit Sixtus, illamque, ut majori cautela exequi poſſet, eidem binos peritiſſimos Architectos præfecit, ſcilicèt Jacobum à Porta, & Bartholomæum Ammannatum, qui ſtatim loco deſignato, ubi Obeliſcus erigendus erat, in eo trabem excelſam collocari curarunt. Tulerat hoc ægrè Fontana, ſuique animi angores Pontifici expoſuit, ut dedecori conſuleret, quòd ſibi imminere arbitrabatur; ajebat enim ſeſe facilè boni nominis jacturam facturum, ſi ideas à ſe excogitatas alii infeliciter exequuti fuiſſent, nec illis errores, ſi fortè accidiſſent, vulgus tribuiſſet, ſed Inventori. Qua ratione prudentiſſimus Pontifex permotus, ſoli Fontanæ totum opus perficiendum commiſit, quòd, ut impigrè exequeretur, cognita arenoſæ telluris inſtabilitate, ſupra quàm collocandus erat Obeliſcus, quadratum fundamentum ſexaginta palmorum quocunque in latere, & triginta trium extenſum in profunditate anno Sixti Pontificatus II. jecit ſupra ſolum, craſſioribus lignis, viginti quinque palmos ſua longitudine æquantibus, obfirmatum. In eo binas thecas è lapide Tyburtino reconditas fuiſſe narrat Platina, quarum ſingulæ duodecim continebant Numiſmata ænea omnia Sixti imaginem præſeferentia. Alia inſuper à variis adjuncta ex ære, ac argento, cum duobus aureis, quorum altera pars Pii V. effigiem oſtendebat, altera verò Juſtitiam cum Religione conjunctam. Addit Lætus, cæteroqui meritò damnatus Auctor, ſupra marmoreum ſolum, antequàm baſis collocaretur latinis characteribas exſculptum fuiſſe Nomen Pontificis, Architecti, Annus itidem, quo fabrica extruebatur, multoſque Proceres ex Medicea, Columnenſi, ac Urſinorum Familiis Numiſmata addidiſſe ex conſenſu Sixti, ejuſdem Pontificis imagine inſignita

In vita Sixti lib. 2. par. 2.

Hoc fundamento poſito copioſum inſtrumentorum apparatum fecere, quorum ope machina erat amovenda. Inter ea quadraginta quatuor craſſiores funes, quorum aliqui decempedas centum, ſeu palmos mille æquabant longitudine, aliqui verò ducentas. Opus deindè aggreditur Fontana, cujus ſeriem hìc addo iiſdem verbis exaratam, quibus legitur in Hiſpaniam

tunc

tunc temporis miſſa, & Romæ impreſſa anno 1586. in qua quidquid actum fuerit die 29. Aprilis 10. & 17. Septembris in tranſlatione Obeliſci accuratè ſic explicatur:

[Vigeſima nona Aprilis ſub ipſa luce opus incæptum eſt. Erat Obeliſcus validiſſimis octo columnis ligneis per latera circumvallatus, quæ concatenatæ, atque aliis ſuccreſcentibus, & connexis ipſum apicem ad ſex palmos præcellebant, craſſitiemque explebant palmorum quatuor cum dimidio, altitudinem verò centum viginti trium. Præfatis octo columnis totidem faſtigia ſuperimpoſita, à quibus perpetuæ intrà, extràque ſuccedentes fulcturæ ſtatuta Tigna ſubſtentabant; ſic enim ruinæ, & inflexionibus proſpectum. Tota verò ipſa machina fortiſſimis laminis, ferreiſque clavis à vertice ad calcem religata plurimis & retinaculis, & ductoriis funibus (hos Cannabos vocant) undequaque ſuffulta. Itaque quadraginta primùm Trochleæ à totidem movendæ Ergatis, validiſſimis trabibus, quæ Faſtigiis inerant appenſæ horum ſingulis Homines quindecim, Equi duo deſtinati, qui ad nutum Præfecti (quando unicuique Ergato unus præerat) præſto eſſent. Præfecti verò ipſi id acceperant, ut cum Tubæ ſonitus ſignum daret, moverent, cum verò campanulæ, ſiſterent. Nec aliter his, qui vectibus quinque aderant, injunctum eſt, porrò illæ ſeptuaginta palmorum longitudine ex fortiſſimis trabibus compactæ erant, treſque ab Obeliſci fronte, duo à tergo conſpiciebantur. Primo impetu ferrea quædam lamina, quæ machinam, molem ipſam ambientem religabat, diſrupta eſt, qua tamen unius horæ ſpatio accommodata, decem demùm impulſibus, duos palmos ac dimidium in altum Obeliſcus elevatur; ne tamen tanta pendente mole ſiniſtrum quid accideret, cunei ſtatim, ac Tignorum cæſuræ, quibus obniteretur, ſuppoſitæ, tùm deindè aſſeribus, ac cylindris cubi quidam, ac teſſeræ, quibus inſidebat, dimotæ, & quoddam curriculi genus ſuppoſitum, quòd Italis *Straſcino* appellatur. Ergata deindè, trabes, & canabi, cæteræque operæ mutatæ, & in diverſam formam compoſitæ, dies nimirùm ſex iis impenſi, poſt quos, ideſt Maii ſeptima, ima pars Obeliſci quatuor Ergatorum vi, quæ à tergo movebantur, cæteris, quæ à fronte erant funes remittentibus trahi paulatim cœpit, ipſe verò opere clementiſſimè currebat; dùm ut anteà ad Tubæ ſonitum poſteriora Ergata laxis anterioribus impellebantur, ad campanulæ verò quieſcebant cuncta. Igitur duabus antè occaſum horis famoſiſſima Moles integra omninò, ac ſine ulla prorsùs jactura humi decubuit; eo die etſi minimè loco dimota, tamen viæ impedimenta, qua deducenda erat ſublata ſunt; in ſequentem autem lucem ab ipſo Obeliſco ad Aream, ubi nunc viſitur, tumulus aggeritur viginti duos palmos ea loci parte, qua prior ſtabat, in finem eminentiùs; ſurgebat enim ille paulatim, ità ut ab Area ad Obeliſcum in longitudinem 118. ejus menſuræ, quàm Italis ex decem palmis ad veteris Decempedæ ſimilitudinem conſtantem, Cannam vocant, declivi faſtigio decideret. Nè verò agger immenſa Mole fatiſceret, validiſſimis trabibus undequaque præmebatur, quæ loco catenarum limis, & tigillis connexæ erant. Hàc itaque Moles ſex Ergatorum vi trahi cœpta eſt (illa fuiſſe quatuor affirmat Bellorus in vita Dominici Fontanæ pag. 152.) Et quòd per id temporis in Bononia Pontifex cenaret (ea

eſt Regiæ pars, quà illac patet proſpectus) breviùs quidem, quàm credi poteſt, urgente Principis præſentiâ peracta eſt. Verùm cum eo tempore æſtivi Soles ſupramodum ſævirent, ceſſatum eſt dies aliquot, nè ſcilicèt cannabi, cæteraque linea nimio calore conflagrarent.

Itaque decima Septembris die Sancto Nicolao Tolentinati ſacra, quem ut ſingularem Patronum Sixtus venerabatur, prima lucis horâ erigi cœpit Obeliſcus, cujus jàm mucro ſubtus machinas jacebat: erant enim columnæ octo ſimili fabrica conſtructæ fulcimentis ſtabilitæ, concatenatæ, connexæ, ac priores illæ, quarum meminimus: illas tamen unum & quadraginta palmos pro loci eminentia ſuperabant: ſuper has faſtigia totidem; faſtigiis inerant trachleæ ab ergatis ſimiliter movendæ. Tota verò ipſa machina externo, internoque chomate muniebatur, externumque plurima tigna, & trabes undequaque ſuſtinebant. Ergata autem quadraginta ſex, Equi centum quadraginta, Homines ſexcenti (octingentos ſcribit Bellorus) quorum Ergatorum quatuor, ima Obeliſci partem trahentibus, reliqua à cuſpide ad medium religatum erigebant. Quid multa? eadem horâ vigeſima quarta quadraginta ſeptem Ergatorum niſibus, ſeu, ut refert Bellorus quinquaginta ac duobus, ſtetit Moles. Cujus rei ſigno accepto à Cuſtodibus Hadrianæ Molis, plauſum fecere æneorum tormentorum ſtrepitu, & ſuas feſtivas voces addiderunt Operarii omnes, qui Dominicum Fontanam ſupra humeros exceptum, nova triumphi pompâ Domum detulere, ſociantibus interim Tympanorum ſonitu, Tubarumque clangore, ut tanti Architecti peritia celebraretur.

Tùm deindè decimâ ſeptimâ Septembris teſſeræ, queis anteà nitebatur ſuppoſitæ ſunt, & ad perpendiculum collocatur. Tandem vigeſima ſexta ejuſdem menſis glorioſiſſimo triumpho delecta eſt. A Pontifice autem ad id muneris deſtinatus Ferrantinus Epiſcopus Amerinus, & Cancellariæ Apoſtolicæ Regens, ſolemne priùs in Divi Petri Templo Sacrificium fecit, indè ad Obeliſcum frequenti ſupplicatione peracta, multaque ſuper Sanctiſſimæ Crucis ſtatuam æream, ſed inauratam piè precatus, illam tradidit Diacono, ſacris adhùc veſtibus induto, à quo denique in mucrone collocata eſt, atque unà tunc cuncta tormentorum genera, quæ in Sancti Angeli Arce erant, aſſiduos dedere bombos. Itaque, quòd olim deſperatum planè opus judicatum eſt, id aurea Sixti V. Pontificis ætas perfecit, & abſolvit.

Res frequentiſſimo Theatro peracta eſt, atque ex vulgi more non ſine perpetuis acclamationibus. Sepſerat autem jàm pridem trabibus Architectus amplam areæ partem, ut ab opere multitudinem arceret, undè convicinas Domos Curiæ Proceres adimplebant, reliquum omne confertiſſima peditum, Equitum, Carpentorum turba occupabat. Et meritò plaudebant; nàm nil aliud Obeliſcus antè Petri Aedes à Sixto Petri Succeſſore collocatus, ſignificabat, niſi Circi tot ſæculis probroſum nomen, crudeliſſimique Tyranni memoriam uno die penitùs obliteratam, & ſuperſtitioſis cineribus diſiectis ſalutare vivificæ Crucis ſignum, glorioſè erectum, ac nobiliſſimum Religionis noſtræ trophæum clariſſimum de Paganiſmo triumphum æternum, veræ pietatis monumentum.

Huic

Huic narrationi libet aliam adnectere circa Crucem Obeliſco impoſitam, quàm Paulus Alaleonus Sacrarum Cæremoniarum Magiſter in ſuis Diariis Poſterorum memoriæ conſignavit, his verbis:

„ [Die 26. Septembris fuit collocata Crux in acumine Obeliſci ſuperioribus diebus erecti, benedicta ab Epiſcopo Amerino Canonico Sancti Petri, poſt Miſſam ſolemniter celebratam ſuper Altare Sanctiſs. Crucifixi in Templo Vaticano, & facta Proceſſione ad Altare erectum propè Obeliſcum, ubi erat Crux benedicenda, & Antiphona cantata in Proceſſione: *O Crucis victoria, & admirabile lignum, ſuper omnia ligna Cedrorum tu ſola excelſior, in qua Vita Mundi pependit, in qua Chriſtus triumphavit, & mors mortem ſuperavit in æternum*; cum aliis cæremoniis, &c. Diaconus, adjuvantibus aliis Clericis, & Artificibus ſuſtollit eam, & cum collocata fuerit in ſummitate Obeliſci, omnibus inferiùs genuflectentibus, tùm cantatur à Cantoribus: *O Crux ave ſpes unica in hoc ſalutis tempore, piis adauge gratiam, reiſque dele crimina*. Et dictis aliis precibus, ſublata fuit Crux cum argano, quàm unus ex Artificibus ligatus cum canopo tenebat, indutus ſacco rubro, Diaconus verò aſcendit ſuperiùs, &c.]

In hac ſacra ſupplicatione refert Torrigius interfuiſſe viginti Baſilicæ MS. Canonicos, 28. Beneficiatos, 18. Clericos pariter Beneficiatos, 4. Manſionarios, 18. Muſicos, 6. Sacerdotes Cappellanos, 2. Cæroferarios, Vexillum cum Campanula, 2. Præſules, quorum alter Patriarcha erat Conſtantinopolitanus. Ad apicem Obeliſci aſcenderunt Vincentius Bolognettus Beneficiatus, Matthæus Argentus Clericus Beneficiatus, & Petrus Ugonuccius Sacriſta.

Narratione Alaleonis reſcripta, aliam luculentiorem inveni exaratam in lamina, in qua Obeliſci imaginem incidit eo tempore Joannes Guerra, & publica luce donavit. Illam hùc affero ex Italico idiomate tranſlatam:

Hora decima quinta die 26. Septembris, poſt Sacra ſolemni ritu peracta, Epiſcopus Ferrantinus Pluviali indutus rubro, ad Obeliſcum cum Clero iter fecit, ſacra interim Preces canente: *O CRUCIS Victoria*. Pſalmos: *Quare fremuerunt Gentes. Domine quid multiplicati. Cantate Domino canticum novum. Dominus regnavit; & Cantate Domino*. Quibus abſolutis, Epiſcopus primùm manu in formam crucis extenſa Obeliſco benedixit, concinente Clero Antiphonam: *Signum Salutis*; & Pſalmum: *Exurgat Deus*; poſtquàm Mitra decoratus Sacer Antiſtes ait: *Exorcizo Te, &c.* Deindè Mitrâ depoſita: *Domine exaudi orationem meam. Dominus vobiſcum.* Oremus: *Domine JESU Chriſte, &c.* Poſt orationem luſtrali aqua ter aſperſit Obeliſcum, ejuſque quatuor facies ter cultro ſignavit. Quibus peractis tradidit Diacono Crucem Obeliſco imponendam, quàm funium beneficio ad apicem elatam, illique inſertam, cantante interim Muſicorum Choro Hymnum: *Vexilla Regis prodeunt, &c.* Adſtantes in Foro ſunt venerati, & ſacrum Pontificis Diploma à Diacono lectum audierunt, ac plaudentibus æneis tormentis in Arce Hadriani ſacram actionem Cantico *Te Deum* abſolverunt.

Ut verò magis ad Crucis cultum Populos excitaret Sixtus, alio Diplomate prima die Decembris ejuſdem anni 1587. emanato, decem annos Indulgentiæ conceſſit omnibus, qui per Forum Divi Petri tranſeuntes Orationem Dominicam, & Angelicam Salutationem ſemèl dicerent. Illud ex Archivo Vaticano acceptum die 18. Julii anno 1624. Refert Torrigius, ut ſequitur:

De Crypt. Vatic. pag. 247.

„ Motu proprio, &c.

„ Ad augendam Fidelium Religionem, & Animarum ſalutem, ac ut
„ Crux Obeliſco in Area Vaticana (Nobis imperantibus) erecto impoſita,
„ ab cunctis Chriſti-fidelibus jugiter veneretur, omnibus, & ſingulis utriuſ-
„ que ſexus, Chriſti-fidelibus ex nunc, deinceps in perpetuum per dictam
„ Plateam quaqua verſum die, nocteque, ac ultrò, citròque tranſeuntibus,
„ dictam Crucem (ſemèl Orationem Dominicam, ac Salutationem Ange-
„ licam recitando) adorantibus, ac pro fœlici ſtatu Sixti V. & Romanis
„ Pontificibus pro tempore exiſtentibus Deum devotè orantibus, toties
„ quoties id fecerint, decem annos, ac totidem quadragenas de injunctis
„ eis, aut aliàs quomodolibet debitis pœnitentiis Apoſtolica auctoritate
„ perpetuò miſericorditer in Domino relaxamus, non obſtantibus Conſti-
„ tutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, cæteriſque contrariis, ſeu
„ clauſulis opportunis.

„ Fiat motu proprio F.

(*Felix vocabatur Sixtus V.*)

Crucem hanc æream, in qua particula veræ Crucis recondita fuit, ſimùl cum Montibus æneis illi ſubjectis efformarunt Horatius Cenſor, & Dominicus Ferrerius. Leones pariter Obeliſco ſtante ſubpoſitis ex delineamentis Proſperi Brixiani Sculptoris, quibus gentilitium Pontificis Stemma Architectus expreſſit.

Balleonus pag. 43.

Totam Molem inſignivit Sixtus inſcriptionibus in baſi exſculptis, & à ſe ipſo compoſitis, quarum ea, quæ Meridiem reſpicit hæc eſt:

SIXTUS V. PONT. MAX.
OBELISCUM VATICANUM
DIIS GENTIUM
IMPIO CULTU DICATUM,
AD APOSTOLORUM LIMINA
OPEROSO LABORE TRANSTULIT,
ANNO MDLXXXVI.
PONTIFIC. II.

In

In parte Occidentali:

CHRISTUS VINCIT,
CHRISTUS REGNAT,
CHRISTUS IMPERAT,
CHRISTUS AB OMNI MALO
PLEBEM SUAM DEFENDAT.

In parte Orientali:

ECCE CRUCEM DOMINI,
FUGITE PARTES ADVERSAE
VICIT LEO DE TRIBU JUDA.

Septentrionem verſus:

SIXTUS V. PONT. MAX.
CRUCI INVICTAE
OBELISCUM VATICANUM
AB IMPURA SUPERSTITIONE
EXPIATUM, JUSTIUS,
ET FELICIUS CONSECRAVIT
ANNO MDLXXXVI. PONTIF. II.

Sub hac Inſcriptione aliam addidit, quà Architecti Nomen immortalitati dicaretur, his verbis:

DOMINICUS FONTANA EX PAGO MILIAGRI
NOVOCOMENSIS TRANSTULIT,
ET EREXIT.

In ſummitate demùm Obeliſci Baſilicæ fronti reſpiciente:

SANCTISSIMAE CRUCI
SIXTUS V. PONT. MAX.
CONSECRAVIT.
E PRIORE SEDE AVULSUM,
ET CAESS. AUGG. AC TYB.
I. L. ABLATUM MDLXXXVI.

Quæ omnia ab ipſo lapide loquente enunciari bellè finxit Fulvius Cardolus hoc Diſtico: Ciaccon. pag. 116.

Aegyptus Soli, binis me Roma dicavit
Auguſtis, ſacras Tu piè Sixte CRUCI.

Re

Re demùm peracta ob fœlicem laboris exitum Summus Pontifex lætus regiis muneribus munificentiſſimè Fontanam ditavit. Collo enim ejus torquem aureum juſſit imponi ab Eminentiſſimo Cardinali Azzolino, cui addidit quinquies mille aureos nummos, penſionem annuam duorum millium nummorum itidem aureorum, fructuſque decem millium aureorum, quos decem Milites Lauretani ſingulis annis percepturi erant. Trabes inſuper omnes, funes, ferrum, ac inſtrumenta omnia, quibus in glorioſo opere uſus ille fuerat, quorum valor viginti millia nummorum æquabat. Quæ munera Pontificiæ liberalitatis, ac generoſi animi Sixti V. argumenta toti terrarum Orbi luculenter ſuppeditarunt.

Bellorus in vita pag. 155.

Ut verò noſtra de Obeliſco Vaticano perficiatur enarratio, ejus menſuræ ſuperſunt indicandæ, ac lapidis pondus, è quibus certè Pontificis magnificentia, & Architecti virtus clariùs eluceſcunt. Eas tamen diverſimodè enunciatas ab Auctoribus invenio. Aliquas indicavit Camillus Agrippa Architectus Mediolanenſis in ſuo Opuſculo, in quo methodum propoſuit transferendi Obeliſcum. Alias Philippus Pigafetta, diverſas Eques Carolus Fontana, diverſas etiam Hieronymus Catena in Icone ejuſdem Obeliſci, quàm Sixto V. regnanti obtulit anno 1587. quas idcircò mihi ſuadeo accuratiſſimè deſumptas fuiſſe ex calculis ipſiuſmet Dominici Fontanæ Architecti; eas omnes, ut clariùs Lectori enarrentur, in ſequenti Tabula 75. expreſſimus.

Fig. 75.


Sed magis inter ſe diſcrepant ſupradicti Auctores in calculo ponderis ejuſdem Obeliſci, quòd, antequàm opus aggrederetur Fontana, neceſsè fuit inveſtigare, ne Ergatarum vires in attrahendo deficerent. Antequàm ſingulorum ſupputationem ſubiiciam, ſciendum eſt, ſingulis palmis cubicis non idem pondus librarum ab eis tribui, undè fortaſsè calculi diverſitas emanavit. Quidam enim illorum concedunt palmis ſingulis libras octoginta ſex, alii majorem, alii verò minorem quantitatem. Eques autem Dominicus Fontana octoginta ſex palmos tribuit, aſſeritque ſe hunc numerum ab experientia edoctum. Omnes tamen conveniunt in aſſignandis palmis cubicis 30. quibuſlibet Carris, quæ menſura eſt Romana antiqua lapidum. Utcunque hæc ſe habeant, eas referam ex illorum paginis fideliter acceptas.

Et primùm de ipſo ſolo Obeliſco ſine baſi loquentes:

Henricus Salmuth Agrippa	affirmat	datis ſingulis palmis	ponderare
palm. cub.	11114.	lib. 100.	1180. 000.
Mercatus	11544.	86.	956. 148.
Philippus Pigafetta	11114.	87.	966. 918.
Hieronymus Catena	11544.	86.	992. 787.
Dominicus Fontana	11544.	86.	993. 537.

Addit Pigafetta pondus, quòd habebant vectes, repagula, cingula herpagines ferreæ, quibus oportuit tantam molem lapideam cingi, ut poſſet faciliùs moveri, quæ omnia libras æquabant 1042. 824. ut ſupputat Georgius Draudius in adnotationibus ad Salini memorabilia par. 1. fol. 13.

hoc


OBELISCVS
A SIXTO V. IN FORO
VATICANO ERECTVS
CVM EIVS
ICHNOGRAPHIA
ET
MENSVRIS
Occidens
Oriens
Meridies
Boreas
Catena
Fontana
Agrippa
A
B
B
Catena
Agrippa
Pigafetta
Fontana
1. Solea 2a.
2. Basis
3. Stylobata
4. Coronelypsis
5. Basis prima
6. Obelyscus
Auctor del. et sculp.

hoc eſt decies centena millia, quadraginta duo millia, octingentas & viginti quatuor libras.

Pigafetta verò ut ſequitur:

Repagula ſtraminea num. 140. libras	3780.
Lignea ex ulmo	21640.
Cingula ferrea	44160.
Triginta duæ Trachleæ	6400.
Quarum ſumma complet libras	75980.

Adeòque totus Obeliſcus ſic munitus æquabat ſuo pondere lib. 1042.428. hoc eſt decies centena millia, quadraginta duo millia, quadringentas & viginti quatuor.

Huic ponderi aliarum partium pondera ſubiicit Pigafetta, videlicèt:

Stylobatarum palm. cub.	2091.	lib. 179826.
Baſis	1288.	110768.
Soleæ è lapide Numidico	785.	67510.
Soleæ è marmore Pario	155.$\frac{1}{2}$	93120.
Qui palmi ſimul uniti ſunt	4319.	libræ 451224.

Quòd ſi hæc ſumma alteri ſuperiori addatur habebuntur lib. 1493.652. hoc eſt decies centena millia, quadringentæ nonaginta tria millia, ſexcentæ & quinquaginta duæ.

In hujus magni ponderis demiſſione, tranſlatione, & erectione Dominico Fontana dirigente, octingenti Viri inſudarunt, inter quos Anteſignanus fuit quidam Matthæus Typhernates, ac centum ſexaginta Equi, Ergata quadraginta circumagentes, præter alios quadringentos Operarios, diverſis actionibus addictos, & facto calculo ſumptuum impenſorum, inventum eſt eos aſcendiſſe ad ſummam triginta ſeptem millium nongentorum ſeptuaginta quinque ſcutorum, excepto ære Crucis, ejuſque ornamentorum, atque Leonum, quòd Reverendæ Cameræ Apoſtolicæ erat. In perficiendo autem toto opere annus integer conſumptus eſt, quo quidem Sixti V. Religio, ac magnanimitas ſemper commendabitur, quòd immanem ſolidi ſaxi molem fœlici molimine in obſequium Sanctiſſimæ Crucis conſtituerit. Vigebit ſemper apud Poſteros operis adeò excelſi memoria, quòd non paginæ tantùm, ſed ſaxa, atque ærea Numiſmata conteſtantur. Duo in noſtra Tabula expreſſimus, ipſo Sixto regnante in lucem edita. Eorum alterum Obeliſcum repræſentat cum lemmate:

Mutius Panſa de Bibl. Vatic. pag. 120.

SACRA PROPHANIS PRAEFERENDA.

Quo

Quo declaratur jure Auguſti memoriam deletam fuiſſe translatione ejus ſaxi in Aream Vaticanam, illudque meritò in obſequium Crucis Dominicæ conſecratum.

Alterum eundem Obeliſcum exprimit adjectis verbis:

CAESARIS OBELISCUM MIRAE MAGNITUDINIS
ASPORTAVIT SIXTUS,
ATQUE IN FORO DIVI PETRI
FOELICITER EREXIT
ANNO DOMINI MDLXXXVI.

In utroque autem Sixti V. extabat Imago. Atque hæc de Vaticano Obeliſco dixiſſe ſufficiat.

CAPUT XXXIV.

De parte Baſilicæ exteriori, & minoribus Tholis.

AD Templum oculos iterùm convertamus, ut aliqua perluſtremus in parte exteriori, quorum nullam adhùc mentionem fecimus. Fig. 76. Tabulam primùm adeamus 76. in qua externum ejuſdem latus ortographicè delineatum exprimitur, & in eo partes omnes ornatus, è Tyburtino lapide parietibus adjuncti, quæ faciliùs poſſunt oculis recognoſci, quàm calamo explicari. Ordine Corinthio undequaque ille abſolvitur, atque Hemicyclis, Balauſtris, Acroteriis, Semicorollis, Floribus, & Fructibus, contextis Eccleſiæ Inſignibus, Epiſtyliis, Triglyphis, Acanthis, & id genus aliis rebus diſtinctus; quæ omninò tantam afferunt elegantiam, quanta vix umquam verbis exprimi poſſet; ſed ut clariùs ſingulæ Fig. 77. partes deprehendantur aliam Tabulam 77. adjecimus, quæ portionem lateris in majori proportione delineatam exhibet, appictis characteribus, ac numeris, quibus pars quælibet, ejuſque menſuræ indicantur, quas ex accuratis Equitis Caroli Fontanæ dimenſionibus accepimus.

Itaque:

A. Primam Soleam deſignat.
B. Eſt Baſis major Templi.
C. Baſis, è qua ſurgunt Stylobata majora.
D. Stylobatæ.
E. Capita Corinthiis regulis efformata.
F. Epiſtylium.
G. Zophorus.
H. Coronix.
I. Stylobatæ minores ſecundi ordinis, quem dicunt Atticum.
L. Loculamentum majus exornatum.

M. Fene-


TABVLA 76.

ORTHOGRAPHIA LATERIS EXTERNI
BASILICÆ VATICANÆ




Hieronymus Frezza incid.

PARS LATERIS EXTERIORIS BASILICÆ CVM ORNATV EIVSQVE MENSVRIS



Hieronymus Frezza incidit

IMAGO DVPLICIS THOLI CVI BASILICÆ SACELLA IN NAVIBVS MINORIBVS SVBIACENT



Hieronymus Frezza incidit

M. Feneſtra major itidem exornata.
N. Feneſtra minor.
O. & P. Loculamenta pro Statuis.
Q. Feneſtra, per quàm lumen in Templum ingreditur.
R. Alia feneſtra minor.
S. Aliud loculamentum ornatum.

Ubi autem paries his ornamentis ditatus abſolvitur emicant in hac parte Meridionali in Tabula expreſſa quinque minores Tholi, totidemque in oppoſita Boreali, non quidem ut modò extant, ſed ut futuri ſunt, juxtà Bonarotæ, & Maderni delineationem. Impoſuerat enim ille quatuor Angulis Baſilicæ majoribus Tholos rotundo fornice abſolutos, hìc autem alios ſex in ovalem figuram arcuatos extruxit in Sacellis adjunctis; verùm omnes illi, ſub majoribus Templi fornicibus deliteſcunt, præter duos imminentes Sacellis Gregoriano, & Clementino, ſupra quos alios Tholos extruxere, non tantùm ad Baſilicæ ornatum, ſed ad arcendos imbres, quorum ſtillicidia maximum afferebant Fabricæ nocumentum. Eorum Iconem in appicta Tabula 78. exponimus, in qua Tholi teſtudo conſpicitur duplici muro conflata, eſtque interior ſphericè rotundatus, exterior in octangularem figuram inflexus. Hunc juxtà octo latera, in quæ dividitur, octo fulcimenta ſubſtentant Columnis, Baſi, & Capitulo Corinthiis exornata, & Epiſtylio, Zophoro, & Coronice Jonicis. Eidem Laterna quoque imponitur, quæ Jacobi Barotii, à quo fuit delineata, peritiam commendat. *Fig.* 78.

Menſuras utriuſque Tholi ſic refert Eques Carolus Fontana [In Tholo inferiori Tympani laxamentum eſt palm. 68. Altitudo à ſtylobatæ ad ſummam Coronicem palm. 34. Stylobata Coronæ impoſita ad palmos aſſurgit 6. $\frac{2}{3}$. A Stylobatis Plano ad ſummum hyatum Tholi palmos 33. $\frac{1}{3}$. A ſumma arcuum Corona ad hyatum Tholi eumdem pal. 74. Feneſtræ latæ palm. 6. altæ 12. Epiſtylium, Zophorus, & Coronix quartam inter quintamque partem ſpatii à Paraſtade, Baſi, & Capitulo occupati ſibi uſurpant]. Lib. 5. c. 22. & 23.

Superioris verò Tholi menſuræ ex Iconiſmi numeribus, & ſcala palmorum addita facilè deprehendentur.

Hæc ea eſt Sacra Vaticani Baſilica Apoſtolorum Principi erecta, & plurimorum poſt Conſtantinum Imperatorem Pontificum ſtudiis ducentorum ferè annorum ſpatio, ac ingentibus nummorum expenſis condecorata. De ea ſcribens Eques Carolus Fontana, poſt recenſitos quamplures Auctores, qui Templa quædam veluti portenta Antiquorum celebrarunt, inter quos Hærodotum, qui pleriſque Aſiæ Fanis ampla tribuit encomia, illa minora eſſe ait, quàm Vaticani, & Salomonis Templa promerentur. Hanc opinionem jàm pridem ab aliis Auctoribus conceptam evincere conatus eſt inſignis Poeta Hieronymus Prætus in epiſtola, quàm ſuis Carminibus præmiſit, in qua Vaticanam Baſilicam à quamplurimis molibus Antiquorum longè ſuperari affirmat, ſive ejuſdem amplitudo, ſive expenſæ, ſive ornatus, ſive Architecturæ delineamenta perpendantur. Sed apage adeò odioſam comparationem. Vaticanam enim Baſilicam, Ethnicorum fabricis poſthabitis, Lib. 6. cap. 4

habitis, admirabundus ſemper venerabitur Fidelium Cœtus, vel unicum ob titulum, quem fronte præfert, Sacro Cælorum Clavigero dicatam. Cæterùm quis univerſa ad eam Baſilicam ſpectantia ſuis paginis comprehendere, ſeu calamo poſſet enunciare? quo labore metiri, conferre inter ſeſe magnitudinem, ſitum, ordinem, formam, elegantiam partium, ac totius Templi artem demirari? Impoſſibile etiam dictu eſt, quàm magna argenti, aurique vis in ea conſtruenda fuerit erogata, quàm magna itidem erogabitur, in ea perficienda. Sudant quotidiè Artifices quamplurimi, ut omnibus ejus partibus ultimam manum imponant; tanta enim Molis eſt amplitudo, ut ipſi tempori dies videantur deeſſe, quibus omnia quacunque ex parte abſoluta dicantur. Expectat adhùc aliam Summorum Pontificum Seriem, quorum eximia pietas ingentes theſauros tribuat in Beati Petri obſequium, quibus tandem hanc Vaticanam Baſilicam cæterarum proculdubio Principem, omni decore exornatam Poſteritas demiretur.

Demiramur utique nos, inexplicabiles pecuniæ ſummas, quas in tantæ molis extructione abſumptas fuiſſe ſcimus. Narrat Torrigius expenſarum ſummam anno 1506. uſque ad annum 1620. relatam Paulo V. à Carolo Maderno, qui illas exacto calculo numeravit fuiſſe quadragies centena millia, ac quinquaginta millia nummorum. Eques verò Carolus Fontana poſt adnumeratos centum & undecim milliones, præter centum & viginti duo palmorum cubicorum millia, qui continentur in muris Baſilicæ, Fundamentis, Porticibus, Ambulacris, ſubterraneis Colluviariis, Plateis, atque totius ædificii ſubſtructionibus, eorum pretium affirmat adæquare ſex & tricenos milliones ſupra centum & quatuordecim millia & ſexcentos quinquaginta nummorum Romanorum. His adde pretium Globi ænei, qui Tholo imminet, ferri, ac plumbi copiam, qua Tholus ipſe munitur, muſivorum ornamenta, aurum, quo fornices decorantur, tecta, marmorata, alia decem minora hemiſphæria, marmorea ſymulacra, Altarium ornatum, eorumque picturas, Pavimentum diverſis lapidibus variegatum, Columnas æreas cum magna ænea umbella, Divi Petri Sepulchro impoſita, Cathedram, ejuſque æreum auro micantem ornatum, Sepulchra Summorum Pontificum, feneſtras vitreas, ferreas crates, æneas Fores, Fontes, Obeliſcum, Columnas, quorum omnium pretium idem Eques Fontana affirmat ſe deprehendiſſe decies mille millium, cum 800. millibus & 532. nummos adæquare. Quamobrem Baſilicæ totius pretium implet ſummam 46. mille millia cum 800. millibus 498. nummorum, relictis aliis expenſis factis in delineationibus, & ideis, in demolitione multarum partium jàm extructarum, ſacræque, ac pretioſæ ſupellectilis, quàm poſt Conſtantinum Carolus Magnus, plurimique Pontifices ad ſacra peragenda Myſteria, non ad opulentiæ oſtentationem, ſed in veræ pietatis argumentum, magnificè erogarunt. Quibus de cauſis fœlicem Vaticanum collem jure dixerimus, in quo tot ingentes, tantoſque theſauros in obſequium Principis Apoſtolorum Fideles omnes depoſuerunt. [Fœlicem inquàm, & beatum dixerimus Vaticanum Campum (loquar verbis piiſſimi Maffæi Veggii) quàm licèt ingens olim populorum turba Judæorum vanitati intenta frequentarit, nunc Sanctiſſimo unius Apoſtoli Petri nomine

Cap. 12. MS. de prærogativ. Baſil.

Lib. 6. c. 2.

Pag. 434.

„ mine excitata; ex omni Terrarum Orbe confluens longè ingentior quo-
„ tidiè multitudo inviſat, omnis ætatis, omnis ſexus, tenuis ſimùl, & præ-
„ potens non ad explendas, quòd illi factitabant, ebrias ſuas, & pudendas
„ voluptates, ſed ad ſanandas cupiditates, & promerendas cæleſtium bo-
„ norum promiſſas retributiones. Fœlicem non falsò eum iterùm, & bea-
„ tum dixerimus, quem etſi Romani olim Imperatores tanto ſtudio, &
„ amore coluerint, dùm effrenes tantùm ſuas libidines exſatiarent; nunc
„ Romani Sacratiſſimi Pontifices multò illis & dignitate, & auctoritate, &
„ majeſtate ſuperiores meliùs colunt, totum Orbem ſua ſumma Pontificia
„ poteſtate moderantes, & Apoſtoli Petri, cujus Sedi ſucceſſerunt meritis
„ innitentes, omnibus leges, & jura dent gentibus, dirigant vitam, com-
„ ponant mores & ſtudia, quibus omnes pareant Magiſtratus, obſequan-
„ tur Principes, inclinent ſe Reges, & colla ſubmittant.

CAPUT XXXV.

De Porta Palatii Vaticani à Paulo V. & Scalis Regiis ab Alexandro VII. extructis.

BASILICA ritè perluſtrata, ac totius ambitus exterioris ornatu à parte Meridiana ad Septentrionalem progredientibus, Palatii Vaticani Porta nobis patet conſideranda, quàm Paulus V. duplici in Numiſmate expreſſit, adjecto lemmate:

PALATII VATICANI PORTA RESTITUTA.

Ad cuius explicationem pauca ſubiiciam.

Steterat jàm Palatii Pontificii Janua, quàm extruxerat Paulus II. & Innocentius VIII. refecerat, propè Porticum ab Alexandro VI. abſolutam, quàm expreſſimus in noſtra Tabula 61. ex Vaticana Bibliotheca acceptam, quàm etiam indicavit Martinus Ferraboſco in Tabula VI. ſub littera KK. Cum autem Paulus V. novum Baſilicæ additamentum, illique proximam Porticum excitare decreviſſet, eam Palatii partem opus fuit evertere, ubi aderat Janua, ideòque novam excitari à Maderno imperavit, & quidem in auguſtiorem ſpeciem delineatam, ut appoſita ibi inſcriptio teſtabatur, ſcilicèt: Coſtagutus pag. 12.

PAULUS V.
PALATII ANTERIOREM PORTAM HORARIAM TURRES PRIMAE CUSTODIAE STATIONEM, ET ARMAMENTARIUM, QUOD NOVAE BASILICAE AEDIFICATIONE DIRUTA ERANT, EXTRUXIT, ANNO SALUTIS MDCVIII. PONTIF. III.

Fig. 79. & 80. Binas ejus ideas Pontifici obtulit Architectus, quas in ſua Tabula XXX. Ferraboſcus expreſſit, noſque in Tab. 79. & 80. hìc appoſitis exponimus. Illis tamen rejectis tertiam conſtrui voluit eo modo, quo expreſſimus in Tabula 81. (*Fig.* 81.) à Martino itidem Ferraboſco delineatam. Ejus ornatum Joannes Vanſantius Flander compoſuit. (Balleonus pag. 176.) Aeneas fores formavit Horatius Cenſor Bononienſis. (Pag. 124.) Imagines Virginis Deiparæ, ac Sanctorum Apoſtolorum Petri, & Pauli delineavit Eques Joſeph Cæſari Arpinas, (Pag. 372.) muſivo deindè expreſſas. (Pag. 115.) Angelum inſignia Pontificia ſubſtentantem è marmore exſculpſit Nicolaus Corderius.

Imminebat Januæ Turris Campanaria cum Horologio, ad horas diei indicandas extructa, in qua Pontifex collocavit Aes Campanum, quod Caliſti III. (Oldoin. pag. 989.) juſſu ad uſum Horologii Vaticani fuſum fuerat anno 1455. juxtà antiquiſſimum morem indicandi horas beneficio Campanarum, quarum quidem uſum à quibus acceperit Eccleſia non unà eſt Auctorum inter ſe diſſidentium ſententia. Polydorus Virgilius (3. de rer. In. cap. 8.) omninò ſe ignorare fatetur, quiſnam Horologii inventor extiterit. Joannes Antonius Caſtillionæus ait (Antiq. Baſ. Vincentinæ faſc. 2. par. 1)
„ [Nonnulli cenſuere, primum omnium Auguſtum Romæ Campanam in
„ Turri Templo Jovis Tonantis finitima poſuiſſe, ſed contra horum ſen-
„ tentiam pugnant Neoterici omnes, qui Campanas è Turribus Horariis
„ pependiſſe teſtantur antè jacta Reipublicæ fundamenta, ſcilicèt Græco-
„ rum Inſtituto, apud quos multò antè fuerint in uſu Horologia Vitruvio
„ teſte lib. 9. cap. 9. quo in capite eorundem Inventores pariter recenſen-
„ tur. Vide Garzonum in Platea Univerſ. & Pancirolum fol. 744.

De hoc inſtrumento mentio eſt ab anno 730. apud Alcuinum de Off. Divin. cap. 17. & Martinus Polonus in ſuis ſupputationibus ad ann. Chriſti 604. ait, quòd Sabinianus Pontifex *conſtituit*, *ut horæ diei per Eccleſias pulſarentur*. Ad quæ meditatio fuit Platinæ hujuſmodi. Hoc fuiſſe inſtitutum ferunt, ut horæ in Eccleſiis diſtinguerentur Officii cauſa. Notat etiam Pater Oldoinus (To. 2. f. 422. litt. C.) in additione ad ejuſdem Sabiniani vitam. Tintinnabulorum grandiorum uſum, ſeu Eccleſiæ Nolanæ ritum ad Romanam transtuliſſe, ex qua ad reliquas tùm Occidentis, tùm Orientis Eccleſias permeaſſe fatetur ingenuè Volateranus lib. 20. Antropol. pag. 251. his verbis: *Horas diei ſono Tintinnabulorum diſtinxit*.

Sic Paulus V. ſuos Deceſſores imitatus, cum Vaticani Palatii Janua Horologium reſtituit, quo nempè diei, ac noctis horæ Urbis, & Eccleſiæ com-

TABVLA 39.

PORTA PALATII VATICANI A MARTINO FERRABOSCO DELINEATA




Alexander Specchi delin et Sculp.

TABVLA 80.


pag. 212. 2.

ALIA PALATII VATICANI PORTA AB EODEM FERRABOSCO DELINEATA



Alexander Specchi delin. et Sculp.

TABVLA 81.



PORTA PALATII VATICANI SVB PAVLO V EXTRVCTA

Alexander Specchi delin et Sculp.

commodo diſtinguerentur, ac excubiæ dirigerentur in Arce Hadriana parum diſtante, ubi (ſicuti & alibi in munitioribus Arcibus) major Campana pulſatur, ac Tintinnabula per muros diſpoſita ſuo ſtrepitu reſpondent, ab excubiis ſucceſſivè pulſata.

Portâ reſtitutâ, ut Vaticanum Palatium adiri à Romanis Pontificibus ex dignitate poſſet, & antiquis Scalis ſublatis, novas è Vaticanis Aedibus è Tyburtino lapide Paulus curavit, quæ ex Templi Porticu primùm aſſurgentes præclaram è marmore Statuam Sancti Petri ab eodem Pontifice erectam obviam habuerunt, indè bipartito excurrentes flexu, altera, quæ ad Orientem vergit in Vaticani Atrium, altera verò, quæ ad Occidentem in Regiam, quàm dicunt Aulam deferebat, quà verò flectebatur Pontificia ſpectabantur Inſignia cum hoc Elogio:

PAULUS V. PONT. MAX.
SCALAS,
QUAE E REGIONE SUNT GRADIBUS
AUXIT, ET ORNAVIT
ANNO MDCXV.
PONTIF. X.

Huic Vaticani Palatii Portæ in parte Boreali collocatæ aliam ſimilem in oppoſita Meridionali conſtruere Pontificis animo inerat, quæ ſcilicèt in aliud Palatium aditum præberet Canonicorum commodo excitandum, lateraque ſimilia hinc indè diſpoſita, cum Fontibus ſeſe mutuo reſpicientibus, quibus tùm Baſilicæ frontis tùm adjacentis Areæ magnificentia, ac decor magis augeretur. Sed Deo ſic diſponente mors Urbem Pontifice, & hoc novo ornamento Baſilicam orbavit.

Stetit Janua à Paulo V. reſtituta uſque ad tempora Alexandri VII. qui cum videret Regiam Scalam, per quàm ad Aulam dabatur aſcenſus peſſimè conſtitutam, & tanti Palatii dignitati parum conſonam, eam iterùm conſtruere decrevit. Erat enim in partes geminas diviſa, quarum una pluſquàm trecentis palmis protenſa, unico lumine ex ejus fronte irradiante, adeò erat obſcura, ut propterea Summi Pontifices, cum è Palatio in Templum Sella geſtatoria deveherentur, ac Purpuratorum Comitantium Cœtus tenebricoſum tranſitum exhorreſcerent.

Cùm itaque novæ Scalæ, ac ampliſſimæ Porticus conſtruendæ curam Bernino commiſiſſet Alexander, opus fuit Januam funditus evertere, ut novis ambulacris locum aptiorem concederet, & Palatio Pontificio auguſtiorem ingreſſum. Undè abundè conſtat, quàm immeritò Bernino gloriam detrahere conata fuerit quorumdam invidia. Licèt enim ille magnificam Palatii Januam ſolo æquarit, non tamen ullo deſpicientiæ, ſeu contemptus ſtimulo inductus (ut ajebant aliqui) verùm neceſſitate coactus, nobile alioqui Maderni monumentum evertit.

Si autem antiquæ Scalæ ſtatus à Paulo V. reſtitutæ cum novo tùm Scalarum, tùm ingreſſus à Bernino conſtructo conferatur, facilè quiſquis artis Architectonicæ, ac Simetriæ peritus deprehendet, quantas Berninus

laudes,

laudes, & gloriam ex earum fabrica ſibi demeruerit. Ipſe met Berninus non rarò fatebatur Amicis, quòd ſi unquam ex aliquo opere gloriam lucratus fuerat; ex hac certè Scalarum conſtructione, in qua tot difficillimas res generoſis auſis moliri non dubitaverat.

Obſtacula enim adeò ingentia ſeſe illi objecerunt, ut penè impoſſibile opus futurum deprehenderet; verumtamen, dùm ſimùl Pontificis non minùs, quàm ſuæ famæ periculum metuebat, nullis parcens laboribus omnia evincere ſolerti induſtria conatus, egregiam fabricam perenni gloriæ Alexandri VII. Pontificis, ac ſui nominis fœliciter excitavit. Validè primùm magnarum trabium fulcris Aulam Regiam, Sacellum Sixti, aliudque à Paulo, qui illud extruxerat, Paulinum dictum, parietibus antiquæ Scalæ ſuperimpoſita ſuffulcivit, & quidem adeò frequenti lignorum invicem colligatorum compage, ut denſam ſylvam efformarent, qua excelſæ molis pondus ſubſtineretur, ne veterum murorum ſubſtructione deficiente, tranſverſum unguem ab antiquo ſitu diſcederet. Sacellis itaque, ac Regiâ Aulâ hiſce fulturis ſubſtentatis, novos parietes extruxit Berninus, novoſque validiſſimos fornices, quibus impoſterum firmiter ſervarentur, & novæ Scalæ gradus commodiſſimos diſtribuit, quos è multiplici feneſtrarum apertione clariſſima luce illuſtravit. Sic veteris Scalæ horrorem ablegans, nobiliſſima addidit ornamenta columnarum è Tyburtino lapide hinc indè diſpoſitarum, roſarum in fornice, ac gentilitii Stemmatls Alexandri VII. quòd duplex Fama ſubſtentat, adjectis inſu per ſtellulis, encarpis, ac puellis, aliiſque plaſticis ornamentis, quibus intuentium oculi mirificè oble- Baldinucc. in vita pag. 34. ctantur. Quæ omnia, ut magis Pontifex condecoraret, marmoreum Symulacrum addidit Magni Conſtantini Equo inſidentis, quòd anteà Innocentius X. Bernino efformandum commiſerat, ut in Baſilica Vaticana immortale Fundatoris monumentum collocaret. Eminet illud ſupra marmoream Baſim, ſpeciem referens admirantis Crucem, quæ auro ſplendida in oppoſito rutilat arcu, ſub nobili ſipario, cujus lacinia eleganter criſpata Regium veluti Tentorium efformant. Quæ omnia clariùs innoteſcent in additis Tabulis, quarum prima num. 82. ſignata tranſverſam Scalarum continet deli- *Fig.* 82. & 83. neationem, ſecunda verò num. 83. ingreſſum oſtendit, quem juſſit exprimi Alexander in Numiſmate, addito lemmate:

REGIA AB AULA AD DOMUM DEI.


Deſinit enim Scala, ubi Porticus patet Baſilicæ, quæ Domus Dei à Divino Oraculo nuncupatur. Principium verò habet, ubi aditus reſeratur ad Aulam Regiam Palatii Pontificii, cujus vaſtitatem, excelſamque molem à pluribus Summis Pontificibus excitatam admiramur.

Fig. 84. In Tabula verò 84. Conſtantini Symulachrum Equo inſidentis repræſentatur, quòd peritiſſimo ſuo ſcalpro inſculpſit Arnoldus Van Weſterhout Antuerpienſis hujus ævi ea in arte celeberrimus.

Deficeret calamus, ſi ejus Palatii ſingulas partes deſcribere auderet, ſed de eo omninò ſilere probroſum eſſet ſcribenti de Vaticana Baſilica. Quamobrem Ichnographicas Tabulas hìc expoſui, quarum altera oſtendit

Imma-

TABVLA 82.



TRANSVERSA SCALARVM DELINEATIO CVM ICHNOGRAPHIA EARVNDEM

Auctor del. et sculp.

PROSPECTVS SCALÆ REGIÆ AB EQVITE BERNINO EXTRVCTÆ SVB ALEXANDRO VII.




Alexander Specchi delin. et Sculp.



CONSTANTINI MAGNI IMPERATORIS SIMVLACRVM AB EQ. BERNINO
EXCVLPTVM PROPE SCALAS PALATII VATICANI COLLOCATVM

Arnoldus V. Westerhout Incidit


ICHNOGRAPHIA
PALATII VATICANI
SVB SIXTO V.
DELINEATA
29
31
25
26
21
24
22
25
17

Immanium Vaticanarum ſubſtructionum, Hortorum, & Nemorum ædificia, prout tempore Gregorii XIII. extabant, illaque expreſſit anno 1574. Marius Kartarus; altera verò totam etiam Palatii aream indicat, à Martino Ferraboſco ſub Paulo V. delineatam, ut abſentium oculis ſubiicerentur, ac unico intuitu omnes ejus partes, prout tunc extabant recognoſci poſſent, brevi cum relatione eorum, quæ ad fabricam ſpectantia è monumentis licuit eruere. Sed antequàm illas indigitemus, Chronologicam ejuſdem fabricæ enarrationem præmittimus.

CAPUT XXXVI.

Palatii Vaticani Ichnographia, ejuſque Chronologica Deſcriptio.

VETUSTISSIMUM in Vaticano Romanorum Pontificum domicilium extitiſſe, plura quidem argumenta ſuadere videntur; & primò tot Divorum Corpora ab Anacleto condita, Populos omnes ad Sacrum Petri Limen evocantia, ſalutaris dein Arcana Myſterii, tùm diſpenſatio Verbi, Sacer demùm ipſe regenerationis Fons, quibus pii quoque illi Cœtus ſtatis temporibus in Vaticano celebrati, quibus tres & triginta Pontifices perpetua ſucceſſione præfuere. Tandem reſtinctis Tyrannorum odiis res Chriſtiana reſpirans, Conſtantino curante convaluit, & tanti Regis pietate trium ſæculorum laboribus Pontifices Regis æterni vices gerentes, regia dignitate fulſere, & Lateranas Fauſtæ Auguſtæ Domos tenuere, ex paupere tecto evecti, ut Generis Humani Rempublicam moderarentur. Referente Baronio his verbis [Pontifices, qui (Ad ann. 312. Conſt. 7.)
„ perſecutione urgente Domibus publicis ſpoliati, nec privatis uti tutò poterant, in Cryptis degentes, mox à Conſtantino Imperatore Regia publica Domo donati fuere, nequaquàm paſſo abſque publico ædificio veræ Religionis Pontifices Maximos Romæ agere. Quæ nàm autem fuerit Regia Domus à Conſtantino Melchiadi Romano Pontifici conceſſa anno ſui VII. non ex apocrypho teſtimonium petimus, ſed à certo, antiquo, dignoque Auctore accipimus, nempè ab Optato Milevitano contra Parmen. lib. 1. qui illud fuiſſe tradit in Domo Fauſtæ in Laterano; Domus enim Fauſtæ dicebantur Aedes Conſtantini Lateranenſes, &c.]

Neque tamen æſtimandum eſt apud Vaticanam Baſilicam, ad quàm de more ſacra operaturos Pontifices ſæpiùs oporteret accedere, cum incredibili ſumptu conderetur, & in ſolitudine procul ab Urbe conſiſteret, nullum hoſpitium, ſub quo Pontifices reficerentur, & quieſcerent, vel ab Auguſti liberalitate, vel ab ipſo Divo Silveſtro extructum fuiſſe. Dicitur ab Illuſtriſs. Ciampino [Conſtantinus à dextris extrà quadriporticum, & parietes Baſilicæ ad Auſtrum, Pontificum Romanorum commodo, ac majeſtati conſulens, magnæ molis Epiſcopium erexiſſe, quòd indè injuriâ temporum, & Hominum incuriâ penè collapſum in quorumdam Canonicorum (Cap. 4. de Sac. Ædific.)

„ nicorum Domus, nec non in Palatium Sancti Officii Sanctæ Inquiſitionis „ ceſſit, ſitum ejus oſtendit littera P. in Tabula 7. Alterum etiam Epiſco- „ pium à ſiniſtris ad Septentrionem dextera, è diametro oppoſitum etiam „ extruiſſe]. Floravantes tamen Martinellus, qui ſcripſerat anno 1655. in annotat. 6. ſuper Templo Sancti Nicolai affirmavit *nulla auctoritate confirmari poſſe Conſtantinum talia Epiſcopia extruxiſſe, verùm à Symmacho Summo Pontifice erecta*.

Pag. 140.

Utcumque hæc ſe habeant, quotquot poſteà in Aedibus Vaticanis Pontifices moram duxiſſe traduntur, non humiles in eo Sedes illos habuiſſe exiſtimandum eſt. Liberius memoratur non multò poſt Conſtantini deceſſum ad Divum Petrum ſæpè commoratus. Illi namque ex Urbe ſæpiùs ejecto, & ſæpiùs in Urbem revocato, Populos docenti perfugium in ſuburbanis Cœmeteriis extitiſſe traditur. Negandam autem aliquam Liberio Sedem haud opinor apud illam, quàm ſæpè frequentabat Baſilicam. A Liberio ad Symmachum uſque annos centenos, & ferè quinquagenos per Græciæ turbas, per Cæſarum, & Barbarorum libidinem agitati Pontifices, Domo pulſi vagi fuere. Quippè ubi Sacrorum labare majeſtas cæpit ſiſti difficillimè potuit. Liberio laboribus fracto, reliquiſque Pontificibus ſalute in ancipiti poſita, Principatus retinendi facultatem ereptam fuiſſe videri potuit, & mutuam in perniciem odio inteſtino ſævientes Romani, Barbaris irrumpentibus ultrò deſertos Imperii limites prodidere.

Nec à Liberio miſeranda Romanarum rerum ſeries ad Symmachum uſque proceſſit, claræ nimirum illæ, & apud mortalium deterrimos invidioſæ Pontificum opes nimis citò conciderant, Urbs demùm ipſa Regina Terrarum Gothis ab Imperatore Zenone ſpontè permiſſa, Italiæque Regnum humi proſtratum jacebat. Hinc Italicarum rerum regimen Ravenna fuit, Theodoricus ipſe Victor infectus Arriana Labe, faſtuque barbarico tumens, inſultare victis, Divina omnia raptare, & Præſuli Symmacho vim inferre ſtudebat; ſic opibus imminutis ipſa quoque ſimùl eſt neglecta Pontificis reverentia, & proſtrata Majeſtas, donec Rege mitiore Vaticanum in receſſum abderet ſeſe, quiete fruiturus. Itaque ſecuritatem nactus, & quietem, Baſilicæ labantis latera fulſit, magnis Aedibus utrinque conditis, quas ipſe, & Pontifices futuri incolerent. Anno enim 498. teſte Anaſtaſio, poſtquàm Atrium quadriporticum ornaſſet, eodem in loco *Epiſcopia dextrâ, lævâque fecit*, quo quidem nomine Pontificium Palatium indicatur, ſicuti etiam dicebatur Epiſcopium Lateranenſe Palatium apud Sanctum Joannem. Earum Aedium amplitudinem, & formam in tanta fugientis ævi diſtantia obliteratam ad nos vix nominis fama perduxit. Poſt Symmachum haud meliora tempora ad Leonem uſque III. Romam excepere. Trecentos integros annos laboravit hinc dominatione Gothorum, indè Prætorum præliis, & Civium potentiorum perfidia, Cæſarumque effrenato animo in Sacra, & in Pontifices ſævientium. Ferarum denique gentium Legiones à gelida Regione in Romanos Agros erumpentes Romanam Ditionem iterùm invaſere, & proſtravere quidquid præteritis cladibus ſuperfuerat, Conſtantis Cæſaris fraudibus ipſæ Divorum Aedes expilatæ, & quidquid in Urbe virium remanſerat, omninò conſumptum.

Neque

Neque tamen interea Pontificia dignitas ſordere permiſſa, quam ſtudia Populorum, claraque probitas Præſulum etiam in ſquallore venerabilem reddidere. Fuerunt enim ingentia donaria à Regibus multis ad pedes Summorum Sacerdotum demiſſa. Quò circa non adeò mirùm, ſi longas per ætates apud eorum temporum Scriptores magnum ſit de Vaticanis Aedibus ſilentium. Illud potiùs mirandum inter præcipites temporum converſiones Vaticana Palatia Regiam ad magnificentiam ſurrexiſſe, ut illorum ambitu Reges, & Cæſares ad Petri Limina properantes exciperentur. Hinc Regem Carolum Gallorum Decus, ſolemnia Chriſti Reſurgentis in Auguſtiſſima Divi Petri Baſilica cum Hadriano celebraturum, primò excepere Vaticana Palatia, nec multò poſt ipſum Hadrianum eodem magno Hoſpite claruere. Tertius enim Leo, poſtquàm ad Aram Divi Petri Auguſtum Caroli Caput Cæſareo diademate redimivit, eum Vaticanis in Aedibus diutiùs commoratum quoddam Diploma vetuſtiſſimum Longobardorum characteribus exaratum, ſervatum in Archivo Baſilicæ conteſtatur. Et Vaticanis etiam in Aedibus diù ſolitos commorari Pontifices accepimus ab Anaſtaſio in Paſchali I. & Benedicto Canonico in Cœleſtino II. & Innocentio II. qui ad Aram Divi Petri Vigilias pernoctantes cum Populo ſolebant celebrare, atque Palatinis ex Aedibus ad Sacra ſolemni pompâ procedere, ſolemne inſuper epulum in Vaticanis Aulis præbere Proceribus, cum ibi degerent in magnis Sacrorum dierum celebritatibus, ut Leo IV. teſtatur. Capſ. X. faſcic. XII.

A Leonis IV. Pontificatu ad Cœleſtini III. Regnum non læviores præteritis rerum converſiones Italiam univerſam, Pontificiamque ditionem vexavere. Magna Græcia, Latium, Roma ipſa à Saracenis ferro, flammiſque vaſtata, neque continuerunt ſe ab opibus auguſtæ Baſilicæ diripiendis. Alii deindè ſucceſſere hoſtes magis deteriores. Borealis Turbo Pontificum decus ferè omninò proſtravit; erexit tamen illud Magnus Otho. Tria inſuper damnata capita Pontificias Infulas aliquando corripuere, treſque ſimùl Antiſtites Chriſti tunicam lacerare ſunt auſi. Propitius interea Deus res humanas in Cœleſtini III. ſinu quieſcere juſſit, anno 1192. Hinc inter cæteras curas non poſtrema fuit inſtauratio Vaticani Palatii jàm propè diruti, cujus veſtigiis Innocentius III. hærens anno 1200. Vaticanas Aedes inſignibus Domiciliis auxit [Cum fecit fieri Domos iſtas de novo Cappellariam cameram, & Cappellam Panettariam, Bucellariam, Coquinam, & Mareſcaltiam, Domos Cancellarii, Camerarii, & Eleemoſynarii, Aulam autem confirmari præcepit, ac refici Logiam, totumque Palatium claudi muris, & ſupra Portas erigi Turres, & etiam Domum inter clauſuram Palatii, quàm ad habitationem Medici deputavit]. Verba hæc ſunt accepta ex ejus vita MS. in Archivo Apoſtolico Vaticano aſſervata. Quantum autem tunc eſſet Palatium Vaticanum indicio eſt, quòd Petrus II. Aragoniæ Rex cum ingenti comitatu veniens ad Urbem, ut per manus Innocentii III. Regni coronam acciperet, Pontificiis Aedibus in Vaticano exceptus eſt. Platina in ejus vita. Donatus pag. 361.

Cæterùm quæcumque ſuperfuerant ex magnis Aedibus Innocentianis, Nicolao V. Palatium exornante, concidere. Rotundam Turrim in crepidine montis, Templo ad Auſtrum imminentem, ex tot operibus Innocentii

ſuperſtitem adhùc miramur, cum Pontificias Aedes non modò Porticibus, Aulis, Cubiculis, Areiſque ornaverit, ſed Mœnibus etiam, Turribuſque, & Propugnaculis ſepſerit, ac munierit. Joannem ſanè Armenorum Epiſcoporum Principem Innocentianis in Aedibus cum magno Præſulum, & Sacerdotum Cœtu anno 1216. Honorius III. perhumaniter excepit, quòd Armenis characteribus exarata, & in Bibliotheca Vaticana ſervata volumina confirmant, quibus titulus eſt *Polorchio* à fol. 277. Arabico charactere. Nicolaum quoque III. Aedibus jàm ab illo excitatis delectatum ſatis, ſuperque probarunt Horti Fontibus irrigui, arborumque proceritate peramæni, Mœnia in Urbis ſpeciem circumducta, inſcriptique lapides, & paginarum documenta. De eo loquitur Martinus Cuſentinus. In Hortis autem hæc legebatur Inſcriptio parieti affixa:

✠
ANNO DOMINI MCCLVIII.
SANCTISSIMUS PATER DOMINUS NICOLAUS PAPA III.
FIERI FECIT PALATIA,
ET AULAM MAJOREM, ET CAPPELLAM,
ET ALIAS DOMOS ANTIQUAS AMPLIFICAVIT.
PONTIFICATUS SUI ANNO I.
ET ANNO II. PONTIFICATUS SUI
FIERI FECIT CIRCUITUM MURORUM
POMERII HUJUS.
FUIT AUTEM PRAEDICTUS SUMMUS PONTIFEX
NATIONE ROMANUS EX PATRE
DOMINI MATTHAEI RUBEI
DE DOMO URSINORUM.

Frequentiùs deindè Pontifices Vaticanum incoluere. Nicolaum IV. Vaticanis in Aedibus commorari ſuetum illius arguunt litteræ ad Aragonem, Tutanamque Tartarorum Reges in Vaticano ſcriptæ apud S. Petrum 4. nonas Aprilis. Paribus argumentis Bonifacium VIII. illas anno 1296. coluiſſe, conſtat præſertim ex ejus epiſtola 538. fol. 150. Biblioth. Vatic. directa Rectori Archi-oſpitalis Sancti Spiritus in Saxia de Urbe. Abſentibus verò Pontificibus mirùm in modum Vaticani lares fuerunt dilecti, maximaſque inter curas non poſtrema Vaticani reſtituendi cura ſemper apud illos fuit, ut Legatos ipſos Urbis Vicarios ei muneri deſtinaverint. Quòd ab Urbano V. præſtitum anno 1366. non ignoramus, ex Regeſt. fol. 127. Urbani ſucceſſor Gregorius XI. cum ſuam Urbi dignitatem jàm reddidiſſet anno 1378. in avitis Vaticani laribus deceſſit. Comitia tùm primùm Vaticanis in Aedibus ad eligendum Pontificem indixere Patres, & celebrarunt. Urbanum VI. in Vaticano Sacello Sacra celebraſſe narrant Acta Ceremoniarum fol. 59. nondùm aureo diademate ſolemni ritu coronatum; ſed ad illum uſque diem Aedes Lateranæ ſæpiùs Pontifices detinuerant. Interea temporum motus, & rerum, opes Romanas funditus everterunt, æquata ſolo Mœnia, & in Romæ veſtigio vix agnoſcebantur tantæ magnitudinis rudera,

In Bibliot. Vatic.

ra, cum Bonifacium IX. ingens gloriæ cupido ſollicitabat, ut ad Divi Petri Sepulchrum perpetuam Sedem Succeſſoribus ſiſteret, cum præſertim Laterana Domus rueret Urbe jàm propè proſtrata. Quamobrem Aeliam molem egregia munitione roboravit, tutamen propè Baſilicam Divi Petri incolentibus, & Vaticanas Aedes Pontificibus nobiliſſimas excitavit. Quòd poſteà reliqui Pontifices conſilium ſequuti ſunt. Innocentius VII. vix umquàm à Vaticano abſuit. Illic, & Gregorius XII. perpetuò fuit, dùm præfuit. Alexander Vaticanos quidem lares in Pontificatu non vidit, cum Bononiam diſceſſiſſet, per Ferdinandum tamen Legatum Ludovico Siciliæ Regi Vaticanas Aedes exhibuit, ubi Regio cultu exceptus fuit, quem etiam Regem Joannes XXIII. celebri pompâ in idem Palatium induxit. Ea quoque tempeſtate Palatium cum Arce conjunxit, extructa perpetua Porticu, per quâm ad Arcem Pontifici cubiculum exeunti, quotieſcunque libuiſſet tutus, & ſecretus pateret acceſſus. Hæc narrat Hadrianus Petrus in ſuis Diariis his verbis [Decimaquinta Junii dictus Dominus Noſter Papa Joannes XXIII. In Diario Ant. Petri ab an. 1402. ad 16.
„ fecit incipere murare, & fieri facere murum, & andaſineum de Palatio
„ Apoſtolico uſque ad Caſtrum Sancti Angeli per multos Magiſtros. Item
„ fuit incæptum Fundamentum inter Palatium Apoſtolicum, & Portam
„ Viridariam. Et ut conſtrui poſſet, dirutæ fuerunt aliquæ Turres Urbis
„ Leonianæ, quæ numero erant 44.

Martinum V. Baſilica, & Vaticana Palatia habuerunt munificentiſſimum. Eugenium verò Martini Succeſſorem ad firmanda eadem Palatia inopinata tecti ruina excitavit. Nicolaus etiam V. non præſtantiore ſolùm ſtructura Palatinas Aedes reddidit auguſtiores domiciliis, ambulationibus, Sacellis geminis, laxiore ſinu conſtructis, ſed valido Turtium, & Mœnium molimine adverſus Bellorum tormenta firmare illas aggreſſus, tantùm opus haud perficere valuit, magni tamen conatus teſtis adhùc ſupereſt marmorea pars munimentorum, & rotunda Turris Neroniana prata ingenti vertice deſpiciens, quæ adhùc extat ſub Palatio à Sixto V. excitato, de eo Pontifice loquens Maffæus Veggius, hæc habet [Nicolaus demùm V. nobiliore Fol. 45.
„ etiam, ac præſtantiore ſtructura, & cultu auxit, amplificavitque, addi-
„ tis etiam ad arcendam vim ventorum vitreis ſpecularibus eximiè pictu-
„ ratis, quibus non tàm Palatium ipſum, quàm totam inſuper Baſilicam
„ præclaro certè opere illuſtravit]. Eadem etiam Pio II. mens fuit; nàm Palatini parietes erecti, cubiculaque plura titulos præferunt Pii. Succeſſere Pauli II. Aedes ampliſſimæ ſuperioris ædificationis obliteraturæ ſplendorem, ni poſteriores illis obfuiſſent Porticus, & Ambulationes ingentibus pilis impoſitæ, magniſque ſubſtructionibus Baſilicæ adnixæ, Turrita frons Palatii, ingens Aedium firmamentum in Regiæ majeſtatis ſplendorem educta. Architectum ejus fabricæ fuiſſe Julianum de Majano affirmat Vaſarus. Pag. 259.

Sed non minore amplitudine, ſumptuve reparator Urbis, & amplificator Sixtus IV. Ambulationes, & Porticus Urbem totam proſpicientes inſtituit, quæ terras humiles peroſæ Cælum petere viderentur. Sixto Vaticana Palatia debent Bibliothecam ſede nobiliore collocatam, Sacellum inter Orbis miracula numerandum, Aulas ampla laxitate capaces, ſedes

certas aſſignatas Palatii Miniſtris, vaſis anteà, Prætorianis extructa Domicilia, quorum excubiis tùm primùm Regia muniri cœpit Helvetiis à Sixto inductis, Portam ſervandam poſuit Innocentius VIII. Summis Pontificibus non impar; novas inſuper ad Baſilicam Aedes Pauli II. ſubſtructionibus impoſuit foro imminentes.

Ab Alexandro Borgia Porticum fundatam ætas mirabitur, qua Palatio Arx Aelia jungitur, Turrim admirando opere Palatino Theatro impoſitam, Cubiculis, & Aulis auro, & colorum varietate renidentibus auguſtum Pontificum Domicilium. Borgianis etiam ædificationibus triplex illa marmorea Porticus meritò nobis eſt adnumeranda, quæ excellenti artificio Innocentianas ad Aedes foro ſuperſtructa, viſa eſt uſque ad Pauli V. tempora, undè ſtatis ſolemnibus Plebi ad Urbem confluenti Pontifices ritu antiquo benedicerent. Hanc dejectam non ſine gravi Vaticanarum Aedium jactura deploramus.

Crevit ſub Julio II. ædificandi labor in duplici illa milliaria Porticu à Palatio ad Villam Innocentii deducta; firmiſſimis anteridibus fulta, quibus tecta ambulatio ſuper erecta videtur. Apſis quoque illa eſt ampliſſima in jugi celſitudine ad Cælum elata, ad quàm Porticus è Palatio pertingunt. Aſcenditur ex Hortis ad Villam per gradus cochleæ, miro, & novo Architecturæ experimento in Villæ faſtigium eductæ; ſuccedunt enim ità alter alteri Architecturæ ordines, falluntque adeò aſcendentis oculos, ut mutatam quidem ædificandi formam agnoſcat, ubi verò mutatur non præſentiat. Deſignaverat etiam Julius, fundaveratque Theatrum in Valle, Palatium, & Villam interjacente, Porticibus marmoratis incluſa, quòd poſteà Pius erexit. Armamentarium præterea in ambulatione inferiore conſtruxit, ad Portam illam ruſtici operis, quæ Neronianos in Hortos ſpectat, par amplitudine reliquis Julii ædificationibus, & firmitate præſtans univerſis. Pulcherrimum etiam craterem, in Vaticanum è Thermis Titi à Julio perductum huic quoque eſt adnumerandus; Crater ex ſolido Aegyptio lapide incorrupto in latitudinem duorum & triginta palmorum circumducto adhùc ſpectatur, extenuata per laborem plurimum craſſitie, ut duos palmos nuſquàm excedat. Tantorum operum molitores fuere Julianus Gambertus, & Bramantes.

Julio Leonem decimum adnectit læta poſteritas. Triplices illæ Palatinæ Sixti Porticus eductæ Cælo, Cubicula Pontificum, Aulæ peramplæ plaſtici operis emblematibus, & ſpirantibus Raphaelis Urbinatis imaginibus ornatæ, ac diſtinctæ, Leonis X. teſtantur munificentiam. Clemens VII. cui non animus, nec bonarum artium amor, ac ſtudium, ſed fortuna magni Principis virtutes peroſa defecit, Porticibus, & Columnis (quas Julius III. ad Villam ſuburbanam poſteà tranſtulit) Palatinam Aream ornavit. Aulæ etiam, quibus Sacer Fratrum Senatus haberi conſuevit, Cubicula in Aulicorum miniſtrantium, & in uſus Procerum extructa, Clementis liberalitate Vaticanas Aedes auxere.

Nec Paulum III. Romanis Cæſaribus animi magnitudine parem, Aula Regia, fornice conſtructo, & operibus plaſtices, ac Architecturæ nitens, umquàm conticeſcet. Additum etiam à Paulo Scalarum decus

Aulæ

Aulæ Regiæ, Sacellum ad Aulam ſtatutum Bonarotæ picturis celeberrimum, Atria, Porticus, Portæ, Aulæ, Cubicula, univerſaque ferè Vaticani Palatii fundamenta repoſita, Juliana ambulatio ex ipſo Palatio ad Villam Innocentianam collapſa à Paulo reſtituta magni Principis munificentiam celebrabunt.

Julius III. quæcumque primò cogitaverat in ornamenta Innocentianæ Villæ conferre, ad ſuburbanum rus poſteà tranſtulit. Oſtium tamen elegans ad illam, atriumque interiùs, ubi marmorea Cleopatra in ſpecu reclinata quieſcit, picturæ, & plaſtici operis ſplendore decoravit. Cubicula non pauca inſtruxit, & auxit.

Paulus IV. ut erat animo excelſo fundamenta in Nemore jecit Villæ quidem anguſtioris, ſed pulcherrimæ. Pius autem IV. ædificandi cupidus Villam eamdem, & Hortos, Theatrumque à Julio II. deſignatum erexit, caveam auxit, & gradibus inſtruxit. Alteram perpetuam Porticum, Julianæ ſimilem, è regione Hortorum, & Nemoris ad Villam Innocentii perduxit, & extulit. Fontes prætereà, Turres, Aulas, Ambulationes, Porticus, & pleraque Palatii decora vel inſtituit, vel reſtituit, vel ornavit.

Gregorius XIII. pauperum, & artium parens Turrim ad Theatrum ſublimi culmine celebrem Ventorum flatus indicantem, undè illi nomen conſtituit, eoque à Pontificiis Cubiculis ambulationem tectam produxit fornicibus, auro, & colorum varietate diſtinctis, inſcriptis utrimque pariete Pontificiæ Ditionis Urbibus, & Agro. Domicilia quoque Aulas, & Porticus triplices in Meridiem ſurgentes, Leonis Porticibus conjunxit, indito Bononiæ titulo, quæ pari quoque auri, & colorum fulgore decoravit. Triplices reliquas Porticus, quibus magnæ Areæ Palatinæ Orientale ambitur latus Sixtus V. præclaris facinoribus immortalitatem nactus addidit, ad Palatium, quòd à fundamentis excitavit, novum in Palatio Palatium, ex quo ſubjectæ Urbis jucundiſſimus eſt proſpectus, quòd ab aliis Pontificibus deindè exornatum hodiè iidem incolunt. Idem Scalas fecit ab Aedibus Vaticanis in Templum Divi Petri, quibus clàm Populo deſcenderent Pontifices. Eaſdem Aedes Bibliotheca nobilitavit.

Gregorius XIV. perpetuam ſui memoriam relicturus brevi in Principatu Palatii decus amplificare contendit, dùm ſuperiores Gregorii XIII. Aulas, & Cubicula picturæ, & auri decore augebat, Borgiæ verò ædificationes Cubiculorum numero amplificabat.

Clemens inſuper VIII. ornari etiam multa potuiſſe docuit, dùm in Sixti Palatio Clementinam Aulam in Regium decus excoluit, præſtanti picturæ artificio, & pretioſis marmorum cruſtis, dùm Ambulationes, & Aulas vetuſtis in Aedibus excitavit, vel reſtituit.

Paulus V. ædificationum varietate ædificandi ſtudium nullis terminis circumſcribi poſſe declaravit. Gemina Palatia veteri Palatio circumpoſuit, alterum ad Borgiæ Turrim, qua Pontificio ex intimo Cubiculo facilis deſcenſus in imos Hortos patet; ea montis regione Palatinas Aedes anteà patentes Porta firmiſſimis antheridibus, valviſque munita clauſit, Hortoſque ipſos, tùm primùm lateritio pariete tribus Portis interjectis ſepſit,

viam-

viamque latiſſimam ad Aream uſque Vaticanæ Typographiæ ſtravit, fornice triumphali poſito in Areæ limine. Alterum verò Palatium Paulus extruxit in ſolo Innocentiani diruti. Portam etiam marmoream compoſito Architecturæ opere in Solem Orientem ad forum erexit, ut ſupra indicavimus, quæ Columnis Aegyptiis ſignis Angelorum è pario marmore coloſſeis opere teſſellato, excelſa Turri, ænea Mole horarum indice, ære Campano horaria ſpatia multiplici ſonitu diſtinguente, æneis duplicibus valvis, propugnaculis bellico tormentorum apparatu, Prætorianorum Armamentario, & Excubiis, Forum ampliſſimum ingreſſuros procul alliciebat, terrebatque. Veſtibulum interiùs addidit, & Aream cum gemina Porticu foribus validiſſimis ſolidatam. Palatinum quoque Armamentarium, omni bellica ſupellectili, & armorum copia inſtruxit, ingens ſubſidium ad improviſa pericula. Horrea Palatina multiplici Annona replevit, Equilia, Stabulaſque amplificata, aquationi abundè proviſum, quando per aereos tramites inductis aquarum fluminibus, opere, ſumptuque vix æſtimabili Leonianam Urbem aquarum inopia ſiti confectam ſaluberrimo rore rigavit, & largo undarum imbre perfudit. Teſtis eſt in Area illa magna Vaticani Palatii Fons in rorem ſpumantem liqueſcens, & in lacum præcipiti flexu ſeſe mergens; ſub ipſa quoque Petri Navicula Jotti celeberrimi Pictoris teſſellato labore ficta, vis aquarum ingens marmoreum in labrum emiſſa ſitientibus advenis ſalubres latices juxtà Templi gradus de more antiquo poſita. Accedit Fons iiſdem ductibus, nobilique ornatu in Aream Prætorianorum non exiguam aquæ vim emittens, ſublimis quoque Fons ad imos Hortos, ubi Portam alterius Palatii poſt ipſum Templum à Paulo erectam, docuimus, ex quo in Palatina Domicilia innumeri Fontes derivantur ingenti labro, undarum copia, & molis magnificentia, pulchritudineque ſpectandi. Excelſa quoque Porticus è regione Hortorum apud Apſidem Bramantis ad Innocentianam Villam erecta, dorſo Fontem ſubſtinet, quem è profundis terræ viſceribus emergens in excelſam altitudinem exilit. Craterem, quem ex Thermis Titi eductum à Julio II. memoravimus, obruerant rudera, memoriamque omnem pulcherrimi operis perdidiſſemus, niſi cæmentarii ſenis indicium Principem excitaſſet, ut Aream Theatri admirabundo ſpectaculo exornaret, ut ex inſcriptionibus ſequentibus:

PAULUS V. PONT. MAX.
PALATII VATICANI
MULTIS IN LOCIS INSTAURATI,
ATQUE AMPLIFICATI SPLENDOREM,
HORTORUM ADJACENTIUM
AMOENITATEM PERENNI
SALUBRIS AQUAE COPIA
DE SUO NOMINE NUNCUPATAE
REVOCAVIT,
AUXIT ANNO DOMINI MDCXIV.
PONTIF. VIII.

PAU-

PAULUS V. PONT. MAX.
AD AUGENDUM PALATII PROSPECTUM,
ET HORTORUM DECOREM
FIERI JUSSIT
PONTIF. ANNO IV.

CRATEREM LOCO DEJECTUM,
QUO JULIUS II. ERUTUM
E RUINIS THERMARUM
TITI VESPASIANI CONSTITUERAT;
RENOVATA, EXORNATAQUE
BASI RESTITUIT
ANNO V.

PAULUS V. PONT. MAX.
CRATEREM ANNIS AMPLIUS XL.
TERRA OBRUTUM
AD HUJUS AMPLISSIMI THEATRI
VETUS ORNAMENTUM EFFODIENDUM,
ERIGENDUMQUE MANDAVIT
PONTIF. ANNO V.

Urbanus VIII. qui Palatium incoluit, multa ad commoditatem Pontificum, & Aulicorum utilitatem compoſuit, propè Aulam Clementinam. Ambulationem Gregorii XIII. Camera fatiſcente tutò munivit: ſublapſæ identidem parietum loricæ, quibus coſmographicas per tabulas Italia eleganter exprimitur, priſtinum pigmentorum ſplendorem induxit. In ea hæc extat inſcriptio:

URBANUS VIII. PONT. MAX.
AMBULATIONIS GREGORIANAE
FUNDAMENTUM AB AQUAE SUBLABENTIS
NOVA PARIETES,
ET FORNICEM AB IMBRIUM,
ET TEMPORIS INJURIA
VINDICAVIT.

PICTURAS IN DIES PENE OBSOLESCENTES
INSTAURAVIT.
VNIVERSUM OPUS SACRATUM,
TECTUMQUE PRISTINO DECORI
RESTITUIT
ANNO DOMINI MDCXXXI.
PONTIF. VERO VIII.

In

In Xiſto autem legitur:

URBANUS VIII. PONT. MAX.
DATARIAM EX INNOCENTII VIII. PALATIO
A PAULO V. ALIO TRANSLATAM,
INDE HOC IN LOCO CONSTITUIT
ANNO DOMINI MDCXXXIII.
PONTIF. X.


Et in Ambulacro:

FORNICES, ET PARIETES
HUJUS AMBULATIONIS,
IMBRIUM PENETRABILI MADORE LABEFACTATOS,
ET VETUSTATE DEFORMES,
MAGNAQUE EX PARTE RUDES
RESTITUIT,
ET PERFECIT,
AMBULATIONEMQUE UNIVERSAM DESUPER,
QUA TEGULIS, ET IMBRICIBUS,
QUA LATERITIO HYPATRO AD ARCENDAS
IN POSTERUM TEMPORIS INJURIAS
MUNIVIT,
ET AD HANC FORMAM REDEGIT
ANNO DOMINI MDCXXXIII.
PONTIF. X.

Ad Januam Aulæ, Rotæ Judicibus in Vaticano præſcriptam Urbani opus aliud declarat ſequens Inſcriptio:

URBANUS VIII. PONT. MAX.
ROTAE TRIBUNAL
SUIS PRISCIS SEDIBUS
OB INNOCENTIANAS AEDES
SOLO AEQUATAS
ORBATUM CERTO DOMICILIO
RESTITUIT
ANNO SALUTIS MDCXXVIII.
PONTIF. V.

Sermoni ſilentium finem imponat, cum vel unum hoc opus egregiè probaverit, non tantùm Summorum Pontificum munificentiam, ſed ſuperata etiam fuiſſe vota Mortalium, cum nihil admirabiliùs in Orbe, nec plura ſint in uno Palatia, ſed plura Oppida in uno Vaticano Palatio concluſa. Numerat enim illud duodecim ampliſſimas Aulas, Duo maxima Sacella,


ICHNOGRAPHIA
PALATII VATICANI
SVB PAVLO V DELINEATA
A MARTINO
FERRABOSCO
Auctor del. et sculp.

Sacella, ad ſacras Pontificum Functiones, octo alia minora. Scalas nobiliores viginti. Atria ultrà decem. Officinas quamplurimas. Cubicula pro omnibus Palatinis Adminiſtris, alia denique pro ipſo Pontifice pluſquàm mille, præter inferiora Domicilia Famulorum, ſubterraneaſque Cellas, variis uſibus deſtinatas, quæ Cubicula ſi in unam ſummam redigantur numerum excedunt tredecim millium. Circa quæ aliqua ſcitu digna adhùc remanent indicanda, quamobrem Tabulam Ichnographicam 86. adeamus, in qua appicti numeri ad brevem enarrationem viam aperient. *Fig. 86.*

CAPUT XXXVII.

Ichnographiæ Palatii Vaticani explicatio.

1. JANUA Palatii ſub Paulo V. à Martino Ferraboſco cœpta, à Joanne Vaſantio Flandro abſoluta.

2. Armamentarium pro Helvetiis.

3. Scalæ à Paulo III. ædificatæ.

4. Sacellum à Sixto IV. extructum, in quo Michael Angelus Bonarota extremi Judicii hiſtoriam expreſſit.

In regione illi oppoſita Matthæus Licienſis depinxit Divum Antonium à Dæmonibus vexatum.

Arrigus Flander Chriſtum è mortuis reſurgentem.

Hoc Sacellum ruinæ proximum ſub Clemente VII. Antonius à Sancto Gallo validis fulcimentis munivit.

5. Cubicula pro Sacriſta Pontificio.

6. Sacellum Paulinum dictum à Paulo III. qui illud excitavit non abſimile Sacello Nicolai V.

In ejus parietibus, eodem Paulo imperante, Michael Angelus Bonarota Divum Paulum Divina voce perterritum, & Divum Petrum cruci affixum expreſſit.

Sub Gregorio verò XIII. Laurentius Bononienſis, & Fridericus Zuccarus in lateribus ejuſdem Sacelli ſuas picturas addidere. Vaſar. 166.

Et Proſper Brixienſis Angelos candelabra ſubſtentantes marmorato opere efformavit. Balleonus pag. 18.

7. Aula, quàm Regiam dicunt antè Sacellum Pontificium, quàm arcuato pariete texit Antonius à Sancto Gallo.

In ea egregias picturas varii expreſſerunt.

Ugonothorum cladem Georgius Vaſarus, adjuvante Donato è Formello ejus diſcipulus.

Carolum Magnum Provinciam, Patrimonii nuncupatam, Pontifici reddentem Thadæus Zuccarus.

Petrum Aragoniæ Regem opes ſuas, ac Regnum ipſum Eugenio III. offerentem Livius Agreſti Forolivienſis.

Pipinum Ravennam Pontifici reddentem, poſtquàm Aſtulphum Longobardorum Regem in vinculis redegiſſet, Hieronymus è Sermoneta.

Fridericus Zuccarus Gregorium VII. Regem Fridericum à ſacro Anathemate liberantem, & Tuneſi expugnationem, quàm ejus Frater incœperat.

Binas Virtutum Icones ſupra januam Thadæus Zuccarus, alias in lateribus adjacentes Daniel Ricciarellus.

Laminas feneſtrarum vitreas coloribus decoravit Paſtorinus Senenſis.

Angelum Diadema Pontificium habentem Raphael Regienſis:

Alterum cum Clavibus Laurentius Bononienſis depinxit.

Plaſtica opera in fornice compegit Perinus *del Vago* dictus.

Daniel verò Volateranus eas figuras, quæ veluti Coronam Aulæ efficiunt.

Cætera ornamenta ejuſdem Diſcipuli compoſuerunt.

Sicuti Proſper Brixienſis binas Statuas, in quarum medio Stemma gentilitium Gregorii XIII. collocatum fuit.

Alias è regione oppoſitas Daniel Volateranus.

In proxima Aula Raphael Regienſis depinxit Herculem Caccum interficientem. Et Infantes propè gentilitium Stemma Gregorii XIII. Icones juxtà januam Paris Romanus.

Regiones, & Campos Cæſar Pedemontanus.

Hiſtoriam Herculis cum Cane Trifauci Laurentius Bononienſis.

In ſecundo Cubiculo, ubi Lotio Pedum à Pontifice ſolet fieri Matthæus Senenſis quatuor Anni Tempeſtates expreſſit.

Cæteras Icones Joannes Flander.

8. Aula ob Purpuratorum Patrum conventum, publici Conſiſtorii dicta, extructa ab Antonio à Sancto Gallo ſub Clemente VII.

In ejus laqueari regnante Gregorio XIII. Hieronymus Mutianus Divini Spiritus adventum expreſſit.

Inter varia Cubicula Aula eſt, quàm Ducum appellant, hanc Gregorius XIII. cum proximis Cubiculis picturis exornari juſſit.

In illis Zonas depinxerunt Raphael Regienſis, Marcus Faventinus, Joannes Baptiſta Picenus, & Paris Romanus.

In Aula, per quàm itur ad Turrim, quàm Borgiam dicunt, Perinus Vago Signa Cæleſtia expreſſit, Icones flavo colore formatas Livius Fralli ejus diſcipulus.

Pontificem antè Deiparam genuflexum ſuo pennicillo efformavit Pinturicchius Florentinus.

In ſuperiori contignatione alia ſunt Cubicula, in quibus multorum picturæ mira arte fuerunt expreſſæ.

9. Turris Borgia vulgò dicta ea Palatii pars, quàm Baſilicæ proximam Alexander VI. extruxit.

In ejuſdem Cubiculis varia pennicillo expreſſerat Petrus Peruſinus ſimùl cum Julio Romano, & Antonius Soddoma Vercellenſis; multa etiam depinxit ſub Alexandro VI. Balthaſſar Peruccius, Petrus Volateranus, Petrus Franciſcæ, Lucas Cortonenſis, Petrus Gatta, Bramantinus Mediolanenſis; ſuam etiam operam addidit ſub Julio II. Raphael Urbinas, qui juſſu Pontificis variis picturis deletis, fornicem depictum à Petro Peruſino illæſum ſervavit, ut erga ſuum Præceptorem debitum obſequium præſtaret.

Vaſar. par. 3 pag. 144.

Pag. 527.

La-

Laquearia pulcherrimis ornamentis ligneis decoravit Joannes Barilis.

In Aula, quàm Signaturæ dicunt, Frater Joannes Veronenſis variis lignis mira arte ſimùl compactis ſedilia exornavit.

Inter Sacella, quæ in Vaticano Palatio numerantur, unum eſt, in quo Pontifices pluries audierunt Sacra.

Illud picturis exornavit ſub Nicolao V. Frater Joannes Feſulanus è Sacra Dominicanorum Familia Pictor egregius. Vaſar. pag. 268.

Aula etiam invenitur, Helvetiorum dicta ab Helvetiis, qui in Palatio primæ Cuſtodiæ ſunt addicti.

In ea Jacobus de Luca Religionem, & Sobrietatem unico nigro colore delineavit, Silentium Paris Romanus; plures verò figuras flavo expreſſit Antonius Tempeſta: Jacobus Stella, & Joannes Baptiſta Picænus alia Simulacra inter columnas adjacentia. Balleonus pag. 314.

Cæſar Arpinas Sampſonem Januas Gazæ ſuſtentantem.

Supra Januam, per quàm tranſitus patet ad Porticum ex qua Pontifices ſacras Benedictiones Populo impartiuntur, Marcus Senenſis coloribus expreſſit Othonem Imperatorem Provincias Pontificiæ Ditioni reſtituentem.

E regione autem Horatius Sommachinus Bononienſis Aritperti donationem à Luitprando Rege Longobardorum confirmatam.

In Cubiculo Aulæ Helvetiorum propinquo Apoſtolos incertus Auctor delineavit.

In Aula Conſtantini dicta Julius Romanus Militum Cohortes depinxit, cæteras Raphael à Burgo, cum aliis Sanctii diſcipulis.

Thomas etiam Laurenti Siculus picturas expreſſit, quæ ſupra Coronicem extant.

In alio proximo Cubiculo hiſtoriam Eliodori Julius Romanus, cæteras Raphael Sanctius efformarunt.

In tertio Cubiculo Parnaſſi Montem, & Gymnaſium Athenienſe idem Raphael, qui etiam in tertio Cubiculo mira arte expreſſit Civitatem Leoninam incendio conſumptam.

Ejuſdem Cubiculi fornicem coloribus decoravit Petrus Peruſinus.

10. Porticus delineata à Raphaele Urbinate ſub Leone X. Illius fornices variis picturis exornarunt cum ipſomet Raphaele multi Pictores præclari, qui ea ætate, quam auream vocavit Vaſarus, floruerunt, quos inter Joannes Franciſcus, vulgò *il Fattore*, illius diſcipulus, Julius quoque Romanus, Marcus Faventinus, qui Volucres, animalia, cæteraſque icunculas expreſſit, quales viderat in ruderibus Palatii Titi Imperatoris propè Templum Divi Petri ad Vincula detecti. Pag. 202.

Joannes Utinenſis depinxit Vites, & Uvas in fornice.

In ſecunda contignatione Raphael è Burgo Diluvium Univerſale, & Hebræos Vitulum adorantes.

Perinus Vago Joſuè Soli imperantem, ac Berſabeam.

Polydorus à Caravaggio Eliæ Currum.

Julius Romanus Aquam è ſaxo emanantem ob mandatum Moyſis, & Salomonem Fœminarum litem dirimentem.

Peregrinus Mutinenſis Chriſtum in Jordane.

Alias Icones Gaudentius Mediolanenſis, quæ omnia ſuo pennicillo Raphael Sanctius abſolvit.

Pavimentum autem laterculis compoſuit Lucas Nebbia, qui in Cubiculis proximis etiam expreſſit Pontificis inſignia.

Vaſar. pag. 319. Eaſdem Porticus varia ſubſtructione munivit Antonius à Sancto Gallo dictus.

11. Porticibus à Leone X. excitatis, aliàs conjunxit Gregorius XIII. cum variis Cubiculis, quibus Bononiæ nomen indiderunt.

Ibi Fornices Vitibus exornavit Cæſar Pedemontanus.

Aliis picturis Fridericus Zuccarus, & Octavianus Maſcarinus.

In Cubiculis verò eleganti pennicillo Jacobus Sementa efformavit ſacram hiſtoriam Filium Viduæ referentem; Redemptorem in Navicula, & Apoſtolos Retim in Mare proiicientes.

Raphaellinus verò Regienſis depinxit Chriſtum Hieroſolymam ſolemni cum pompà ingredientem; & Divam Mariam Magdalenam ad pedes eiuſdem genuflexam; ipſumque Chriſtum Apoſtolorum pedes abluentem.

Contignationem verò ejuſdem Porticus ſuperiorem picturis exornarunt Nicolaus è Pomerania, Joannes Baptiſta Picænus, Paris Romanus, Joſeph Cæſar Arpinas, Antonius Tempeſta, & Matthæus Brilli Flander.

In eadem contignatione Pius IV. fornicem exornari juſſit à Nicolao è Pomerania, & Antonio Vareſio , qui Tabulas Geographicas expreſſit.

12. Scalæ à Bramante delineatæ, à Joanne Veronenſe Monacho Olivetano poſt illius mortem perfectæ. Ut eas in linea recta diſponeret ſub Paulo III. Sacellum Sanctiſſimi Sacramenti deſtruxit, quòd ſuo pennicillo decoraverat Frater Joannes Feſulanus.

Marmoratum opus Joannes Utinenſis compoſuit.

Icones verò expreſſerunt Julius Romanus, Joannes Franciſcus Bononienſis, Perinus Vaga, Peregrinus Mutinenſis, Vincentius è Sancto Geminiano, & Polydorus Caravaggius.

Antonius autem à Sancto Gallo Scalas addidit, quæ Regia ab Aula ad Baſilicam præbebant deſcenſum ſub Clemente VII.

Alias etiam Scalas, quæ in eandem Baſilicam progrediuntur Sixtus V. extrui fecit, & Lactantius Bononienſis coloribus ornavit.

Vaſar. pag. 325. Ad diverſas contignationes Palatii aliæ Scalæ aſcenſum præbent, in quibus varii picturas ſuas addidere.

Donatus è Formello expreſſit Chriſtum pedes Diſcipulorum abluentem in extremitate Scalarum, per quas ad Aulam Regiam aſcendunt.

In illis verò, per quas itur ad Porticum Leonis X. Divinum Redemptorem, qui Petro imponit , ut Cæſari tributum ſolvat nummo ex ore Piſcis ablato.

In Scalis ad Palatium antiquum ducentibus Divum Petrum ſupra Mare ambulantem, & Socrum ejuſdem à morbo liberatam; in aliis Petrum, & Andræam in Navicula laborantes.

Balleonus pag. 16. 13. Atrium, ex quo ad Sixti V. Palatium aſcenditur, in eo percommodum Scalarum aſcenſum ſtatuit cum Paraſtatis hinc indè diſpoſitis Pius V.

14. In

14. In eodem Atrio ſub Porticibus à Gregorio XIII. extructis Fontem collocavit Innocentius X. de quo alibi mentionem fecimus.

15. Palatium, quòd Sixtus V. excitari juſſit à Dominico Fontana, multis Cubiculis diſtinctum, in quibus Summi Pontifices commorari ſolent cùm Vaticanas Aedes incolunt.

In eo eſt Aula, quàm Clementinam dicunt à Clemente VIII.

Illam Joannes Albertus ex Urbe Sancti Sepulchri diverſas Aedes delineavit, Campos, Montes, & Nemora Paulus Brillus. Balleonus pag. 132.

Hiſtorias Antonius Urbinas; & Figuras quamplurimas Cherubinus Albertus.

Et in proximis Cubiculis Balthaſſar Bononienſis, Eques Gaſpar Celius, Paſchalis Catus, Antonius Surdus, aliique depinxerunt.

16. Propugnaculum rotundum ab Antonio Roſelino Architecto extructum ſub Nicolao V.

Ut illud excitaret partem evertit Palatii Innocentii III. quòd Arnulphus Lapus Florentinus delineaverat.

17. Ambulacrum à Julio II. opera Bramantis extructum anno 1503. ut Innocentianas Aedes in Hortis extructas Vaticano Palatio conjungeret.

Illud bina contignatione diviſit, quarum prima Doricis regulis efformatur, ſecunda verò Jonicis.

His impoſuiſſet Hypæthrum quadringentos paſſus ſua longitudine æquans ea in parte, quà Roma proſpicitur, ſed mortuo Pontifice magnificum opus non abſolvit, ſicuti in oppoſita parte Nemori, & colli proximam, fundamenta tantùm jecerat, ſupra quæ tempore Pii IV. æqualia Ambulacra extruxerunt.

Tale Ambulacrum cum infirmo fundamento Bramans impoſuiſſet, Clementis VII. tempore ingentem ruinam paſſum Paulus III. reparavit.

In ſummitate ejuſdem propè Palatium ſub Julio II. Aviarium efformarunt, in quo Balthaſſar Perutius umbris expreſſit opera, quæ ſingulis anni menſibus præcipuè in campis fiunt. Vasar. pag. 145.

18. Atrium Pii IV. juſſu Statuis antiquis exornatum Lacoontis, Apollinis, & Veneris; quibus ſub Leone X. alia addiderunt Signa, videlicèt Tyberis, Nili, & Cleopatræ, cætera autem vivente Clemente VIII. addita ſunt.

In Palatio ab eodem Pio IV. ibi ædificato Fridericus Zuccarus Zonam in Aula depinxit, Pharaonis inſuper, & Moyſis Icones.

Fridericus Baroccius Moyſem Virgam in Serpentem commutantem.

Cæteras picturas Nicolaus à Pomerancio, & Joannes de Vecchis perfecerunt.

19. Scalæ à Bramante ædificatæ triplici, & vario ordine Architecturæ.

20. Fons ruſtico, ſed eleganti ornamento decoratus, ingentem aquarum vim emanans.

21. Bibliotheca à Sixto V. erecta in loco, ubi erant Scalæ Atrii.

Ejus parietes, & fornicem idem Pontifex juſſit exornari egregiis picturis, Vaſar. pag. 303.

quas

Vaſar. pag. 117. Pag. 336. Pag. 172. Balleonus pag. 359. Vaſar. pag. 386.

quas certatim perfecere Eques Carolus Guidottus, Joannes Baptiſta à Puteo, Arrigus Flander, Cæſar Nebbia, Antonius Scalvatus Bononienſis, Avancinus Typhernas, Jacobus Stella, Horatius Gentileſcus, Paris Nogarus, Eques Ventura Salimbenus, aliique permulti, inter quos Hieronymus Nannus Romanus, vulgò appellatus *Il poco, e buono*.

22. Cubicula Bibliothecæ proxima pro Cuſtodibus Bibliothecariis, & Scriptoribus.

23. Bibliothecæ Archivum Pontificium ſecretum addidit Paulus V.

24. Fons in magno Atrio collocatus, cujus Crater (ut refert Gri-
„ maldus) Pii IV. tempore ſepultus in quodam angulo ſub Bibliotheca
„ Sixti V. quorumdam ſenum relatu aliqua cum difficultate fuit repertus,
„ & priori loco reſtitutus, in cujus medio ſcatet altiſſimus Fons admi-
„ rabilis ſupra baſim Tyburtinam, habentem intrà Draconem cum
„ Stemmatibus Sanctiſſimi Domini Noſtri Pauli V.
„ Crater iſte oſtendit quanta fuit potentia, & faſtus Romanorum. Vaſa
„ hæc marmorea in Urbem in uſum Thermarum ducentium. Circuitus
„ Crateris eſt palmorum Romanorum centum & quinque.

In ipſo circulo ſcripta hæc verba leguntur:

JULIUS II. PONT. MAX.
LABRUM
LATITUD. PEDUM XXIII.
S. AB TITI VESPASIANI THERMIS
IN CARINIS TEMPORUM INJURIA
CONFRACTUM
IN VATICANOS HORTOS ADVEXIT,
PRIMAMQUE IN FORMAM RESTITUIT,
ORNAVITQUE,
ANNO SAL. MDIV.
PONTIF. SUI ANNO I.

25. Horti Pontificii, vulgò *Belvedere*, in quibus Antonius Pullarius Palatium Innocentii VIII. delineavit.

Vaſar. pag. 373. Oldoin. ad an. 1484.

Ibi cum depingeret Mantenga Mantuanus, ex inſignioribus illius temporis Pictor, & Pontifex nihil illi daret Bello divexatus, quòd adverſus Turcas parabat, ingreſſus Cubiculum depictum, videnſque Simulacrum velamine contectum, interrogavit: Quid eſſet, quòd ſub eo lateret? Simulacrum Prudentiæ reſpondit Mantenga, remoto velamine; cui Pontifex ſubjunxit: Fac alterum Simulacrum juxtà illud, quòd Patientiam referat. Abſoluta deindè pictura liberalibus, & magnificis donis ipſum Mantengam proſequutus eſt, qui hilaris, & plenè ſatisfactus Mantuam rediit.

Vaſ. par. 3. pag. 120.

In illis etiam Jacobus Melighinus Architectus Ferrarienſis ſub Paulo III. multa ædificavit, uſus opera Jacobi Barotii.

26. Apſis magna, & excelſa, ſupra quàm Hypetrum columnis exornatum.

27. Pala-

27. Palatium, quòd Paulus IV. ædificari juſſit, dirigente Pirrho Ligorio.

28. Palatium à Pio V. exſtructum.

29. Palatium in Nemore excitatum, & Fontibus exornatum à Pyrrho Ligorio juſſu Pii IV.

Sanctus Titus Fornicem Scalarum ſuo pennicillo exornavit, expreſſitque Beatiſſimam Virginem in Cælum Aſſumptam in Cubiculo ejuſdem Palatii. Vaſar. pag. 185.

Et in Aula Nicolaus Pomerancius varias hiſtorias efformavit. Alias Thaddæus Zuccarus.

30. Aedes à Paulo V. poſitæ cum Fonte propinquo.

31. Ambulacrum ſupra Porticum extructum à Gregorio XIII. in cujus parietibus ornamenta diſpoſuit Mutianus Pictor. Balleonus pag. 188.

Multa coloribus expreſſit Jacobus Sementa, & Chriſtophorus Roncallus.

Geographicas verò Tabulas Ignatius Dantes è Dominicanorum Familia primùm, deindè Alatrenſis Paſtor delineavit.

Urbanus autem VIII. eamdem Ambulationem, Fornice fatiſcente, tutò munivit, & Parietum loricis ſublapſis, in quibus Italia eleganter exprimitur, priſtinum pigmentorum ſplendorem reſtituit.

32. Sub Bibliotheca, Horrea diſpoſuit Paulus V.

Et Armamentarium, quòd deindè Urbanus VIII. cæteriſque Pontifices ditarunt diverſo Armorum genere, quibus ſexaginta ferè Hominum millia muniri poſſunt contra Romanæ Eccleſiæ Hoſtes ſi fortè in illos decertandum eſſet.

33. Propè Aedes à Paulo V. fundatas Furni ſunt, in quibus Panis decoquitur pro Pontificia Familia, Militibuſque, quos ad Romanæ Urbis tutelam Pontifices alunt.

Eodem in loco Alexander VII. Officinam Monetarum collocavit, in qua decidentium aquarum vi miro artificio, brevique temporis ſpatio plura Monetarum genera perficiuntur. Sed de illa uberiùs dicendi genus erit in Numiſmatum Pontificiorum tractatione.

Atque hæc in honerem Beati PETRI Principis Apoſtolorum cùm de Baſilica, tùm de Palatio Vaticano dixiſſe ſufficiat, quæ ex pluribus monumentis colligere licuit, ut aliquot Pontificum Numiſmata explicarem. Quòd ſi tantæ dignitatis argumento non reſpondere, erudito Lectori videantur; notitiarum inopiæ precor ut tribuat, & Scriptoris exilitatem excuſet.

FINIS.

CATALOGUS AUTHORUM, QUORUM MENTIO FACTA EST.

A

de ANGELIS *Paulus*.
Allatius Leo.
Albertus Leo Baptiſta.
Alpharanus Tiberius.
Auguſtinus Antonius.
Alberinus Rutilius.
Aringus Paulus.
Acta Eruditorum Lipſienſia.
S. Auguſtinus.

B

Baronius Cæſar.
Biſciola Lælius.
Bibliothecarius Anaſtaſius.
Bembus Petrus Cardinalis.
Balleonus Joannes.
Baldinuccius Philippus.
Bulengerus Julius Cæſar.
Bona Joannes Cardinalis.

C

Ciampinus Joannes Præſul.
Carolus Ferdinandus.
Ciacconus Alphonſus.
Condivus Aſcanius.
Chiarellus Dominicus Antonius.
Cluverius Philippus.
Cælius Gaſpar.
Chimentellius Valeſius.
Chryſoſtomus S. Joannes.
Caſtilioneus Jo: Antonius.
Caſalius Jo: Baptiſta.
à S. Carolo Ludovicus.

D

Donatus Alexander Soc. Jeſu.
S. Damaſus.
Durantes Jo: Stephanus.
Durandus Gulielmus.

F

Fontana Carolus.
Fontana Dominicus.
Fannuccius Camillus.
Ferraboſco Martinus.
Foreſtus Societatis Jeſu.
Fabri Honoratus Societatis Jeſu.
Fabrettus Raphael.

G

Grimaldus Jacobus.
S. Gregorius Magnus.
S. Gregorius Turonenſis.
S. Gregorius Nazianzenus.
Goltius Hubertus.
Gellius Aulus.

K

Kirchmanus Joannes.

L

Ligorius Pirrus.
Laurus Jacobus.
Leo Oſtienſis.
Lipſius Juſtus.
Lampridius Aelius.
S. Leo Papa.

M

Mallius Petrus.
Marlianus Bartholomæus.
Manellus Jannotius.
Mabilonus Joannes.
Madernus Carolus.

Martinellus Floravantes.
Marinus Jo: Baptiſta.
Mercatus Michael.

N

Nardinus Famianus.
Novidius Ambroſius.

O

Oldoinus Auguſtinus Soc. Jeſu.

P

Panvinus Onuphrius.
Plinius.
Plutarchus.
Palatius Jo: Baptiſta.
Phæbeus Franciſcus Maria.
Polonus Martinus.
Pancirolus Guidus.
Pacichellus Jo: Baptiſta.
Piazza Bartholomæus.
Pretus Hieronymus.
Panſa Mutius
Pigafetta Antonius.
Pollionus M. Vitruvius.

R

Rubeus Michael Angelus.
Rainaldus Odoricus.
Rocca Angelus.
Raynaudus Theophilus.

S

Severanus Joannes.
Spondanus.
Serlius Sebaſtianus.
Scherderus Laurentius.
Scheleſtrates Emanuel.
Stephaneſcus Cardinalis.
Sodo Franciſcus.
Sarnellus Pompeius.
Salmuth Henricus.

T

Torrigius Franciſcus Maria
Titus Philippus.
Toſtatus Alphonſus Abulenſis.

V

Veggius Maffæus.
Ugonius Pompeius.
Vaſarus Georgius.
Ughellius Pompeius.
Walfridus.
Volateranus Raphael.

	ERRATA.	CORRIGE.
Pag. 21	Ichnographicam	Scenographicam
33	1447.	1459.
52	1622.	1262
63	Manellus	Manettus
68	habuerent	habuerunt
69	Iulij II.	Leonis X.
71	278	287
	Berabum	Bembum
93	1583	1585
101	Statione 2	Statione II.
111	Maraldum	Moraldum
112	fig. 34.	Fig. 35.
118	depictam	depictum
	offerenti	offerente
	petenti	petente
	petſecutione	perſecutione
120	Pentecoſtis	Pentecoſtes
	Liberio Eccleſiam regente	Liberius Eccleſiam regens
125	Septentrione	Septentrioni
130	poſuit	poſuit Innoc. X.
137	1585	1605
150	caucellis	cancellis
155	exhibebant	exhibebat
	Scalpto	Scalpro
	parribus	partibus
	Sancto Leo	Sanctus Leo
159	legitus	legitur
161	Scpulcra	Sepulchra
162	Quercino	Queſnoi
163	Urbanas	Urbanus
174	Succiſſis	Succiſis
231	honerem	honorem

INDEX RERUM.

ALexander VI. Rom. Pontifex cubicula addit Palatio Vaticano pag. 220. refecit ambulacrum, quo Ara Hadriani eidem Palatio coniungitur .p. 220.
Alexander VII. D. Petri Cathedram ſub Apſide Baſilicæ collocat cum æreo ornatu 136.
Altaria in Baſilica Vaticana antiqua 33. & ſeqq.
Mortuorum. S. Bonifacii. De Pereriis. S. Gregorii Magni. S. Georgii 34.
Annunciationis B.Mariæ. S. Blaſii. S. Nicolai. S.Marci. S.Mariæ. S. Catharinæ. SS. Proceſſi, & Martiniani. S. Mariæ de Prægnantibus. S.Mariæ de Cancellis. S. Adriani 35.
S.Leonis. S. Mauritii. S. Silueſtri. S.Sixti. S. Bartholomæi. De Oſſibus. S.Antonii. S.Crucis. S.Luciæ. S.Annæ 36.
B.Virginis. S.Joannis Euangeliſtæ. S.Joannis Baptiſtæ. SS. Regum Magorum. Mortuorum. S. Aegidii. S. Nicolai. S.Jacobi. S.Hieronymi. S. Auguſtini. S. Ambroſii. S. Martini. S. Agathæ. S.Luciæ. S. Marci. S. Abundii. B. Mariæ 37.
SS. Laurentii & Georgii. Vvltus Sancti. S.Mariæ ad Præſepe. S. Tridenti. S. Venceſlai. Sancti Antonii Abbatis 38.
S. Gabini. SS. Proceſſi & Martiniani 40.
SS. Simonis & Judæ. S Mariæ de Concha. SS. Philippi, & Jacobi. S. Paſtoris. 41.
S. Martialis. Sanctiſs. Crucifixi. SS. Laurentii, & Georgii. B. Mariæ de Turri. 42.
S. Leonis. B. Virginis. 113.
S. Petri cum Simone mago in terram decidenti. 114.
SS. Valeriæ, & Martialis. SS. Simonis, & Judæ. S. Thomæ. S. Petri cruci affixi S. Gregorii Magni. 114.
S. Petri & Andreæ. 115.
SS. Franciſci Aſſiſs. & Antonii Patavini. 115.
S.Joannis Chryſoſtomi. 115.
B. Virginis in Templo ſe offerenris. 116.
D. Petri ſanitatem reddentis. 113.
Altare ex ligno antiquitus conſtabat, deinde efficitur marmoreum à D. Silveſtro. 147.
Altaria tranſlata ſub Paulo III. 74.
Altaria quæ è veteri Baſilica ſupererant tempore Pauli V. 101.
Andreas Bolgius fecit ſtatuam S. Helenæ. 162.
S.Andreæ Templum. 29.
Antonius Filaretus Sculptor inſignis januas æreas pro Baſilica efformat. 171
Apſis, vide Tribuna.
S.Apollinaris Monaſterium, & Eccleſia. 32.
Aqua Sabbatina ab Adriano Pontifice ducta ad Baſilicam Vaticanam. 193.
Arcus Ttriumphalis dictus. 44.
Architecti Romam vocati pro novo Baſilicæ additamento ſub Paulo V. 102.
Atrium in porticu Baſilicæ. 53. Ejus forma, & menſuræ. 16. A quibus ornatum. 53. Partes ejuſdem interiores explicatæ. 17. Ejus columnarum numerus qualis extiterit. 17.
Auctores, qui ſcripſerunt de Baſilica Vaticana. 5.

BAlthaſſari Peruzio fabricæ curam committitur. 71.
Baſilicæ Ichnographia juxtà mentem Peruzii. 71.
Baſilica Vaticana in Numiſmatibus Pontificiis expreſſa. 10. Eam primò Conſtantinus Imperator excitavit. 11. Idem duodecim terræ cophinos propriis humeris aſportavit. 11. ejuſdem men-

menſuræ. 14. non eædem apud Authores. 15. Antiqua diruta. 64. A diverſis hoſtibus fidei Chriſtianæ direpta. 57. Baſilicæ juxtà typum Bramantis Ichnographia. 69. Antiquæ deſtructio à Grimaldo relata. 101. Novæ fundamenta quo anno jacta. 65. Ejus conſtructio ſub Nicolao V. 60. Additamentum à Paulo V. quando incæptum. 102. Cur eo modo quo videtur. 104. Primi lapidis poſitio. 102. Ejuſdem inſcriptio. 103. A Paulo V. perfectæ deſcriptio, & Scenographica delineatio. 106. Lateris exterioris delineatio. 208. Ejuſdem partes, & menſuræ. 209. Frontis delineatio. 176.

Baſilicæ Vaticanæ dignitas. 210. Pecuniæ in ejus fabrica expenſæ. 210.

Baſilicæ cur Sanctorum nominibus inſcribantur. 175.

Baſilicæ antiquæ forma apud Ethnicos. 13. Vaticanam fuiſſe primò à Conſtantino fabricatam teſtantur nummi. 11. Et lateres parietum idem comprobarunt. 12. Celeri fuit ædificatione perfecta. 12. Ejus Ichnographia. 13. Conſtabat ſex navibus in formam Crucis diſpoſitis. 13. 19.

Baſilicam Antonius à S.Gallo majorem deſignat. 73. Ejus Ichnographia exponitur in tabula 14. pag. 73.

Baptiſmatis Fons in antiqua Baſilica. 37. Ejus Sacellum. 119. In Vaticano qualis fuerit ejuſdem fons. 120. à S. Damaſo reſtitutus. 120. Ab aliis ornatus. 121. Ejus aquas reſtituit Urbanus VIII. & in fontem congeſſit Innocentius X. 121. Olim ſervabatur in Sarcophago marmoreo Probi. 122. In meliorem formam extrui curat Illuſtriſs. Præſul Joannes Carolus Veſpinianus.. 122. Novi fontis ideas excogitavit Eques Carolus Fontana. 122 126. è lapide porphiretico ſepulchri Hadriani curat efformari, & ornamentis aureis exornat. 125. Ejuſdem forma in tabula ærea exculpta. 126.

Baptiſma olim ubique conferebatur. 119.

Bernardus Roſellinus Architectus. 63.

Berninus Eques turrim pro campanis extruit, ſed non abſoluit. 182. A calumniis defenditur ibid. Cathedram D.Petri magnificè exornat juſſu Alex. VII. 136. Confeſſioni æreum mauſoleum imponit juxtà Urbani VIII. mentem. 137. Difficultates obiectæ ne tale opus aggrederetur. 155.

Bibliotheca Pontificia. 29. In Vaticanis ædibus primùm à Sixto IV. collocatur, deindè Sixtus V. in nobiliorem locum transfert. 221.

Bramantis mors. 69.

Campanæ uſus ſacer, quo tempore cæperit. 178.

Campanarum Baſilicæ numerus, & inſcriptiones. 180.

Campus Vaticanus aeris inſalubritate antiquitus odibilis. 10. Nunc ob D. Petri tumulum venerabilis. 41.

Corradoſſus inſignis Numiſmatum Sculptor. 64.

Cathedra S. Petri lignea quare dicatur Prima Sedes. 131. Semper ſervata in Baſilica magna cum veneratione. 132. 135. probatur fuiſſe D. Petri. 132. Ornamentis prophanis decorata & quare. 132. 133. Ad eam mittebantur Neophiti recenter baptizati. 133. Pannis pretioſis exornata. 135. Ab Alexandro VII. in Apſide collocata cum pretioſis ornamentis. 136. Summa impenſarum in tali opere. 136. Ejus machinæ delineatio. 136.

Circus Neronis ſub Baſilica Conſtantiniana latebat. 22. Ejus deſcriptio, menſuræ, & Ichnographia. 24.

Clemens VII. perficit Tribunã Baſilicæ. 72.

Clemens VIII. Sacellum magnificum ædificat. 99. Laminas plumbeas atque æneas Tholo maximo imponit. 95. Laternam eidem addit. 95.

Cle-

Clerus Vaticanæ Baſilicæ è quibus conſtet. 116.
Cœmeterium Vaticanum antiquum. 31.
Columnæ Vitineæ ante Altare D. Petri. 147.
Columnæ è variegato marmore addidit Innocentius X. cum aliis marmoreis ornamentis. 166.
Confeſſio, vide Sepulchrum.
Confeſſionem D.Petri, quomodo Paulus V. exornaverit. 151. 155. Ejus antiqua forma. 140. A variis Pontificibus exornata. 144.
Confeſſionis ornatus æreus àb Urbano VIII. impoſitus deſcribitur. 156. in tabula ærea delinatus. 156. Quo tempore poſitus. 158. Expenſarum ſumma in eodem conficiendo. 159.
Cryptæ ſub Pauimento Baſilicæ. 152. Earum deſcriptio, & delineatio ibid.
Crux in fronte Baſilicæ antiquæ. 55.
Cyborium Altari impoſitum, cuius formæ fuerit. 148. A diverſis Pontificibus renovatum. 149.

DEſcriptio ædificiorum non pertinet ſolum ad Architectos. 7.

EUgenius IV. palatium Vaticanum ampliat. 219.

FAbricæ exteriores Baſilicæ additæ. 28. Qua de cauſa. 32.
Feneſtræ Baſilicæ quomodo in ea diſpoſitæ. 49. Earum deſcriptio. 18. Forma & menſuræ. 49. laminis vitreis ornatæ à diverſis. 49.
Fons Baptiſmatis in antiqua Baſilica. 37 Fons apud gradus Baſilicæ. 193. In medio foro Vaticano extructus ab Innocentio VIII. 194. Alius à Paulo V. 194. Idem tranſlatus ab Alexandro VII. eìque ſimilis excitatus. 195. Alius in atrio Vaticano exornatus à Simmaco Pontifice. 193. Cur antiquitus fontes additi Templis. 192.
Formoſus Pontifex ornavit Baſilicam. 45. Ejus Pontificis cadaver ſalutarunt imagines depictæ in Baſilica. 44.
Fornices extruxit Michael Angelus Bonarota Tiburtino lapide, ſine cæmentis. 85. Fornices ſimul cum ornatu extruxit Bramans. 68. Fornicum extruendorum fulcimenta à Michaele Angelo Bonarota inventa. 68.
Franciſcus Mochus exculpſit ſtatuam S. Andreæ. 262.
Frater Jucundus Veronenſis Dominicanus ſuam operam impendit in Fabrica Baſilicæ. 70.
Frons antiquę Baſilicæ. 50. 54. A quibus exornata. 54.

GAlli ſimulacrum Turri campanariæ cur olim impoſiti. 181.
Gregorius XIII. Turrim cubicula & Porticum excitat in Palatio Vaticano. 221
Gregorius XIV. Aulas in Palatio Vaticano exornat. 221.
S. Gregorii Oratorium. 32.
S. Gregorii Nazianzeni oſſa condita in Sacello Gregoriano. 91.

HIeronymus Mutianus pictor egregius. 90. Ejus ſepulchri inſcriptio. ibidem.

JAnuæ antiquæ Baſilicæ 52. A quibus exornatæ. 170. & ſeq. Media olim argentea nunc ænea. 171.
Ichnographia novi Templi primum excogitata. 103. Alia diverſa. 104.
Imbrices, vide Tegulæ.
Innocentius III. Palatium Vaticanum reficit, & auget. 217.
Inſcriptiones in nova Baſilica poſitæ. 106. Ab Urbano VIII. mutatæ. ibid. Alię in fundamentis novę Baſilicę. 65.
Jacobus Barozius fabricę pręficitur. 89. Ejus origo, & laudes. 89.
Jacobus à Porta poſt mortem Borozii fabricę præficitur. 90.

Joan-

Joannis Ciampini Preſulis Illuſtriſſimi laudes. 10.
Joannes XXIII. porticum primus extruxit, qua coniungitur palatio Vaticano Arx Adriani. 219.
Joſeph Montanus picturas Baſilicę miro artificio reſtaurat. 116.
Julius II. Pontifex novam Baſilicam excitavit. 64. Ejus numiſmata à Carradoſſo celata. 64. Porticum aliaque ędificia addidit Palatio Vaticano. 220.
Julius III. ædificat in Palatio Vaticano. 221. Fabricam Baſilicę poſt Paulum III. proſequitur. 79.
Julianus cur à Sancto Gallo dictus. 68. Primùm cum Julio II. Novam fabricam meditatur. 64.

LAmpadarum ante Confeſſionem numerus, & forma. 160. 161.
Laternę delineatio. 96. Ejuſdem deſcriptio & Ichnographia. 98.
Laurentius Berninus Eques ſculpſit ſtatuam S. Longini. 162. vide Berninus.
Laurentius Florentinus vulgò Lorenzetto Fabricę Pręfectus. 74. Inſcriptio ejus tumuli. 74.
Lazzaro Bramanti Baſilicę fabrica commiſſa à Julio II. 64.
Leo X. poſt obitum Julii II. Baſilicę fabricam proſequitur. 70. Cubicula addit palatio Vaticano. 220. Ejus numiſmata cum delineatione Baſilicę. 72.

S. MAria dicta in Porticu 29. dicta etiam de Febribus. 30.
Martinus V. Palatium Vaticanum auget. 219.
Michael Angelus Bonarota Romam vocatus à Paulo III. pro fabrica abſolvenda. 75. Ideam Antonii à S. Gallo improbavit. 75. Novam delineavit. 76. Ejus Ichnographia. 76. ęgrè tulit Baſilicę antiquę everſionem. 64. Indignatur contra Bramantem. 64. Ob invidiam aliquorum vexatus. 79. Calumnias detegit. 79. In fabricę cura ſuam operam gratis impendit 82. Coronam pro Tholo ſub Paulo IV. celeriter ędificat. 85. Ejus mors. Tumulus illi erectus. 89.
Michael Lonigus multa ſcripſit de antiqua Confeſſione. 140.

NAvicula è muſivo opere à Jotto expreſſa. 127. ubi collocata. 55. Quot in locis extiterit. 127. An fuerit in atrio poſita, ut prophanus cultus ergà Solem naſcentem aboliretur. 129.
Nicolaus V. novam Baſilicam meditatur. 60. Palatium Vaticanum auget. 217. 219.
Numiſmata Summorum Pontificum Baſilicam Vaticanam exhibentia. 10.

OBeliſcus Vaticanus traſlatus à Sixto V. à multis deſcriptus. 196. à quo fuerit primùm erectus. 197. Romę nunquam humo dejectus. 197. Ejus inſcriptiones. 204. Illum transferre in aream Vaticanam volverunt multi Summi Pontifices. 198. Sixtus V. tale opus perfecit in honorem S. Crucis. 199. Opus arduum moliti ſunt quamplurimi. 199. Ejus tranſlationis enarratio. 201. In ejus apice Crux collocatur ſacro cum apparatu. 203. Ejus menſurę. 206. Expenſarum ſumma in ejus erectione. 207.
Ornamenta Baſilicæ addita ab Urbano VIII. & Innocentio X. 161.

PAlatium an Pontifices habuerint propè Baſilicam Vaticanam. 215. A diverſis Pontificibus extructum. 217. Ejus cubicula numerum tredecim millium excedunt. Ichnographia ejuſdem duplici in tabula expreſſa. 215. Chronologica deſcriptio 215.
Paulus II. Baſilicę Parietes exteriores tiburtino lapide circũveſtire decernit. 73
Paulus III. Sacellum, & ſcalas ędificat in Pa-

PalatioVaticano.220.Ampliſſimo diplomate Bonarotæ fabricam commiſſit. 77. parietes Baſilicę anteriores tiburtino lapide circumtexit 78.
Paulus IV. Fundamenta Palatii in Nemore jecit 221.
Paulus V Baſilicam longiorem efficit 99. Antiquam quę ſupererat ob ruinę periculum evertit 100 antequam deſtrueretur eam delineari curavit 101. multas ędes,ambulacra, & fontes addit Palatio Vaticano 221. Portam ejuſdem nobiliorem aperit 222 Ejus ſtemma gentilitium in fornice Baſilicę efformatum à Provenzali muſivo opere 127.
Pavimentum à quibus compoſitum è vario marmore 127.
S. Petri ſtatua ęnea in Baſilica collocata 130.
S. Petri Cathedra vide Cathedra.
S. Petronillę Templum 30.
Pius IV. Porticum & Fontes Palatio Vaticano addit221.Diplomata Pauli III. Julii III. & Pauli IV. renovat & Bonarotam confirmat in fabricę Pręfectura 88. Calumnias illi illatas detegit 88.
Pictores qui ſuo pennicillo aliquid expreſſerunt in Palatio Vaticano 225.
Picturę ſubTholo minori in parte dextera Baſilicę à quibus factę 113. alię in Baſilica 49.
In Palatio à quibus factę 225.
Plaſticum opus à quo fuerit reſtitutum 169.
Podium circa parietes Baſilicę 49.
Porta Palatii Vaticani à diverſis Pontificibus extructa 211. Sub Paulo V diverſas delineavit Martinus Ferraboſcus 212. Ejus Icon 212.Ab Equite Bernino deſtructa ſub Alexandro VII. 213.
Porticus antiquę Baſilicę 50 dicebatur Palmata 53 à quibus ornata 51. apertam cum columnis ante Baſilicam delineavit Bonarota 86. 166 à Paulo V. extructa 167.Madernus clauſam illam fecit 166. ejus menſurę & delineatio 166. in Templis ad quem uſum facta 172 quo tempore abſoluta 172. Porticus ſuperior cum menianis cur addita 173.
Porticum inter Palatium Vaticanum & Arcem Adriani primũ extruxit Joannes XXIII 219 eandem refecit Alexander VI. 220. Item Urbanus VIII. ibid.
Porticus in foro Vaticano ab Alexandro VII. excitatę non ad inanem gloriam ſed ad utilem uſum 187. & ſeq. Clemens IX. eas perfecit 190. earum menſuræ 191. cur Berninus illas in eã formam extruxerit 191. Earum varia delineatio Pontifici oblata 189.
Probi Aedificium 30.

Raphael Sanctius Romam accerſitur juſſu Leonis X. 70.
Rete Aeneum in porticu Baſilicę 54.

Sacella novę Baſilicæ Vaticanę 108. & ſeq. vide etiam Altaria.
Sacellũ Gregorianum extructum ſubGregorio XIII. 90. à Jacobo à Porta ibid: ejus deſcriptio ibid.& 92 Clementinũ à quibus exornatum picturis 114.
Sacellum Sacri Baptiſmatis vide Baptiſmatis ſacellum
Sacrarium vetus 29.
Scala quã dicunt Regiam ab Equite Berno ędificata 214. Ejus Ichnographica delineatio 215.
Scalę ante Baſilicam fieri ſolitę 164. Quę fuerint anteVaticanã 57.165.eas Paulus V. reſtaurat 186. Alexander demum VII. in meliorem formam redegit 187.
Sepulchrum D. Petri quare dicatur Confeſſio 139. fuit prima SedesSummorum Pontificum 11.
Sepulchrum diverſorum in ſacrę Baſilicę cryptis152. Alia in Baſilica videlicet Comitiſſę Mathildis 109. num. 3. Sixti

ti IV. 110. Gregorii XIII 110. Clementis X. 112. Urbani VIII. 112. Pauli III. 112 Alexãdri VII. 113. Leonis XI. 115. Innocentii VIII. 117.
Sepulchralis inſcriptio in tumulo Antonii à S. Gallo 74. in tumulo Raphaelis 71.
Sixtus IV. Palatio Vaticano multa addidit 219.
Sixti V. Laudes 93. 95. Idem Palatium extruxit apud Baſilicam 221.
S. Soſii Monaſterium 32.
Statua B. Virginis vide B. Virginis ſtatua S. Veronicæ, S. Longini, S. Elenæ S. Andreæ 162.
Suggeſtum marmoreum pro Evangelio cantando 44.
Symmacus Pontifex Palatium Vaticanum primus poſuit 216.

Templum S. Mariæ vide S. Mariæ.
Tectum Baſilicæ varii Pontifices refecerunt 46 ejus contignationis expreſſio 48 Tegulæ antiquæ ejuſdem 45
Teſtudinem navis majoris ornatu condecorat Carolus Madernus 127.
Tholi maximi ideam compegit Bonarota 86. Illum conſtrui jubet Sixtus V. 93 Jacobus à Porta conſtruxit juxta typum Bonarotæ paucis variatis 93. Quando fieri cæptus 93. Lignorum cõpaginatio pro ejus fornice extruendo 94. ejus Ichnographia in tabula delineata 95. Tholi ejuſdem delinatio 96. ejuſque deſcriptio & menſuræ 97. 86. ejuſdem Ichnographia 86. Picturæ in illo à quibus delineatæ 99.
Tholi maximi rimula Equitis Bernini incuriæ tribuerunt aliqui falſis rationibus innixi 164.
Tholi Baſilicæ imponendi forma juxta typum Bramantis 69.
S. Thomæ oratorium 29.
Tribunæ forma & menſuræ 43. à quibus refecta & ornata 43.
Turris campanaria à Bernino excitata 182. ob ruinæ metum deſtructa 183. Cur templo addita 181. Galli ſimulacrum cur eidem imponebatur 181. in Baſilica Vaticana antiqua multiplex 179. pro nova Baſilica diverſæ Turres excogitatæ 178. 183.

Valuæ æneæ propè atrium Baſilicæ 55. Columnis ornatæ 56. Provinciarum Pontifici ſubjectarum nominibus inſignitæ 56.
B. Virginis Mariæ ſtatua Redemptorem ſinu ſuſtinentis 115. cur juniorem Filio illam Bonarota efformaverit 116.
Urbanus VII. Tholum maximum plumbeis laminis circumveſtiri jubet 95.
Urbanus VIII. multa ad commoditatem Aulicorum componit in Palatio Vaticano 223. Ejus inſcriptiones 223.
Urbani VIII. monumentum lapideum grati animi ergò à Canonicis poſitum 16. vide Sepulchrum.

FINIS.

SPECIAL 89-B
FOLIO 6194